Digitized by Google

Digitized by Google

VENERABILIS

CAESARIS BARONII

S. R. E. CARDINALIS BIBLIOTHECARII

EPISTOLAE ET OPVSCVLA

PLERAQVE NVNC PRIMVM EX ARCHETYPIS IN LVCEM ERVTA.

NOVAM EIVSDEM BARONII VITAM OPERI PRAEPOSVIT
RECENSVIT ET ADNOTATIONIBVS ILLVSTRAVIT

RAYMVNDVS ALBERICIVS

CONGREG. ORATORII ROMANI PRESBYTER SECVLARIS.

TOMVS PRIMVS

CONTINENS

VEN. AVCTORIS ET CLARORVM VIRORVM AD EVM EPISTOLAS SELECTAS
AB ANNO MDLXXIX. AD ANNVM MDC.



ROMAE MDCCLIX.

EX TYPOGRAPHIA KOMAREK, PROPE ORATORIVM SANCTI MARCELLI.

SVPERIORVM FACVLTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMO PATRI
CLEMENTI XIII.
PONTIFICI MAXIMO.

RAYMVNDVS ALBERICIVS

PRESBYTER SECVLARIS ORATORII ROMANI F.

Cogitanti mihi, CLEMENS Pontifex Maxime, quanam aut incuria temporum, aut fatorum injuria evenerit, ut VEN. CAESARIS CARDINALIS BARONII *Epiſtolae, aliaque magni momenti Opuſcula, tamdiu caecis quaſi tenebris damnata*

Digitized by Google

fuerint; non alia ſuppetit ratio, quam ut demum ſub fauſtiſſimis Tuis auſpiciis in publicam lucem, communemque utilitatem proferrentur. Quum enim is Tu ſis, Pater Beatissime, *quem inter caetera ornamenta virtutum, ingens amor ac ſtudium in ea, quae ad Eccleſiae ſplendorem, utilitatemque conducunt, potiſſimum commendat; nihil profecto Tibi gratius acceptiuſque Cardinalis Ampliſſimi de Catholica Eccleſia, deque Sancta Apoſtolica Sede optime meriti lucubrationibus offerri poſſe putandum eſt. Neque enim Te fugit, quam multa in magno Annalium Eccleſiaſticorum Opere ad Orbis Chriſtiani commodum lumenque praeſtiterit Auctor noſter praeclariſſimus: quantam vim rerum ac varietatem per infinitos pene libros diſperſam collegerit, comprehenderit, explicaverit: quam multa partim levia, partim nugatoria, partim a veritate prorſus aliena, quae ſive Ethnicorum perfidia, ſive Haereticorum, ac praeſertim Centuriatorum Magdeburgenſium fraude in Eccleſiaſticam hiſtoriam magno Catholicorum detrimento irrepſerant, ille aut ex Sacris Litteris, aut ex veterum Patrum monumentis refutaverit, atque*

inſci-

Digitized by Google

inſcitiae, fraudis, falſitatiſque coarguerit. Quamobrem quum magnum apud omnes nationes nomen eſſet conſequutus, factum eſt, ut ex omni propemodum Europa docti ſapienteſque viri ejus amicitiam per litteras ambirent, illum de obſcurioribus rebus ad Theologiam atque Eccleſiaſticam hiſtoriam pertinentibus conſulerent, deque iis locis, quae in ejus operibus, aut non ſatis ipſi intellexiſſent, aut minime probaſſent, uberiorem peterent explicationem. Quum igitur, Pater Beatissime, *in tanta librorum, qui in dies evulgantur multitudine magno in pretio haberi viderem quasdam doctorum virorum epiſtolas, quae licet de rebus parvi momenti, puta domeſticis ac familiaribus ſcriptae eſſent, tamen litterarum Reipublicae utiles exiſtimantur, (quia juxta Xenophontis ſententiam, magnorum virorum non ſeria tantum, ſed & joca cognoſcere operae pretium eſt, quod ex his quoque utiliſſima ad vitam exempla capiantur) rem profecto Eccleſiaſticae hiſtoriae ſtudioſis acceptam, atque utilem me facturum eſſe exiſtimavi, ſi Cardinalis* Baronii *ad viros doctrina, & dignitate praeſtantes, horumque ad eum Epi-*

ſtolas

Digitized by Google

ſtolas huc illuc diſperſas in volumen colligendas, evulgandaſque curarem. Praeſtiti id, Pater Sanctissime, *neque ſumptui, neque labori parcens, qua potui diligentia, eaſque juxta annorum, quibus exſcriptae ſunt, ſeriem a me diſpoſitas, animadverſionibuſque illuſtratas, nova Ven. Cardinalis vita iisdem praefixa; tum Auctoris, tum argumentorum in eis contentorum praeſtantia, Tibi unice offerendas eſſe minime dubitavi.*

Prodeant igitur, Pater Sanctissime, *atque ſub magni nominis Tui tutela lucem accipiant, ad Orbis Chriſtiani lumen, & Eccleſiae ſplendorem,* Baronii *atque illuſtrium ejus temporis virorum ad eum Epiſtolae, novum quodammodo ab Tui nominis dignitate ornamentum accepturae. Quis enim Te in hoc celſiſſimo dignitatis inter homines Deo proximae ſolio, miro quodam divini numinis conſilio collocatum, quaſi parentem non ſuſcipiat ac veneretur, miroque plane modo non gaudeat, Te tanto, ac tam repentino Patrum conſenſu ſummum Eccleſiae Catholicae Pontificem eſſe renunciatum, ut ſi cui forte adhuc dubium fuerat, hominum ne judicio, an divino numine ſummi Pontifices crearentur, quod*

tamen

Digitized by Google

tamen nullus unquam bonus dubitavit, ea tota dubitatio proximis comitiis ſublata eſſe videatur: ea de Te ſpe praeconcepta, Apoſtolicae Sedis ſplendorem, & Eccleſiae dignitatem, glorioſis, admirandis, immortalitate dignis operibus abunde a Te cumulatum iri. Quocumque enim quiſque ſe vertit, ubique veſtigia ſummae Tuae religionis, pietatis, ſedulitatis, vigilantiae, prudentiae, caritatis impreſſa conſpicit, ſingulique Cives gaudio geſtientes ſibi invicem narrare gaudent, Te, quum Patavinae Eccleſiae praeeſſes nulla frigoris, nulla aeſtus, nulla iniquiorum temporum injuria ab obeundis Epiſcopalibus muneribus deterritum fuiſſe, Te Eccleſias frequentare, aegrotos inviſere, ad Te accedentes humaniſſime excipere; curare, ut in Eccleſia omnia ad Deum ac Religionem pertinentia rite, atque integre adminiſtrentur, exemplo Tuo, Sanctiſſimo Euchariſtiae Sacramento majorem apud omnes venerationem conciliare; ſingula vero ea ſemper alacritate & vultus hilaritate praeſtare, ut ex laboribus non laſſus atque defeſſus, ſed recreatus videreris. Hunc quem in Te ſinguli admirantur virtutum omnium ſplendorem auguſta Tui Pontificatus

initia

initia univerſo terrarum Orbi teſtantur, cujus jam olim ingentia ſpecimina, quum Patavinam regeres Eccleſiam edidiſti. Nemo enim ſingularem vigilantiam Tuam non admirabitur, quum intueatur decreta a Te ſancita, leges ad gregis utilitatem promulgatas, odia per Te extincta, egenorum inopiam ſublevatam, novas ſubſtructiones juſſu tuo erectas, Templa inſtaurata, Seminarium Patavinum ſcientiarum, & optimarum artium domicilium novis per Te aedificationibus amplificatum, atque in meliorem formam redactum, ut commodius adoleſcentes in eo alerentur, & facilius allicerentur ad inſtitutionem. Sed quo me rapuit rerum Tuarum magnitudo, ut non meminerim me apud eum dicere, cujus maxima virtus modeſtia eſt, actaque per ſe ſatis emicant? Euripidi potius morem geram graviter praecipienti, ut in ſummis viris, iiſque probatiſſimis laudandis modus ſervetur, quum ipſi dum laudantur, odiſſe quodam modo ſoleant laudatores.

Ut igitur eo revertar, CLEMENS *Pontifex Maxime, unde virtutum Tuarum admiratio me vel inopinantem paullo longius abduxerat, Te iterum orabo, obteſtaborque,*

ut

ut Ven. Cardinalis CAESARIS BARONII Vitam rudi meo ſtylo exaratam; haſque ejuſdem Epiſtolas a me editas, notiſque illuſtratas, & benigne excipias, & patrocinio tuearis. Magnum enim laborum meorum fructum me coepiſſe putabo, ſi eos Tibi fuiſſe acceptos, Tuoque judicio comprobatos intelligam. Romae ex Ædibus S. Mariae in Vallicella, Pridie Kal. Aprilis MDCCLIX.

Digitized by Google

I M P R I M A T U R.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. M. de Rubeis Patriarcha Conſtantinop. Viceſg.

A P P R O B A T I O N E S.

Rerum ſacrarum ſtudioſis nil jucundius vel utilius contingere poteſt, quam ea, ſive ſcripta ſint, ſive cujuſvis generis monimenta, & oculis inſpicere, & manibus verſare, quae Viri ſummi, & de quo ob litterarum & pietatis cultum, magnum ſit apud omnes nomen, aeternumque duraturum, Operibus praeſtantiſſimis lucem aliquam affundere valeant. Exoptatiſſimum ea propter iiſdem eſſe debebit eximii *Caeſaris Baronii Cardinalis Epiſtolas Selectas* ſuos inter libros reponere. Has igitur diligenti ſtudio Viri Cl. Raymundi Alberici Congregationis Oratorii Romani Presbyteri, una cum Epiſtolis Virorum doctorum ad eumdem Baronium datis, collectas; Commentario inſuper de Vita & Scriptis ejuſdem Viri ſummi, ſingulari prorſus ornamento adauctas, & adnotationibus, quae cum Baronio legi merentur, quod Baronium non dedeceant, ſubinde illuſtratas; jubente Reverendiſſimo P. Magiſtro S. Palatii, attente, lubentique animo legi; nihilque quum deprehendiſſem in illis omnibus, quod ſacram aut ſanam eruditionem, ſubactumque ingenium non redoleat; aut a Fide Catholica & rectis moribus vel tantillum diſſentire videatur: hinc ſtatuo Librum hunc communis utilitatis cauſſa digniſſimum eſſe, qui Typographi opera in publicum emittatur. Dat. Romae in Aedibus S. Silveſtri Montis Quirinalis V. Kal. April. An. R. S. MDCCLIX.

Antonius Franciſcus Vezzoſi Praepoſitus Generalis C. R.

Legi Reverendiſſimi P. Magiſtri S. Palatii juſſu *Venerab. Cardinalis Baronii Selectas Epiſtolas, quas nunc primum V. Cl. Raimundus Albericius Congregationis Oratorii Romani Presbyter*, cum ſacrae eruditionis ſtudioſis communicat; nec in iis quidquam mihi occurrit, quod vel a Fide Catholica diſcrepet, aut bonos mores poſſit labefactare; immo vero plurimas Epiſtolas ejuſmodi reperi, ut nemo eas legerit, quin ab iis abeat doctior, & pietatis in Deum & Eccleſiam Catholicam ſtudioſior. In omnibus eminet tum magna illa Baronii eruditio, tum innocentiſſimi hominis incorrupta morum ſanctitas, & integritas. Perjucundus mihi fuit de tanti Viri vita ſcriptiſque Commentarius naturali quodam candore minimeque fucato dicendi genere a Cl. Editore conſcriptus. Adnotationes, quibus pleraeque Epiſtolae illuſtrantur, qui eas ſcripſit, non tam ſacra eruditione, quam judicio illum valere plurimum ſatis declarant. Quamobrem Librum hunc digniſſimum cenſeo, qui publico bono typis excuſus, in lucem proferatur. Dat. VIII. Kal. Aprilis MDCCLIX.

Michael Angelus Giacomellus.

I M P R I M A T U R.

Fr. Joſephus Auguſtinus Orſi Magiſt. Sac. Pal. Apoſtolici Ord. Praedicatorum.

AMPLISSIMO PRAESVLI

JOANNI CONSTANTIO
CARACCIOLO DE SANCTOBONO
Apoſtolicae Camerae Auditori Generali
In primum Tomum Epiſtolarum Venerabilis CAESARIS BARONII CARDINALIS

RAYMVNDI ALBERICI

PRAEFATIO.

QUOD in pleriſque ſuorum Annalium Eccleſiaſticorum voluminibus publica luce donandis Ven. Card. CAESAREM BARONIUM praeſtitiſſe videmus ; ut ſcilicet poſt inſcriptum Summo Pontifici, aut alicui Regi volumen , illud etiam Principi cuiquam viro in Eccleſiaſtica praeſertim dignitate conſtituto exhiberet; id modo , Praeſul ampliſſime atque ornatiſſime , in ejus Epiſtolis evulgandis a me fieri, operae pretium quodammodo videbatur . Verum poſteaquam hunc primum Selectarum Card. BARONII aliorumque ad illum Epiſtolarum Tomum , CLEMENTIS XIII. Pont. Opt. Max. nomini auſpicioque commendaſſem , cogitaremque ad quem potiſſimum hoc munus pertineret, cuique acceptius videri poſſet; haeſi aliquantulum anceps ita dubiuſque , ut quid mihi ſtatuendum foret omnino neſcirem . Quamvis enim multos egregios Praeſules Eccleſiaſticae Hiſtoriae & Sacrorum dogmatum ſcientia praeſtantes in hac Romanae ur-

Digitized by Google

urbis luce verſari intelligerem; haec ipſa tamen doctiſſimorum Procerum copia faciebat, ut quid conſilii caperem, nec ſatis ſcirem, nec ſi ſcirem dicere auderem. Atque haec quidem incerta animi deliberatio me fortaſſe diu multumque tenuiſſet, niſi tandem ſingularis tua humanitas, ingenium, eruditio, atque ſapientia, nullum mihi hac de re amplius cogitandi locum reliquiſſent. Ex quo enim ad tuam benevolentiam aditum mihi patefacere dedignatus non es, facile ex ſermonibus tuis perſpexi, te ſuaviſſimis moribus, caeteriſque virtutum ornamentis, Eccleſiaſticarum rerum egregiam cognitionem copulare: quumque ſucceſſu temporis meum hujus adornandae editionis conſilium tibi aperuiſſem, & illud a te mirifice probari, & Ven. Auctorem magnopere coli ac venerari, ſaepius animadverti. Hinc factum eſt, ut quum amor atque obſervantia erga te mea ad ſummam excreverit magnitudinem; nihil ſane jam reliquum eſſe intelligam, niſi ut ejus diuturnitati conſulam, & quantum fieri per me poteſt ad immortalitatem perducam. Quum autem ea ſint in te omnia, quae caeteri Auctores ſequi ſolent, quoties unum aliquem deligunt egregium virum, ad quem ſua aut aliorum ab ſe edita opera, inſtituant: quid quaeſo opportunius mihi accidere poterat, quam ut haſce Ven. Card. Baronii, & clarorum virorum ad eum Epiſtolas a me recenſitas, collectas, & adnotationibus illuſtratas tibi offerrem? Si enim Familiae tuae decus, & nobilitatem ſpecto, tua in primis eſt, quae per multam annorum ſeriem Principatus honore gaudet, cujus ſplendor, dignitas, atque auctoritas ad ſummum faſtigium pervenit. Sin autem in te ipſum oculos conjicio, ſi animi magnitudinem, ſi ingenium, ſi rectum atque elegans in re omni judicium perpendo; quis poteſt eſſe unus, cui magis Cardinalis praeſtantiſſimi Epiſtolas, meaſque in iis illuſtrandis edendiſque vigilias commendatas velim? Verum etſi omnia tibi deeſſent, quae a natu-

natura & fortuna proficiſcuntur, quorum certe nihil deeſt; tuus tamen iſte ſacrarum rerum amor, perpetua SS. Patrum, atque Eccleſiaſticorum Annalium lectione in dies magis auctus, me valde coepiſſet, & quadam veluti contentionis ſimilitudine ad hanc obſervantiae ſignificationem adduxiſſet. Vides jam, ornatiſſime Praeſul, quae me praeſertim momenta impulerint, ut primum hunc Ven. Card. Baronii Epiſtolarum Tomum offerrem tibi, ac conſecrarem. Supereſt nunc, ut quid in eo comprehendatur, quidque in ejus editione paranda, atque abſolvenda a me praeſtitum ſit, tibi breviter exponam.

Ex quo primum noſtra haec Presbyterorum Secularium Oratorii Congregatio Vallicellanae Bibliothecae me praeeſſe voluit; quos in ea MSS. Codices adſervantur, diligenter perſcrutatus, nonnulla inter illos reperi Ven. noſtri Card. Baronii authographa ut plurimum monumenta, quorum pleraque digna mihi prorſus videbantur, ut typis impreſſa, in manus hominum pervenirent. Quamobrem quum ea adcurate collegiſſem, amicorum de iiſdem judicia atque ſententias exploraturus; non modo eruditi viri, quorum magna in hac urbe copia ſemper floruit, meum eadem evulgandi conſilium calculo ſuo comprobarunt, ſed pene precibus obruerunt, enixeque a me flagitarunt, ut tandem aliquando praeclariſſima ſummi viri ſcripta publico Reipublicae litterariae bono ab oblivione vindicarem, neque diutius omnigenae eruditionis theſaurum intra domeſticos parietes delitеſcere ſinerem. His doctiſſimorum virorum ſuffragiis, quum etiam ſapientiſſimi ac aeternae memoriae Pontificis Benedicti XIV. adprobatio atque auctoritas acceſſiſſet, jam coeperam operi manum admovere; quum repente graviſſimo periculoſiſſimoque morbo plurium menſium ſpatio oppreſſus, atque iterum iterumque in extremum vitae diſcrimen adductus, pedem ab incoepto revocare coactus ſum. Ex qua tandem vi morbi

praeç-

praeſentiſſimo Dei Opt. Max. beneficio, S. Philippo Nerio intercedente, liberatus, iterum ad opus ſuſceptum proſequendum animum appuli. Jamque plures Epiſtolas exſcripſeram, notiſque illuſtraveram, quum intellexi amicum mihi familiariſſimum, dilectiſſimumque Joſephum Blanchinum Veronenſem hujus noſtrae Congreg. Presbyterum ſecularem, virum pietate, eruditione, editiſque operibus toto Orbi notiſſimum, multis ab hinc annis eadem Card. Baronii monumenta tranſcribenda curaſſe, & ad clariſſimum Andream Galland Oratorii quoque Presbyterum, Venetias miſiſſe, qui eadem jamdiu in publicam proferre lucem cogitabat. Quapropter quum eumdem Galland mei hujus conſilii per litteras certiorem feciſſem, rogaſſemque, ut ſi ei id perficiendi otium, ſive facultas non eſſet, ab incoepto deſiſteret; (multa enim ego inveneram, collegeramque Ven. Baronii monumenta, quibus ille carebat) aut, ſi id nollet, ſignificaſſem, me omnia quae haberem Baroniana ſcripta, eidem libenter communicaturum; ipſe qua eſt humanitate praeditus, datis ad me litteris, non modo hujus editionis provinciam mihi reliquit, verum etiam quaecumque a Blanchino acceperat lubentiſſime ad me mittere non dubitavit.

Acceptis igitur ab laudato Andrea Galland Card. Baronii Epiſtolarum, atque aliorum opuſculorum apographis; primo quidem epiſtolas in hoc priori tomo contentas, jam antea ex aliis ſupra centum ſive ad Parentes datis, ſive mere officioſis a nobis ſelectas, juxta temporis, quo ſcriptae ſunt ordinem diſponere incoepimus: tum vero eaſdem cum authographis, aut ſi haec non extarent, cum aliis adcuratius exaratis apographis ſemel iterumq; conferre, & ad priſtinum nitorem, quantum quidem licuit, reſtituere curavimus, quoniam haec, quae reddita ſunt nobis apographa, infinitis pene amanuenſium oſcitantia erroribus depravata, praeter expectationem invenimus. Jam vero ut omnia, quae optimo diligen-

gentique editori poſſunt convenire, in hac graviſſimarum rerum editione curanda praeſtare conaremur; poſtquam multa in iiſdem Epiſtolis haud ita facile cuiquam obvia reperiri animadvertimus; in id etiam incubuimus, ut eae nonnullis adnotationibus animadverſionibuſque illuſtratae in manus hominum pervenirent. Neque his contenti, libros duos de Ven. Card. Vita ac Scriptis confecimus, quos priori huic Epiſtolarum Tomo praemittere operae pretium arbitrati fuimus. Licet autem ſuperiori ſeculo eamdem ſpartam adornaverint Michael Angelus Buccius noſtrae Congr. Presbyter (qui morte correptus, opus abſolvere non potuit) ac deinde Pater Hieronymus Barnabeus ejuſdem noſtrae Congregationis, & ex eo Ludovicus Donius d'Attichy Epiſcopus Æduenſis in Florib. Hiſt. Card. Tom. III, pag. 595. & ſeq. quemadmodum tamen aliqua ex hiſce praeclaris auctoribus mutuatos nos fuiſſe minime diffitemur, (aequum enim eſt fateri per quos profeceris) ita etiam aſſerere non dubitamus, multa nos in hacce noſtra Baronii Vita ad Annalium praeſertim opus ſpectantia, in medium protuliſſe, quae Eccleſiaſticae eruditionis ſtudioſi in Buccio, Barnabaeo, & d'Attichy fruſtra requirent. Doctiſſimorum etiam virorum de eodem Ven. noſtro Card. Baronio collegimus Teſtimonia, non quidem omnia (id enim infinitum fuiſſet) ſed aliqua tantummodo, quae in promptu habuimus; eorumque quatuor tantum Catholicorum, ſeptem Hetherodoxorum ideo ſeligere non dubitavimus, ut clarius adpareret, quantam vim habeat ſpectatae cujuſdam virtutis ac ſapientiae lumen, quod ipſorum quoque inimicorum oculos penetrans, ab ipſis etiam juratis hoſtibus, non modo admirationem, verum etiam laudem extorqueat. Opportunos tandem volumini Indices addidimus (illos tamen rerum ac verborum ad calcem poſtremi Tomi prolaturi) ut in ſingulis hujus operis partibus, iis omnibus, quae accuratiſſimam editionem decent pro virili a nobis conſuleretur.

At-

Atque haec eſt Prioris hujus Tomi noſtrae editionis ratio, haec methodus, hic conſpectus; quid interim in iis, quae abſque ulla interruptione ſequentur praeſtitum a nobis ſit, in praefatione unicuique tomo praefigenda, uberius explicaturi. Prodeant igitur, Praeſul ampliſſime atque doctiſſime, tuo etiam nomini inſcriptae Ven. noſtri Cardinalis Annalium Eccleſiaſticorum Parentis Epistolae ſimplici quidem ſtylo exaratae, haud fucatum tamen optimi Auctoris ingenium ejuſque morum ſimplicitatem quamdam, ac ſanctimoniam prorſus redolentes; in quibus licet puriſſimam quamdam latini ſermonis elegantiam emunctae naris homines non invenerint; attamen & rerum gravitate, & ſententiarum pondere, & praeclara ſacrae eruditionis ſuppellectili, & celeberrimo Ven. Auctoris nomine magnopere ab omnibus commendatas iri confidimus. Quod vero ad noſtros in iiſdem Epiſtolis edendis illuſtrandiſque labores adtinet; etſi nihil non vulgatum, nihil non ubique obvium expoſitumque a noſtrarum virium tenuitate poſſit expectari: illud tamen nos recreat, ac bono animo eſſe jubet, quod noſtra haec in Epiſtolas Vener. Cardin. Baronii, qualiſcumque demum ſit opera, ad te potiſſimum inſcribatur. Quod ſi eamdem meam operam, Praeſul ampliſſime, tibi, hoc eſt viro ſumma nobilitate, ſingulari ingenio, ac praeclaris rebus geſtis illuſtri, gratam acceptamque fuiſſe intellexero; maximum laborum meorum fructum me conſequutum fuiſſe putabo, conaborque etiam atque etiam, quae ſuperſunt Ven. ejuſdem Cardinalis Epiſtolas & Opuſcula, quam citiſſime in publicam lucem, communemque utilitatem proferre. Vale. Romae ex Vallicellanis AEdibus III. Nonas Aprilis MDCCLIX.

MO-

MONITUM TYPOGRAPHI
AD LECTOREM.

QUA mole primus hic Ven. CAESARIS *Card.* BARONII *Epiſtolarum & Opuſculorum Tomus in praeſentiarum prodit, eadem prorſus reliqui deinceps prodibunt. Sciat igitur quiſquis hujuſce editionis ſocietatem inire voluerit, eam ſibi patere uſque dum ſecundus Tomus publici juris fiat, quem ſex menſibus, hoc eſt menſe Septembris anni hujus* MDCCLIX. *me daturum polliceor; hac tamen lege ut pro primo jam edito Tomo ſcutatum unum, ſive julii decem Romani, alii vero decem in antecesſum pro ſecundo ſolvantur* Fauſto Amideo *Bibliopolae in via curſus, qui hoc pretium ſolventibus primum Tomum dabit, tradetque Apocam ſubſcriptione obfirmatam, qua tenebitur ſecundum volumen jam exſolutum ſtatim ac fuerit impreſſum iiſdem exhibere. Quum autem tam ingens jam* Aſſociatorum *numerus inventus ſit, ut in hac ſola urbe Romae, ſtatim ac primus iſte Tomus ſub praelo eſſe inciperet, ſupra centum litterati pro eo ſtatutum pretium in antecesſum exſolverint; facile intelligo, ut aliorum Italorum, atque eorum etiam, qui ultra montes degunt, operis hujus deſiderio occurratur [quis enim litterarum ſtudioſus inedita magni* BARONII *monumenta tenui pretio ſibi comparare non exoptat?) facile, inquam, intelligo, novam tam expetiti operis editionem mihi quamprimum fore ſuſcipiendam; quam clariſſimus editor Raymundus Albericius iterum recenſere minime dubitat. Quemadmodum vero interdum contigit, ut ſecundis operum editionibus ab ipſis ſive Auctoribus, ſive Editoribus recenſitis, aliquid adcedat, quod in prioribus reperiri aut obtineri non potuerit; id ſi forte in hoc opere evenerit; publice profiteor, atque promitto, me quicquid in ſecunda hujus operis, quam molior editione, novi acceſſerit, ſeparatim excuſurum, atque iis omnibus, qui pro hac prima* BARONII *Epiſtolarum & Opuſculorum editione Societatem nobiſcum inivere, gratuito prorſus communicaturum. De his te admonere volui, Lector Benevole, ut noſtri de litteris, litteratiſque viris in omnibus bene merendi deſiderii certior fieres. Vale.*

SERIES
SIVE
CONSPECTVS
RERVM OMNIVM

Quae in hoc Volumine continentur.

I. Dedicatio Operis. pag. III.
II. Cenſorum judicia, & Praeſidum Adprobationes. pag. X.
III. Praefatio in primum Tomum Epiſtolarum, & Opuſculorum Ven. Card. Caeſaris Baronii. pag. XI.
IV. Monitum Typographi ad Lectorem. pag. XVII.
V. De Vita, & Scriptis Venerab. Caeſaris Baronii Cardinalis libri duo. pag. 1.
VI. Michaelis Angeli Bucci Oratio in funere Caeſaris Baronii Card. pag. 113.
VII. Joannis Baptiſtae Mucantii, in funere ampliſſimi Cardinalis Caeſaris Baronii, ad ſacrum Cardinalium Senatum, Oratio. pag. 121.
VIII. Juliani Sannae, in obitu Card. Caeſaris Baronii, Oratio funebris. pag. 131.
IX. Hieronymi Binagi Oratio in funere Caeſaris Baronii Cardinalis. pag. 139.
X. Juſti Baronii in obitu Caeſaris Baronii Cardinalis ad Nicolaum Serarium S. J. Parentalia. pag. 148.
XI. De Venerab. Cardinali Baronio nonnullorum Scriptorum, tum Catholicorum, tum etiam Heterodoxorum Teſtimonia. pag. 157.
XII. Ven. Cardinalis Caeſaris Baronii, & clarorum Virorum ad eum Epiſtolae ſelectae ab anno MDLXXIX. ad annum MDC. pag. 163.
XIII. Index eorum ad quos Ven. Caeſar Card. Baronius Epiſtolas ſcribit in hoc priori volumine contentas. pag. 475.
XIV. Index eorum, qui ad Ven. Caeſarem Card. Baronium Epiſtolas ſcribunt in hoc priori volumine contentas. pag. 477.

INDEX

Digitized by Google

RAYMVNDI ALBERICI

DE VITA ET SCRIPTIS

VENERABILIS CARDINALIS

CAESARIS BARONII

LIBRI DVO.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX CAPITUM
LIBRI PRIMI.

CAPUT I.

ORtus ejus, & educatio. Pag. 1.

CAPUT II.

Studiorum, & pietatis ejus rudimenta. pag. 3.

CAPUT III.

In ſpiritualibus exercitiis conſtanter perſeverat ac proficit. pag. 6.

CAPUT IV.

Ad ſermones populo habendos eligitur, deque ineunda vitae ratione deliberat. pag. 8.

CAPUT V.

Ad ſacros ordines promovetur, dolentem patrem conſolatur, ipſum civeſque ſuos ad opera pietatis impellit. pag. 10.

CAPUT VI.

Fit Sacerdos, & ejus acta in aedibus Sancti Joannis Florentinorum. pag. 11.

CAPUT VII.

Ad conciones populo habendas eligitur, mox in Confeſſionibus excipiendis occupatur. pag. 14.

CAPUT VIII.

Variis corporis aegritudinibus, oppreſſus, Dei beneficio, & Beati PHILIPPI *precibus liberatur.* pag. 16.

CAPUT IX.

Ad aedes Eccleſiae S. Mariae in Vallicella, in quam Oratorium translatum fuerat, demigrat. In voluntaria corporis caſtigatione, & orandi ſtudio, ac pietate ſe ipſum exercet. pag. 18.

CAPUT X.

Pauperum indigentiis opitulatur. pag. 20.

CAPUT XI.

Matris animam e corpore egredientem videt; eique primum, mox patri juxta perſolvit. pag. 23.

CAPUT XII.

Peccantes corrigit, eoſque ad emendationem, & ſalutem revocat. pag. 24.

CA-

CAPUT XIII.

Eccleſiae hiſtoriam narrare populo jubetur, ut inde Annalium opus aggrediatur. pag. 28.

CAPUT XIV.

Ad Annales conſcribendos praeſidia Caeſari divinitus collata. pag. 30.

CAPUT XV.

In Annalibus conſcribendis Caeſaris labores ac ſtudia. pag. 35.

CAPUT XVI.

Res Annalibus comprehenſae, & in iis conſcribendis ſtylus, ac forma. pag. 38.

CAPUT XVII.

De numero Eccleſiaſticorum voluminum, pag. 40.

CAPUT XVIII.

Annales Eccleſiaſticos in lucem edit. pag. 42.

LIBRI SECVNDI.

CAPUT I.

A Clemente VIII. ſuis confeſſionibus excipiendis eligitur. Pag. 47.

CAPUT II.

Praepoſitus Congregationis eligitur. pag. 49.

CAPUT III.

Protonotariorum Apoſtolicorum Collegio cooptatur. pag. 52.

CAPUT IV.

Cardinalis a Clemente VIII. renunciatur. pag. 58.

CAPUT V.

Ejus animi modeſtia in Cardinalatu. pag. 63.

CAPUT VI.

Ejusdem de Cardinalatu dolor. pag. 67.

CAPUT VII.

A Pontificatu appetendo, quam eſſet alienus. pag. 71.

CAPUT VIII.

Ejus paupertatis amor, & divitiarum deſpicentia. pag. 77.

CAPUT IX.

Ejusdem vitae aſperitas. pag. 79.

CAPUT X.

Quomodo ſe gefferit in domeſticos. pag. 80.

CAPUT XI.

De ejus pietate in Deum. pag. 82.

CA-

CAPUT XII.

De ejus erga omnes, ac praecipue in egenos caritate. pag. 83.

CAPUT XIII.

Qualis fuerit erga propinquos. pag. 86.

CAPUT XIV.

Ejus in ſacro Eccleſiarum cultu profuſa liberalitas. pag. 88.

CAPUT XV.

Ejus erga Servos Dei obſervantiae ſtudium, & religionis cultus in Sanctos. pag. 91.

CAPUT XVI.

Ejus in Catholica Fide, & Eccleſiaſtica poteſtate tuenda zelus & ardor. pag. 95.

CAPUT XVII.

De egregiis ejuſdem operibus, ac laudibus. pag. 100.

CAPUT XVIII.

De ejus ad Vallicellam reditu, aegritudine, & obitu. pag. 103.

Copioſiſſimi, accuratiſſimique materiarum, ut vocant, Indices, ſive rerum omnium notabilium, quae in Baronii Vita, Epiſtolis, caeteriſque opuſculis occurrunt, ad calcem totius operis exhibentur. Quod vero ad hoſce de ejuſdem Ven. Cardinalis Vita libros pertinet, ſi quid in illis dictum forte occurrat, quod naturae vires ſuperare videatur; quodque idcirco Summorum Pontificum decretis, ac praeſertim Urbani VIII. repugnare appareat; profitetur Auctor, ſe omnibus in rebus iiſdem decretis adhaerere voluiſſe, nec aliam, quam ſimplicis hiſtoricae narrationis fidem ſuis ſcriptis haberi.

Digitized by Google

Atque haec eſt Prioris hujus Tomi noſtrae editionis ratio, haec methodus, hic conſpectus; quid interim in iis, quae abſque ulla interruptione ſequentur praeſtitum a nobis ſit, in praefatione unicuique tomo praefigenda, uberius explicaturi. Prodeant igitur, Praeſul ampliſſime atque doctiſſime, tuo etiam nomini inſcriptae Ven. noſtri Cardinalis Annalium Eccleſiaſticorum Parentis EPISTOLAE ſimplici quidem ſtylo exaratae, haud fucatum tamen optimi Auctoris ingenium ejuſque morum ſimplicitatem quamdam, ac ſanctimoniam prorſus redolentes; in quibus licet puriſſimam quamdam latini ſermonis elegantiam emunctae naris homines non invenerint; attamen & rerum gravitate, & ſententiarum pondere, & praeclara ſacrae eruditionis ſuppellectili, & celeberrimo Ven. Auctoris nomine magnopere ab omnibus commendatas iri confidimus. Quod vero ad noſtros in iiſdem Epiſtolis edendis illuſtrandiſque labores adtinet; etſi nihil non vulgatum, nihil non ubique obvium expoſitumque a noſtrarum virium tenuitate poſſit expectari: illud tamen nos recreat, ac bono animo eſſe jubet, quod noſtra haec in Epiſtolas Vener. Cardin. BARONII, qualiſcumque demum ſit opera, ad te potiſſimum inſcribatur. Quod ſi eamdem meam operam, Praeſul ampliſſime, tibi, hoc eſt viro ſumma nobilitate, ſingulari ingenio, ac praeclaris rebus geſtis illuſtri, gratam acceptamque fuiſſe intellexero; maximum laborum meorum fructum me conſequutum fuiſſe putabo, conaborque etiam atque etiam, quae ſuperſunt Ven. ejuſdem Cardinalis Epiſtolas & Opuſcula, quam citiſſime in publicam lucem, communemque utilitatem proferre. Vale. Romae ex Vallicellanis AEdibus III. Nonas Aprilis MDCCLIX.

MO-

Digitized by Google

MONITVM TYPOGRAPHI

AD LECTOREM.

QUA mole primus hic Ven. CAESARIS Card. BARONII *Epiſtolarum & Opuſculorum Tomus in praeſentiarum prodit, eadem prorſus reliqui deinceps prodibunt. Sciat igitur quiſquis hujuſce editionis ſocietatem inire voluerit, eam ſibi patere uſque dum ſecundus Tomus publici juris fiat, quem ſex menſibus, hoc eſt menſe Septembris anni hujus* MDCCLIX. *me daturum polliceor; hac tamen lege ut pro primo jam edito Tomo ſcutatum unum, ſive julii decem Romani, alii vero decem in anteceſſum pro ſecundo ſolvantur* Fauſto Amideo *Bibliopolae in via curſus, qui hoc pretium ſolventibus primum Tomum dabit, tradetque Apocam ſubſcriptione obfirmatam, qua tenebitur ſecundum volumen jam exſolutum ſtatim ac fuerit impreſſum iiſdem exhibere. Quum autem tam ingens jam* Aſſociatorum *numerus inventus ſit, ut in hac ſola urbe Romae, ſtatim ac primus iſte Tomus ſub praelo eſſe inciperet, ſupra centum litterati pro eo ſtatutum pretium in anteceſſum exſolverint; facile intelligo, ut aliorum Italorum, atque eorum etiam, qui ultra montes degunt, operis hujus deſiderio occurratur* (*quis enim litterarum ſtudioſus inedita magni* BARONII *monumenta tenui pretio ſibi comparare non exoptat?*) *facile, inquam, intelligo, novam tam expetiti operis editionem mihi quamprimum fore ſuſcipiendam; quam clariſſimus editor Raymundus Albericius iterum recenſere minime dubitat. Quemadmodum vero interdum contigit, ut ſecundis operum editionibus ab ipſis ſive Auctoribus, ſive* Edit*oribus recenſitis, aliquid accedat, quod in prioribus reperiri aut obtineri non potuerit; id ſi forte in hoc opere evenerit; publice profiteor, atque promitto, me quicquid in ſecunda hujus operis, quam molior editione, novi acceſſerit, ſeparatim excuſurum, atque iis omnibus, qui pro hac prima* BARONII *Epiſtolarum & Opuſculorum editione Societatem nobiſcum inivere, gratuito prorſus communicaturum. De his te admonere volui, Lector Benevole, ut noſtri de litteris, litteratiſque viris in omnibus bene merendi deſiderii certior fieres. Vale.*

SERIES
SIVE
CONSPECTVS
RERVM OMNIVM

Quae in hoc Volumine continentur.

I. DEdicatio Operis. pag. III.
II. Cenſorum judicia, & Praeſidum Adprobationes. pag. X.
III. Praefatio in primum Tomum Epiſtolarum, & Opuſculorum Ven. Card. Caeſaris Baronii. pag. XI.
IV. Monitum Typographi ad Lectorem. pag. XVII.
V. De Vita, & Scriptis Venerab. Caeſaris Baronii Cardinalis libri duo. pag. 1.
VI. Michaelis Angeli Bucci Oratio in funere Caeſaris Baronii Card. pag. 113.
VII. Joannis Baptiſtae Mucantii, in funere ampliſſimi Cardinalis Caeſaris Baronii, ad ſacrum Cardinalium Senatum, Oratio. pag. 121.
VIII. Juliani Sannae, in obitu Card. Caeſaris Baronii, Oratio funebris. pag. 131.
IX. Hieronymi Binagi Oratio in funere Caeſaris Baronii Cardinalis. pag. 139.
X. Juſti Baronii in obitu Caeſaris Baronii Cardinalis ad Nicolaum Serarium S. J. Parentalia. pag. 148.
XI. De Venerab. Cardinali Baronio nonnullorum Scriptorum, tum Catholicorum, tum etiam Heterodoxorum Teſtimonia. pag. 157.
XII. Ven. Cardinalis Caeſaris Baronii, & clarorum Virorum ad eum Epiſtolae ſelectae ab anno MDLXXIX. ad annum MDC. pag. 163.
XIII. Index eorum ad quos Ven. Caeſar Card. Baronius Epiſtolas ſcribit in hoc priori volumine contentas. pag. 475.
XIV. Index eorum, qui ad Ven. Caeſarem Card. Baronium Epiſtolas ſcribunt in hoc priori volumine contentas. pag. 477.

INDEX

Digitized by Google

RAYMVNDI ALBERICI

DE VITA ET SCRIPTIS

VENERABILIS CARDINALIS

CÆSARIS BARONII

LIBRI DVO.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX CAPITUM
LIBRI PRIMI.

CAPUT I.

ORtus ejus, & educatio. Pag. 1.

CAPUT II.

Studiorum, & pietatis ejus rudimenta. pag. 3.

CAPUT III.

In ſpiritualibus exercitiis conſtanter perſeverat ac proficit. pag. 6.

CAPUT IV.

Ad ſermones populo habendos eligitur, deque ineunda vitae ratione deliberat. pag. 8.

CAPUT V.

Ad ſacros ordines promovetur, dolentem patrem conſolatur, ipſum civeſque ſuos ad opera pietatis impellit. pag. 10.

CAPUT VI.

Fit Sacerdos, & ejus acta in aedibus Sancti Joannis Florentinorum. pag. 11.

CAPUT VII.

Ad conciones populo habendas eligitur, mox in Confeſſionibus excipiendis occupatur. pag. 14.

CAPUT VIII.

Variis corporis aegritudinibus, oppreſſus, Dei beneficio, & Beati PHILIPPI *precibus liberatur.* pag. 16.

CAPUT IX.

Ad aedes Eccleſiae S. Mariae in Vallicella, in quam Oratorium translatum fuerat, demigrat. In voluntaria corporis caſtigatione, & orandi ſtudio, ac pietate ſe ipſum exercet. pag. 18.

CAPUT X.

Pauperum indigentiis opitulatur. pag. 20.

CAPUT XI.

Matris animam e corpore egredientem videt; eique primum, mox patri juxta perſolvit. pag. 23.

CAPUT XII.

Peccantes corrigit, eoſque ad emendationem, & ſalutem revocat. pag. 24.

Digitized by Google

CAPUT XIII.
Eccleſiae hiſtoriam narrare populo jubetur, ut inde Annalium opus aggrediatur. pag. 28.
CAPUT XIV.
Ad Annales conſcribendos praeſidia Caeſari divinitus collata. pag. 30.
CAPUT XV.
In Annalibus conſcribendis Caeſaris labores ac ſtudia. pag. 35.
CAPUT XVI.
Res Annalibus comprehenſae, & in iis conſcribendis ſtylus, ac forma. pag. 38.
CAPUT XVII.
De numero Eccleſiaſticorum voluminum, pag. 40.
CAPUT XVIII.
Annales Eccleſiaſticos in lucem edit. pag. 42.

LIBRI SECUNDI.

CAPUT I.
A *Clemente VIII. ſuis confeſſionibus excipiendis eligitur.* Pag. 47.
CAPUT II
Praepoſitus Congregationis eligitur. pag. 49.
CAPUT III.
Protonotariorum Apoſtolicorum Collegio cooptatur. pag. 52.
CAPUT IV.
Cardinalis a Clemente VIII. renunciatur. pag. 58.
CAPUT V.
Ejus animi modeſtia in Cardinalatu. pag. 63.
CAPUT VI.
Ejusdem de Cardinalatu dolor. pag. 67.
CAPUT VII.
A Pontificatu appetendo, quam eſſet alienus. pag. 71.
CAPUT VIII.
Ejus paupertatis amor, & divitiarum deſpicentia. pag. 77.
CAPUT IX.
Ejusdem vitae aſperitas. pag. 79.
CAPUT X.
Quomodo ſe gesſerit in domeſticos. pag. 80.
CAPUT XI.
De ejus pietate in Deum. pag. 82.

CAPUT XII.

De ejus erga omnes, ac praecipue in egenos caritate. pag. 83.

CAPUT XIII.

Qualis fuerit erga propinquos. pag. 86.

CAPUT XIV.

Ejus in ſacro Eccleſiarum cultu profuſa liberalitas. pag. 88.

CAPUT XV.

Ejus erga Servos Dei obſervantiae ſtudium, & religionis cultus in Sanctos; pag. 91.

CAPUT XVI.

Ejus in Catholica Fide, & Eccleſiaſtica poteſtate tuenda zelus & ardor. pag. 95.

CAPUT XVII.

De egregiis ejusdem operibus, ac laudibus. pag. 100.

CAPUT XVIII.

De ejus ad Vallicellam reditu, aegritudine, & obitu. pag. 103.

Copioſiſſimi, accuratiſſimique materiarum, ut vocant, Indices, ſive rerum omnium notabilium, quae in Baronii Vita, Epiſtolis, caeteriſque opuſculis occurrunt, ad calcem totius operis exhibentur. Quod vero ad hoſce de ejuſdem Ven. Cardinalis Vita libros pertinet, ſi quid in illis dictum forte occurrat, quod naturae vires ſuperare videatur; quodque idcirco Summorum Pontificum decretis, ac praeſertim Urbani VIII. repugnare appareat; profitetur Auctor, ſe omnibus in rebus iiſdem decretis adhaerere voluiſſe, nec aliam, quam ſimplicis hiſtoricae narrationis fidem ſuis ſcriptis haberi.

DE

Digitized by Google

Digitized by Google



DE VITA VEN. CAESARIS CARDINALIS BARONII

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Ortus ejus, & educatio.

ANTIQUITATE Romam exaequans Campaniae civitas Sora [a], ob clariſſimos viros, qui ex ea prodiere, non obſcurum nomen accepit. Nam & Romanorum tempore Baream [b] edidit Aſiae Proconſulem, quem ob inſignem virtutem domi foriſque celebratam impius Nero ad necem uſque perſequutus, ipſam virtutem excidere voluiſſe viſus eſt. Ac ſuccedentibus deinde temporibus [c] Hildebrandum & Balduinum Comites habuit, alioſque complures, qui illam Chriſtiana pietate, doctrina, opibus, ac bellicae artis gloria illuſtrarunt. Verum Baronorum familia, cujus cognomentum per longam annorum ſeriem, quantam plerique ad augendam ſui generis claritatem inveniunt, de [d] Barono dictum, noviſſime Caeſar Romano more in *Baronium* inflexit, tantum Sorae ornamenti contulit & dignitatis, ut jam in hac una, pluſquam in caeteris omnibus, gloriari ea civitas merito ac jure poſſe videatur. Habuit enim haec familia [e] majores ſuos, quorum alii Canonicatus,

[a] Titus Liv.

[b] Baron. tom 1. Annal. anno Chriſti 68. n. 26. ex Tacito lib. 16.

[c] Baron. tom. 11. Annal. ann. Chr. 1030.

[d] Baron. tom. 11. ibid. §. Porro idem Vir.

[e] Bar. ibid. §. Annos.

& Abbatiae titulis claruerunt, alii pietate, atque opibus. Inter quos jam ab hinc quingentis & amplius annis Gregorius quidam nomine extitit, ac deinde poſt annos centum Leonardus, quorum eleemoſynis monaſterium Caſae maris, quod ſeptimo milliario Sora diſtat, egregie locupletatum fuiſſe conſtat. Ex hac familia originem duxit Camillus Baronius in ea civitate primariis officiis perfunctus, & paternis opibus quamquam haud ita multis affluens (propterea quod inter octo capita fratrum & ſororum tota haereditas patris diviſa fuerat), ſic tamen ut honeſti civis gradum tueri poſſet. Hic uxorem duxit Portiam Phoeboniam, religioſiſſimam feminam, ex qua tandem ille Caeſar Baronius natus eſt, qui non modo parentes, familiam, patriam, ſed & univerſam Chriſti Eccleſiam, non tam dignitate & eruditione, quam Chriſtianae probitatis luce decoravit. Atqui ejus quidem futurae pietatis indicium, illud inter caetera valde admirabile vel in ipſo matris utero praebuiſſe fertur, quod ubi illa ad B. Mariae Virginis Templum appropinquabat, ipſe pariter quaſi ſemet ultro Virgini offerre vellet, miro quodam, & inuſitato motu intra materna viſcera commoveri, atque proſilire ſentiebatur. Quo mirabili pietatis indicio mater permota, ſimul ac filium in lucem edidit, anno videlicet Chriſti milleſimo quingenteſimo trigeſimo octavo, Paulo III. Pont. Max. pridie kalendas Novembris, noctis dimidio, eumdem B. Mariae Virginis patrocinio obtulit & commendavit. Ex qua re quantam ſibi gratiam apud clementiſſimam Virginem conciliarit, ex eo, quod ſubjiciam, facile exiſtimare licebit. Etenim exacto biennio, quum infantulus graviſſimo morbo correptus ad mortem properaret, mater, ut quem unicum habebat filium, incolumem ſervaret, eum ad Eccleſiam B. Mariae Virginis ad vallis radicem, mille paſſus Sora diſtantem, una cum Philomena ſua ſocru, ac Maria Caeſaris amita detulit; ubi quum orationi frequenter inſtantes triduum tranſegiſſent, ex improviſo vox de Coelo ad matrem delapſa: *Bono* (inquit) *animo, laetoque ſis: filius tuus nequaquam morietur*. Cui ſane voci optatus reſpondit eventus. Siquidem Caeſar, qui jam pene mortuus in cunabulis jacebat, extemplo ſtupentibus omnibus matrem vocitare coepit: ad quem illa cum ſociis accurrens, quum ſanitati reſtitutum inveniſſet, innumeris Deo, & B. Mariae Virgini gratiis impenſe actis, ſummo cum gaudio domum reportavit. Atque hoc beneficium incredibile dictu eſt quam gratam deinde, quum per aetatem licuit, in Caeſaris animo B. Virginis memoriam, atque in eam pietatis & obſervantiae ſtudium excitavit, cujus videlicet patrocinio & ad diuturniorem vitam, & ad ingentia virtutum ſtudia fuerat reſervatus. Quod non ſolum his praemonſtratum indiciis, verum etiam coeleſti creditur oraculo praenunciatum. Nam non multo poſt, quum peregrinus quidam horrido incultuque oris ac corporis habitu ad paternam Caeſaris domum advenisset, ejuſque primo intuitu mater exterrita, filium, ne quid ei forte malum obtingeret, occultaſſet, mox vero timiditatis a ſocru reprehenſa, in peregrini conſpectum eum videre cupientis adduxiſſet; ille benigne puerum amplexatus, eique ſanctiſſimae ſigno Crucis impertito: *Incumbite*, inquit, *diligenter ad optimam hujus pueri educationem; futurum eſt enim, ut in Eccleſia Dei vir maximus exiſtat*. Quibus dictis, quum Caeſaris mater eleemoſynam ei tribuere vellet, confeſtim ex adſtantium oculis ſic evanuit,

nuit, ut eum, non hominem, ſed Angelum Dei non temere fuiſſe crediderint. Cujus quidem praenunciatio ſicut audientium fidem tum obtinuit, ita poſtea manifeſto exitu comprobata, intuentium oculos non fefellit. Porro Caeſaris mater ſalutaribus peregrini monitis parere non ceſſans, quae ſublevandis pauperibus ſummopere dedita erat, ut eamdem pietatem in tenerum adhuc filii animum facilius infunderet, coepit ex eo tempore quibuſcumque domum ſuam adeuntibus eleemosynas per illius manus diſtribuere, eidemque poſtea, quum ad grandiorem aetatem perveniſſet, saepius per annum praecipere ſolebat, ut in vicos & plateas egreſſus, aliquot pauperes cibo potuque alendos domum congregaret: quae ille pietatis officia tanta cum alacritate ac diligentia peragebat, ut omnibus non exiguam ſui admirationem benevolentiamque concitaret.

CAPUT II.

Studiorum, & pietatis ejus rudimenta.

INterea pater locupletandae, atque honeſtandae familiae cupidus, Caeſarem primum quidem grammaticae praeceptis, & litteris humanioribus, quibus puerilis aetas impertiri debet, erudiendum praeceptori tradidit in civitate Verulana nono circiter milliario Sora diſtante; poſtea vero ad capeſſendas ſacrarum, & civilium legum inſtitutiones Neapolim miſit. Ibi adoleſcens mira diſcendi cupiditate captus, ingenio laborem addidit. Nam lectionibus, quae publice habebantur, minime contentus, alium inſuper magiſtrum audiebat domi, quo uberius celeriuſque ſibi ſcientias compararet. Abſoluto unius anni ſtudio, quum in ea urbe novi quidam bellorum tumultus excitarentur, inde a patre eductus, Romam iter direxit eo conſilio, ut jam incepta ſtudia quiete tranquilliterque proſequeretur. Poſt multam ex itinere defatigationem anno MDLVII. aetatis ſuae undevigeſimo urbem ingreſſus eſt. Ibi in platea de *Branchis* vulgo dicta, cum Dominico Nardo Marta, Sorano cive, eodem uſus contubernio, ad inſtituta litterarum ſtudia proficiſci perrexit. Praeceptorem habuit in Jure civili publice interpretando Caeſarem Coſtam, virum praeſtantiſſimum, qui poſtea Eccleſiae Capuanae in regno Neapolitano Archiepiſcopus eſt renunciatus. Eo tempore Romae S. PHILIPPUS NERIUS, noſtrae Congregationis Inſtitutor, inſigni ſanctitatis opinione florebat, atque in Templo S. Hieronymi, vulgo de *Caritate*, multos ſibi in Chriſti filios tum confeſſionibus excipiendis, tum divinarum rerum colloquiis comparaverat. Inter caeteros, qui eum ſequebantur, unus erat Marcus nomine, civis Soranus, qui, ut Caeſarem ad Chriſtianae vitae perfectionem promoveret, eum in S. PHILIPPI conſpectum adduxit: cujus hilari vultu, affabilitateque ſermonis, quaſi quibuſdam caritatis vinculis, repente obſtrictus, adeo ſe illius amori & obſequio tradidit, ut ab ejus deinceps latere nunquam diſceſſerit. Et initio quidem videns Caeſar eximiam in eo elucere verae ſanctitatis imaginem, cujus praeclaro intuitu non ſolum ad illius admirationem, verum etiam ad imitationem magnopere excitabatur, ut eam in ſe ipſo no-

vus virtutum amator exprimeret, inviſere coepit eum frequentiſſime, obſervans in eo diligenter quidquid decerpere poſſet ad exornandum quaſi virtutum floribus animum ſuum. Vix enim ejus conſuetudine familiaritateque uti coepit, quum tantam a Deo coeleſtis ſpiritus ubertatem, & humanarum rerum deſpicientiam eſt conſequutus, ut continuo inita ſtudia deſerere, mundi illecebras relinquere, & ad tutiſſimum ſacrae alicujus Religionis portum confugere cogitaverit. Quod ſane perfeciſſet, niſi eum PHILIPPUS, quem alio divinitus vocari ſentiebat, ad incepta ſtudia proſequenda ſaepius compuliſſet. Igitur illius monitis acquieſcens, animum ad ea, ut coeperat, gnaviter appellebat, eique major ſubinde ut aetatis, ita ſcientiarum fiebat acceſſio, quamquam longe majores in Chriſtianae perfectionis ſtudio progreſſus faceret. Siquidem PHILIPPUS, qui pro ſua in diſcipulos caritate, in eorum animos virtutibus excolendos ſedulam impendebat operam, illum vel ſponte currentem, quo celerius ad virtutis faſtigium properaret, aſſiduis cohortationum ſtimulis incitabat. Quibus accedebat aſſidua in reprimendis, ſuperandiſque inſurgentibus in animo cupiditatibus exercitatio, quam ad ſpiritualis vitae puritatem aſſequendam vel unicam viam ſciebat eſſe, vel maxime compendiariam. Itaque inter alias, quas Caeſar in ea aetate de ſe ipſo victorias reportavit, illa videtur non immerito recenſenda, in qua de ſuo, ut ita dicam, ingenio quaſi triumphum aliquod referre viſus eſt. Quum enim ad poeſeos ſtudium juvenili quodam ardore incitatus, nonnulla Italico idiomate ſcripta carmina in volumen retuliſſet, quumque iis magis ſe ſe, quam Deo ſacriſque litteris deditum hominem deceret, delectari videretur, venit illi in mentem opuſcula illa juvenilia aut penitus in fruſta diſcerpere, aut igni tradere: verum quum in ea re ejus animus vehementer haeſitaret, tandem poſt diuturnam concertationem ſuimet victor, totum illud volumen, quo tantopere delectabatur, manibus arreptum in ignem injecit: qua quidem in re adeo vehementem animi repugnantiam ſenſit, ut ingenue poſtea affirmaverit, nunquam ſe majorem cum propria voluntate conflictum expertum fuiſſe. Ad haec autem maximo illi fuere ad pietatem adjumento quotidiana peccatorum confeſſio, meditatio rerum divinarum, in Euchariſtiae Sacramento ſuſcipiendo, ut id tempus ferebat, frequentia, in urbis xenodochiis mane & veſpere inviſendis, aegriſque ſedulo miniſtrandi conſuetudo. Porro hanc aegrotorum quotidie viſendorum provinciam, a S. PHILIPPO ei traditam, per novem deinceps annos abſque ulla prorſus intermiſſione diligenter adminiſtravit, quouſque ſcilicet laborioſo confeſſionum excipiendarum munere fungeretur. In eo autem Chriſtianae pietatis officio, haud facile dictu eſt, quantum ille ſtudii & diligentiae conferret. Etenim ſimul ac in noſocomium ingrediebatur, aegros omnes ea qua flagrabat animi caritate complexus, ſine ulla cunctatione eorum lectulos circumire, ſternere, componere, cibaria illis deferre, miniſtrare, conſolari moeſtos, deſperantibus ſpem addere, dolentes ad patientiam cohortari, animam agentibus praeſto eſſe, cunctos denique ſive in iis, quae ad corporis valetudinem, ſive quae ad animarum ſalutem pertinerent, omni ope ac ſtudio juvare conabatur: tantoque in iis opitulandis prompti alacriſque animi ſpeciem praeſeferebat, quanto

to magis de eorum calamitatibus interius dolorem moeroremque conciperet. Neque heic eſt omittendum, quod illi ſaepe divinitus accidiſſe cognovimus; quod ſcilicet, quum ad aegros inviſendos interdum ipſemet febri laborans pergeret, incolumis deinde ac bene valens domum reverteretur. Quae res vel praecipientis PHILIPPI meritis, vel ipſius Caeſaris obedientiae, vel utrique non incongrue tribuenda. Quemadmodum eidem non immerito adſcribi poteſt cujuſdam hominis miſere aegrotantis ſalus aeterna, quam ſane abſque miraculo non accidiſſe, putandum eſt. Venerat aegrotus iſte ad xenodochium S. Spiritus *in Saxia* vulgo dictum, a prandio intempeſtive; ideoque ſalutari peccatorum confeſſione nondum expiatus, in lectulo collocatus ac deſtitutus fuerat: quando poſt aliquot horas improviſa morbi vi repente oppreſſus, ita in extremum vitae diſcrimen adductus eſt, ut ſine ſacramentalis confeſſionis beneficio jam pene Deo animam eſſet redditurus. Haec ubi PHILIPPUS divina revelatione cognoſcit, Caeſari ad ſe interim venienti peccatorum de more confeſſionem peracturo, in mandatis dat, ut, reſervata in aliud tempus confeſſione, illico ad xenodochium advolet. Quamvis autem illuc eundi tempus non eſſet, pranſis jam ac dormitantibus aegris, nihilominus PHILIPPO inſtanti jubentique paruit ſtatim Caeſar. Ad locum venit, ubi etſi nihil omnino eſſe animadverteret, quod ad ſublevandos aegrotos opportunum videretur, tamen quum ſe eo abſque cauſa a PHILIPPO miſſum non eſſe putaret, loco excedere nequaquam audebat. Cunctanti, diligentiuſque ſingulos lectulos circumſpicienti, ecce illi aeger, de quo diximus, extremum agens ſpiritum ſe ſe objicit, candela de more ad ejus caput accenſa; quamobrem arbitratus, illum ipſum eſſe, ad quem a PHILIPPO mitteretur, ad lectulum accedit, aegrotum vocat, excitat, interrogat, num peccatorum confeſſionem peregerit, num S. Euchariſtiam ſuſceperit. Ille veluti ſomno excitus, intermortuis licet vocibus triſtis ac dolens, ſine ejuſmodi Sacramentorum perceptione ſe mori reſpondit. Caeſar hominis vicem miſeratus ad Sacerdotem confeſtim advolat, rogat quamprimum morientis peccata auditum veniat: etenim a mora ei periculum imminere. Sacerdos de negligentia, atque incuria purgans ſe ſe, ad morientem accedit. Confiteri ne velit, rogat. Annuit ille, peccata confitetur, S. Viaticum ſuſcipit, & illico (rem miram!) adſtante ſemper Baronio ſtupore attonito, animam Deo reddit, quae ſane mirabili quodam modo tamdiu in aegri corpore detenta eſt, donec S. PHILIPPUS de illius ſtatu divinitus admonitus, Caeſarem miſerit, qui eum Sacramentis Eccleſiae praemuniendum, atque in aeternae ſalutis ſtatu collocandum curarit.

Ex his autem Chriſtianae pietatis operibus, quae Caeſar in aegrotos exequebatur, tanto erga alienae opis indigentes amore flagravit, ut nihil ſibi praetermittendum putaret, quod ad eorum vel inopiam ſublevandam, vel ſalutem promovendam pertineret. Cujus rei illud inter caetera praeclarum videtur argumentum, quod adhuc adoleſcens, aetatis annum agens undevigeſimum, omnino admirabile praebuit. Res fuit ejuſmodi. Conſueverat Caeſar non modo quotidianis Oratorii ſermonibus, qui tum privatim in aedibus S. Hieronymi habebantur, intereſſe; ſed his non contentus, aliorum etiam conciones in Eccleſiis audire. Die quodam in Eccle-

ſiam

ſiam S. Jacobi Hiſpanorum Patroni ſe contulit, auditurus videlicet concionantem Alphonſum Lupum Ordinis Capuccinorum, virum equidem non tam Chriſtianae eloquentiae, quam fama ſanctitatis inſignem, & ad commovendos excitandoſque auditorum animos apprime inſtructum atque paratum, qui abſoluta prima concionis parte, univerſos qui aderant rogare coepit, ut ad cujuſdam familiae inopiam ſublevandam divina caritate permoti eleemoſynas liberaliter impertirent: quibus praeſentes pecuniae non ſuppeterent, eas poſtera die, ſi commodum foret, afferrent: veſtimenta, induſia, pannos detritos, & id genus alia, quidvis demum in rem eſſe familiae inopi. Quo audito, Caeſar, cujus ad miſericordiam animus propenſiſſimus erat, internae caritatis ſpiritu vehementer impulſus, & alienis magis, quam propriis miſeratus incommodis, illico domum advolat: non minori celeritate tria induſia, quae a parentibus nuper acceperat, concionatori defert; adjicitque, ſe nihil pretioſius habere, quod offerat: caeterum, quidquid habeat, dare libentiſſime. Obſtupuit concionator optimus tam praeclaro Caeſaris facto, non indigentis dexterae munus aſpiciens, ſed effuſam ejus animi liberalitatem tacitus perpendens, diſſimulanſque quod viderat, illum de patria, de parentibus, de facultatibus, deque univerſo ejus vitae ſtatu diligenter percontatus eſt. Quibus cognitis, poſtero die quum rem omnem populo narraſſet, & de egregia Caeſaris caritate, expreſſo illius nomine, ac patria, multa laudabiliter praedicaſſet, ad extremum hoc praedixit, fore nimirum, ut praepotens Deus cumulatiſſimum Caeſari praemium etiam in hac vita referret, praemonuitque omnes, ut quum tandem id accidiſſet, optime reminiſcerentur. Quae tanti viri praenuntiatio veluti quoddam oraculum tunc accepta, ut ſuo loco poſtea dicemus, eſt feliciter comprobata.

CAPUT III.

In ſpiritualibus exercitationibus conſtanter perſeverat ac proficit.

DUM haec Romae geruntur, & ſpiritualibus in dies exercitationibus Caeſar ad virtutem properat, pater de his admonitus, quum adhuc terrena ſaperet, metueretque, ne qui ſibi unicus filius erat, repudiato matrimonio, ſacerdotalem, aut religioſam vitam amplecteretur, litteras ad eum miſit, quibus perlatum ſibi eſſe dicebat, eum, litterarum ſtudiis praetermiſſis, ſpiritualibus rebus nimis adhaerere, ſordidis obſoletiſque veſtibus incedere, plus debito corpus affligere, jamque pene ad maciem eſſe deductum; id vero ſe graviter & moleſte ferre, ideoque quamprimum ab ejuſmodi vitae inſtituto deſiſteret. Quibus acceptis litteris Caeſar nihilo ſegnior factus, ſe ipſum nonnihil excuſans ac tegens, primum quidem reſpondit, ſtudia litterarum ſe ne vel minimum praetermiſiſſe, in veſtium cultu ac decore tantam ſe curam adhibere, quantam deceat; caetera ab ipſo addita exiſtimare tacenda. Corporis maciem nimio eſui piſcium, ac phlegmati, non jejuniis & caſtigationibus tribuendam. Caeterum, quod ad ſpiritualem vitam perti-

pertinet, cui ſe totum tradidiſſe queritur, libere profiteri ſe id, quod paulo ante in ejus ab urbe diſceſſu perpetua ſibi conſuetudine retinendum decreverat, nimirum velle ſe ſtatis quibuſdam ſolemnioribus diebus S. Euchariſtiae Sacramentum ſuſcipere: hoc eſſe propoſitum voluntatis ſuae, iterumque a ſe ita confirmari, ut ab eo nunquam ſit diſceſſurus, alioquin malle ſe optione data univerſo ejus patrimonio abdicare, quam a propoſita voluntate unquam deflectere. Hanc autem ab ſe initam vitae rationem, ſi rectis oculis intueri vellet, neque nimium quam par eſt ſpiritualibus rebus addictam eſſe deprehenderet, neque eam ſe ſuſcepiſſe quereretur, ſed potius innumeras Deo gratiarum actiones ex animo referret. His litteris nequaquam acquievit pater, ſed aſperior factus, ut eum a ſententia propoſita deterreret, acriter cum illo agere coepit; quumque illi antea pecunias ad comparanda victui neceſſaria ſuppeditaret, mox omni plane ſubſidio deſtitutum ita dereliquit, ut, quo vitam ſubſtentare poſſet, non haberet. Fuit haec quidem ad removendum adoleſcentis animum non levis vexatio, ſed Caeſaris conſtantiam nihil movit, qui divino ſpiritu confirmatus, in incepto fortior perſiſtebat. Verum, quum interim patris ſubſidium deeſſet, nec ſibi aliunde ſuppeteret, ſuamet opera ſibi victum comparare compulſus eſt. Quapropter PHILIPPUS Caeſaris neceſſitati conſulens, eum Octavio Paravicinio, tunc egregiae indolis adoleſcentulo, ac poſtea S. R. E. Cardinali, praeceptorem tradidit, in cujus domo ſeptem circiter annos commoratus eſt. Quo quidem tempore non minus eum liberalibus honeſtiſque diſciplinis, quam optimis Chriſtianae vitae moribus erudivit, atque etiam ſibi in Chriſto filium ex Sacramento Confirmationis ſuſcepit: ipſe vero litterarum ſtudia interim proſequens, in conſuetis pietatis operibus ſeſe domi foriſque impenſius exercebat. Nam in primis quaecumque ſui muneris erant, exequebatur accuratiſſime; quidquid vero ſupererat temporis, totum orationi impendebat. In ſe ipſum poenitentiae ſtudio ſaeviebat atrociter: lectuli enim linteis ſaepe duriſſimos ſubſternebat lateres, ut, dum in eo ſomnum caperet, ne ipſa quies ſine labore eſſet: noctu flagellis ſe acerrime caedebat: per hebdomadam crebris ſeſe jejuniis afflictabat. His accedebat in ſervanda mentis puritate religio plane ſingularis, quum ne quid minimum admitteret, quod vel ipſius oculos quam leviſſime offenderet. Quapropter quum quondam obſcoenas quaſdam in pictis tabulis figuras domi vidiſſet, quarum aſpectus mentis ſuae puritatem foedare potuiſſet, depoſito reprehenſionis cujuſque ſubſtinendae metu, eas ſuperinjecto colore, ac bombice contexit: qua ex re apud domeſticos non modo reprehenſionem non meruit, ſed laudem accepit, quod quantum picturæ offecerat, tantum profecerat honeſtati. Sed illud ad hanc rem facinus edidit longe praeſtantius, quod quum aliquando acerrimis carnis ſtimulis vexaretur, ut eam tentationem longius a ſe repelleret, & caſtitatis virtutem in animo vehementius confirmaret, cimicem, foetidiſſimum animal, qui tunc ei forte ad manus venit, dentibus attritum deglutivit, ita graviſſimum illius odorem ſimul indignante ſenſu, ſimul etiam teterrimum atque immundiſſimum daemonem animo procul exufflante, ac reſpuente. Qua in re SS. Benedictum, & Franciſcum imitari viſus eſt, quorum alter impuros carnis aeſtus nive reſtinxit, alter in vepribus volutatus una cum ſan-

guine

Digitized by Google

guine diabolicae tentationis virus effudit. Multa quidem alia caſtiſſimus adoleſcens in eo aetatis fervore ad ſuae puritatis defenſionem certamina pertulit, in quibus tamen omnibus tantum abfuit ut invictiſſimum animum deſponderit unquam, ut ſui ſemper hoſtis acerrimus, & egregius ex iis victor & triumphator evaſerit. Quocirca tantum exinde divinae virtutis robur accepit, ut in poſterum graviſſima paſſus, nunquam Deum exoraverit, ut ſibi illarum tentationum moleſtias auferret, tum quod divino fretus auxilio ſe victorem fore ſperaret, tum quod interea ſemper de ſe humiliter abjecteque ſentiendi optima ſibi ineſſe occaſio videretur. Illud autem non ſolum a Deo, ſed etiam a pleriſque Patribus, quibus tentationis ſuae moleſtiam quamhumillime aperiebat, enixe flagitabat, ut quando ille talia ſe pati vellet, divinae ſuae gratiae praeſidio innoxium illaeſumque ſervaret; in ſuum interim corpus, ne qua ex parte deeſſet, jejuniis, ciliciis, flagelliſque animadvertens, illud in ſervitutem redigebat, ut animus eidem liberius imperare poſſet.

CAPUT IV.

Ad ſermones populo habendos eligitur, deque ineunda vitae ratione deliberat.

QUum autem augeretur in dies hominum ad Oratorium confluentium multitudo, PHILIPPUS aliquot è ſuis diſcipulis ad ſermones habendos applicare ſtatuit. Itaque inter alios adlegit Caeſarem aetate quidem facile poſtremum, pietate vero vix ulli ſecundum. Qui ut primum ſermones ad populum habere coepit, multa graviter utiliterque diſſerebat de aeternis impiorum cruciatibus, de coeleſtibus Sanctorum praemiis, de brevitate vitae humanae, de extremi judicii ſeveritate, de mundi vanitate, & contemptu, atque id genus aliis, ad quorum aſſiduam meditationem, tum naturali quadam animi propenſione, tum maxime divino Spiritu impellente, facillime ferebatur. In his autem populo denunciandis tantam adhibere ſolebat animi vim, ardoremque dicendi, ut quum plerique alias, tum praecipue quodam die quatuor e nobilibus viris, inter quos unus erat inſignis Romanae curiae praeſul, repente ad meliora mutati, & relictis omnibus Chriſtum ſequuti, in ſacram religionem ſe ſe receperint, admirantibus omnibus non minus repentinam eorum mutationem, quam Caeſaris in dicendo ſpiritus vehementiam & robur. Verum, quum per aliquod tempus in incepto dicendi genere verſatus eſſet, PHILIPPUS ita divino monitus conſilio ei praecepit, ut, dimiſſa ejuſmodi rerum tractatione, ad Eccleſiaſticam hiſtoriam referendam ſe ſe converteret. Quod ille graviſſimum onus, licet initio invitus, atque reluctans, quod & propriis diffideret viribus, & ſe ad alia propenſiorem eſſe ſentiret, tamen tanquam divino juſſus imperio ſibi omnino ſuſcipiendum exiſtimavit. Porro quid PHILIPPUM moverit, ut id praeciperet, quid Caeſar in eo geſſerit, quid tandem conſequutum ſit, commodius, ut opinor, infra explicabitur, quum de illius Annalium editione verba faciemus. Interea Caeſar in hiſtoriis Eccleſiae per-

pervolvendis detinebatur, quas deinde accurate perlectas paulatim in Oratorio cum incredibili audientium utilitate narrabat, ſimul & ſe ipſum ſalutaribus imbuens diſciplinis; quibus ad aſſequendam ſpiritualis vitae perfectionem uſque adeo incitabatur, ut non ſolum aſperis religioſae vitae inſtitutis ſe ſe devincire ſaepenumero cogitaret, verum etiam modo iis, modo aliis nimio fervore compulſus conaretur ſe obſtringere. Verum ab hujuſcemodi conatibus, licet iis aliquando pertinaciter inſiſteret, ſemper tamen a PHILIPPO, ei nullatenus acquieſcente, retrahebatur. Quod quum plerique etiam religioſam vitam ſectantes animadverterent, PHILIPPUM haud leviter incuſabant, quod hominem ab ingreſſu ſacrae religionis retardare videretur, divinum in ea re conſilium non adeo praevidentes. Tandem quum totos tres annos eam animi cogitationem anceps ſubſtinuiſſet, Deumque aſſiduis precibus, gemitibus, & lacrymis eſſet deprecatus, ut ineundam ſibi vitae rationem declarare vellet, annuens roganti Deus, ſuae voluntatis conſilium ita patefecit. Die quodam quum Caeſar poſt confeſſionem a PHILIPPO vehementius quam antea flagitaret, num religioſam vitam amplecti deberet, PHILIPPUS quamquam divinae voluntatis conſcius, ne ſuae tamen ſententiae nimis confidere atque adhaerere videretur, & Caeſarem aliorum conſilio id ipſum aſſerentium confirmaret, ei praecepit, ut Conſtantium Taſſonium (erat hic unus e PHILIPPI diſcipulis vir plane integerrimus) domi conveniret, ab eoque decretum de ſe divinae voluntatis exquireret. Paruit PHILIPPO Caeſar, & ad Conſtantium ſe conferens, eum in Eccleſia S. Hieronymi Miſſae Sacrificium peragentem reperit; quo abſoluto, mox ei PHILIPPI mandatum exponit. Id ubi Conſtantius audivit, reſpondit, multa quidem conſultatione rem indigere, ac multis precibus, ideoque aliquid ſibi temporis ad cogitandum tribui oportere. Qua iterata ſaepius reſponſione Caeſarem ad quinque menſes protraxit. Tandem in Converſionis S. Pauli pervigilio, expletis in Oratorio ſermonibus, quum PHILIPPUS multis comitatus diſcipulis ad Eccleſiam S. Pauli ſe contuliſſet, Conſtantius, qui tunc inter caeteros aderat, in ejuſdem Eccleſiae egreſſu ad Caeſarem accedit, manu prehenſum ſeorſim avocat, tum vero reducit ei in memoriam id de quo ſaepe conſilium a ſe poſtulaverat; quumque ſuper ea re multa dixiſſet, ad extremum haec ſubjecit: *Scito Caeſar, multis cum meis, tum aliorum ſupplicationibus Deum exoratum fuiſſe, ipſumque velle, ut in ſtatu Presbyteri ſecularis ſibi deſervias*. Id ubi Caeſar intellexit, ſtatim, perinde quaſi loquentem Dominum audiſſet, penitus acquievit, exiſtimans, conſilium Deo ratum, firmum, fixumque eſſe. Quod ipſum cum deinde ad PHILIPPUM referret, ab eoque rurſus confirmatum acciperet, divina voluntate jam ſatis cognita atque perſpecta, ad eam exequendam tota ſe animi contentione convertit. Videns autem ad optatum religioſae obedientiae jugum aditum ſibi amplius non patere, perpetuo voto ſe obſtrinxit PHILIPPO in omnibus quaecumque demum imperaſſet obtemperandi, quod deinde in omni vita quamdiligentiſſime perfecit.

CAPUT V.

Ad ſacros Ordines promovetur, dolentem patrem conſolatur, ipſum civeſque ſuos ad opera pietatis impellit.

HAbita jam Eccleſiaſticae vitae agendae deliberatione Caeſar, ut primum ſibi per tempus licuit, clericali tonſura initiatur eo animi ardore, ut poſitis omnibus mundi curis ac ſolicitudinibus, ſuique quodammodo oblitus, ſolum Chriſtum ſequi conſtituerit, Davidicum illud uſurpans: *Dominus portio mea, Dominus poſſeſſio mea*. Non multo poſt ad Ordines minores aſſumptus, ſacro ſubinde Subdiaconatus Ordine inſignitur, data interea ad parentes epiſtola, in qua eos de ſuſcepta vitae Sacerdotalis deliberatione certiores faciens, ut divinae voluntati libenter acquieſcant, hortatur. Ea accepta vehementer indoluit pater, quod filius qui ſibi unicus erat, de ſuſcipiendo Sacerdotio deliberaſſet, quem potius matrimonio jungi, & propagandae nobilitatis familiae ſtudio affici maluiſſet; cujus dolor ex eo etiam magis augebatur, quod ſe inconſulto perfeciſſet. Cui reſcribens Caeſar, cum ſilentii excuſationem attuliſſet, quod vereretur, ne ſibi impedimento eſſet, perpetuum illi honorem, ac reverentiam, quam patri filium exhibere par eſt, etiamſi ipſe ut filium eum non agnoſceret, pollicetur, atque, ut ei morem gereret, doctoris gradu ſe inſigniri, quamquam moleſto id ferret animo, non recuſavit. Quibus rebus permotus pater, quum videret hanc plane fuiſſe divini numinis voluntatem, cui ſe reluctari nefas eſſet, tandem omni dolore depoſito, penitus acquievit. Matri vero, cui ſuſcepta filii deliberatio probabatur (nam Spiritus Sancti gratia maternum illius ſuperabat affectum), merito quidem reſpondit: *Laetaris mater, quum intelligas, nunquam me tibi pro tot lacrymis, quas mea cauſa profudiſti, & pro tantis laboribus, quos pro me toleraſti, minores gratias referre poſſe, quam in hoc praeſenti meo ſtatu. Et tu quidem quum vixeris, quumque obieris, beata, & longe felicior es, quam ſi me vidiſſes in quovis alio feliciſſimo ſtatu collocatum. Recordare, ſimul ac me in lucem edidiſti, ad ſacrum Baptiſmatis fontem fuiſſe delatum, ubi mundo, & diabolo, carniſque cupiditatibus nuncium remiſi. Et licet haec promiſſa non ſemel praeteriverim, tamen, quum jam mihi aliqua lux ad intelligendum fuerit oborta, a mundo recedere volui, ut tot tantiſque promiſſis melius ſatisfacere poſſim. Et certe quorſum me Chriſtianum eſſe voluiſti, niſi Chriſti legi obtemperarem, & ejuſdem vitam imitari vellem? Decuit igitur me tanquam Chriſtianum, mundum fugere, & Chriſtum ſequi. Faxis ille, ut omni vitae meae tempore opera perficiam, propter quae bonus Chriſtianus appellari queam. Tu vero ipſum roga, ut me ſua gratia talem efficiat, qualem me in ſacro Baptiſmate fore ſum pollicitus.* Per haec tempora multas deinde Caeſar epiſtolas ad parentes miſit, quos ejus videndi deſiderio ſpe opportuni reditus ſuſtentare nitebatur, pollicitus, ſe, quum primum Sacerdos foret, in patriam reverſurum, ut ſimul cum ipſis in noſocomio S. Spiritus Deo inſerviret, & ad animarum ſalutem pro ſuo munere, ut Sacerdotem decet, incumberet. Atque interea eos ad pietatem in pauperes impenſius exercendam aſſidue horta-

hortabatur. Quibus admonitionibus illud brevi eſt aſſequutus, ut pater & ſe totum Chriſto dederit, & egregiam Chriſtianae pietati operam, exemplum piiſſimae conjugis ſequutus, impenderit. Quum enim in *Confraternitatem*, ut vocant, noſocomii S. Spiritus una cum uxore fuiſſet adſcriptus, aegris egeniſque ibi commorantibus non modo ſuarum facultatum erogatione, verum etiam propriis manibus ſubſidium ferebat tam inſigni animi pietate, ut apud viros bonos multam ſibi benevolentiam & laudem compararet: quamquam, ut ſaepe accidit, improborum hominum invidia & malevolentia carere non potuit, qui optimos illius, & ſociorum labores multis obtrectationibus, irriſionibus, & conviciis inſectabantur; quae tamen ille, Caeſaris litteris in patientia roboratus, invicto ſemper animo ſuperavit. Ex quibus omnibus quantam Caeſar animo laetitiam conceperit, is nimirum intelliget, qui divinae caritatis incendio inflammatus, ſua tandem expleri ſenſit deſideria, quibus dilectum ſuum Jeſum in omnium cordibus imprimere concupivit. Cujus divini amoris impulſibus ipſe quotidie magis excitatus, parentes quoque ad majora ſemper pietatis opera urgere, ac Jeſum una provehere omni ſtudio nitebatur. Neque vero Caeſar in eorum ſalutem promovendam ſic incumbebat, ut pro ſuorum civium quoque invicem utilitate, ſicubi opus eſſet, non laboraret. Quocirca quum in eorum animis divini cultus obſervantiam, & chriſtianae doctrinae inſtitutionem magnopere defeciſſe cerneret, zelo domus Dei commotus Epiſcopum per litteras commonendum exiſtimavit, affirmans rem perutilem eum facturum, ſi nimirum aliquem penes ſe haberet ex eorum ſocietate, qui Romae, aliiſque in locis hoc ſibi ſuſceperant, ut pro feſtis diebus congregatis in Templo pueris rudibuſque hominibus chriſtianae doctrinae praecepta ſummaria edocerent. Quod Caeſaris conſilium quum Epiſcopus accepiſſet, enimvero optimum ratus, ab eo flagitavit, ut quamprimum rem totam ad exitum perduceret; quod ille non minori celeritate, quam prudentia, quam optarat, effecit. Quippe ab eadem ſocietate miniſtrum quemdam, Marcum nomine, virum ſpectata probitate ac fide, & in diuturna rerum ſpiritualium experientia valde verſatum, ideoque a multis expetitum, impetravit, eumque magnopere commendatum Soram miſit, ubi egregiam ſuam operam, ac laborem impendens, brevi tempore non exiguos pietatis fructus ex ea reportavit.

CAPUT VI.

Fit Sacerdos, & ejus acta in aedibus S. Joannis nationis Florentinorum.

DUM haec in Sorana civitate per litteras a Caeſare gerebantur, Romae Florentini cives S. PHILIPPUM in aedibus S. Hieronymi commorantem impenſe flagitarunt, ut ipſorum Eccleſiam S. Jo: Baptiſtae nomini dicatam adminiſtrare vellet, domum ſe illi, ſociiſque ad habitandum, & ſtipendium, de quo viverent, praebituros. PHILIPPUS quum multis effuſis precibus rem Deo commendaſſet, tandem in eam animi deliberatio-

Digitized by Google

nem devenit, ut piis eorum poſtulatis acquieſceret ea lege, ut in aedibus S. Hieronymi ſe remanere permitterent: qua conditione accepta, antequam creditae ſibi Eccleſiae adminiſtrationem aggrederetur, aliquot e ſuis diſcipulis inſigniri Sacerdotio voluit, quorum opera ad ſacra ibi miniſteria peragenda uteretur. Igitur inter alios Caeſarem triennio ante Diaconum ordinatum, cujus egregiam ſpectatamque virtutem jam optime noverat, elegit, qui & primus omnium ad Sacerdotii apicem eſt evectus anno Domini 1564. ſexto kal. Junii, aetatis ſuae annum agens vigeſimum ſextum, & deinde menſe Majo, primo die feſto poſt ſacrarum Ordinationum tempora S. Miſſae Sacrificium ſolemni ritu in eadem Eccleſia S. Joannis celebravit. Quanta autem divini Spiritus ubertate repletus, quantiſque coeleſtibus perfuſus gaudiis & ſacerdotale munus acceperit, & ſalutarem hoſtiam Deo immolaverit, ex eo facile conjectare licet, quod, cum S. Eccleſiam veluti cariſſimam ſponſam jamdiu ante electam incredibili animi ſtudio proſequeretur, nunc tandem aliquando totum ſe illi traditum, ac penitus conſecratum ſentiebat. Sacerdos factus, ſtatim ad aedes S. Joannis una cum aliis quinque Sacerdotibus PHILIPPO auctore ſe contulit, ubi eodem uti convictu incipientes, admirabili inter ſe voluntatum ac morum conſenſione verſabantur, in omnibus ſemper PHILIPPUM ſequentes, ducem praeceptoremque conſiliorum ſuorum. Ibi mirari licebat, quam egregiis ad virtutem progreſſionibus properaret, perfectum ſe PHILIPPI diſcipulum exhibere ſatagens, futurus non multo poſt caeteris presbyteri numeris omnibus abſoluti exemplar propoſitum ad imitandum. Itaque dabat operam quantam poterat, ut majorem quotidie ſui ipſius deſpicientiam compararet, ſubitos animi motus a ratione abhorrentes, ſimul ac excitarentur, extingueret, PHILIPPI non modo praecepta, ſed etiam nutus obedientiae celeritate praecurreret, nihil eo inconſulto ageret, ſemetipſum in omnibus vinceret: ita nimirum eo docente confiſus fore, ut ad ſpiritualis vitae perfectionem quamcitiſſime perveniret. Inſuper PHILIPPUM in Eccleſia S. Hieronymi commorantem quotidie adibat, apud quem culparum ſuarum confeſſionem peragebat. Miſſae Sacrificium ſingulis diebus pie religioſeque celebrabat, in divinarum rerum meditationibus verſabatur, aſſidue denique virtutum omnium & avidiſſimus erat, & ſtudioſiſſimus. Praeter caſtitatis votum, quod coram Epiſcopo, cum ſacris Ordinibus initiaretur, emiſit, tria inſuper alia adjecit, non ea quidem ex communi noſtrae Congregationis inſtituto, quae nullis annexa votis, vinculis dumtaxat chriſtianae caritatis obſtringitur, ſed ex peculiari privatoque ſuae erga Deum pietatis ſtudio profecta: unum obedientiae, qua ſe in omnibus, ut antea diximus, PHILIPPO obtemperaturum promiſit; alterum paupertatis, qua ſolo patrimonio contentus, Eccleſiaſticis beneficiis, aliiſque opibus repudiatis, vitam ſuam traduceret, ut pauperem presbyterum deceret; poſtremum humilis privataeque vitae, quam dignitatis omnis expertem uſque ad obitum retineret. Porro, obedientiae votum quam accurate ſervaverit, multa quidem argumento eſſe poſſunt. Illud inter caetera, quod ei PHILIPPUS aliquando praecipere ſolebat, ut ad caſtella, & oppida una cum ſocio adiret, ibique cibum ſibi neceſſarium eleemoſynae nomine emendicaret, ac rudes homines Chriſtianae doctrinae praeceptis imbueret, in quo munere

re aliquando vel triduum tranſigebat. Sed illud in primis ejus obedientiam facile declarat, quod ſub haec ferme tempora, anno ſcilicet *1566.* contigit, atque ipſemet jurejurando confirmatum reliquit. Laborabat Caeſar ſtomachi aegritudine tanta, ut ne modicum quidem cibum ſumere abſque graviſſima moleſtia poſſet. Huic inſuper capitis dolor adeo vehemens accedebat, ut a S. PHILIPPO omne ſibi & orationis ſtudium, & quaelibet alia mentis exercitatio penitus interdiceretur. Die quadam a prandio S. Patrem de more in cubiculo convenit, cui quomodo ſe haberet ſciſcitanti, aegre Caeſar reſpondet prorſus ut antea; nulla enim hactenus doloris remiſſio, cibi vero ſumptio ſtomacho difficillima. Tum PHILIPPUS digito rem indicans: *Sume*, inquit, *malum illud maſſilicum, & integrum illum panem, & coram me totum comede*. Exhorruit ſubito Caeſar praecepto tam gravi, magnum ſibi inde malum conſequuturum certo credens. Verum obedientiae, quam ſalutis, amantior, nulla facta mora, S. Crucis ſigno ſe ipſum praemuniens, totum illud malum maſſilicum, atque integrum panem, ſatis praegrandem, comedere non dubitavit. Qua in re illud plane admirationem omnibus praebuit, quod non modo Caeſari ullum inde doloris incrementum, quod haud dubie timebatur, non accidit, verum & ſubito melius habere coepit, paulo poſt ab omni penitus infirmitate convaluit. Ut hinc etiam facile videas, quanto obedientiae virtus ab inobedientia diſcrepet intervallo: quando hujus maleficio primus parens vetitum cibum ſumens in mortem corruit; Caeſar obedientiae beneficio & vitae reſervatur, & redditur ſanitati. Jam vero quo ad paupertatis ſtudium, eam quidem tantopere diligebat, ut contentus rebus neceſſariis & ſimplicibus, nihil amplius quaereret, nihil, quod pretioſum eſſet, appeteret, nihil, quod ad ornatum pertineret, admitteret, facultates dono ſibi oblatas recuſans, proprias pauperibus diſtribueret. Quam ad rem extant in omni ejus vita cum exempla plurima, tum praeclara, quorum aliqua ſuperius ſunt enarrata, alia inferius ſuo loco atque ordine referentur. Omni autem ſtudio, cura, diligentia, labore in id incumbere videbatur, ut de ſe continue abjecte, humiliter, demiſſeque ſentiret; quod ut praeſtare in omni vitae ſpatio poſſet, Deum precibus, lacrymis, ſuſpiriis, gemitibuſque orare obteſtarique non deſiſtebat. Et quoniam ad eam de ſe humiliter abjectiſſimeque ſentiendi rationem aſſequendam, quae in perfecta quadam omnium virtutum poſſeſſione habet fundamentum, exteriora quoque demiſſionis exempla plurimum conferre ſolent, eo quod animus noſter ad externos corporis habitus facile conformetur; idcirco in ſuimet contemnendi exercitatione ita graviter verſabatur, ut quum nihil ad ſui contumeliam deſpectumque pertinens effugeret, tum vero ipſe ſuamet ſponte ea facere ſtuderet, quibus & ſe palam contemneret, & omnem humanae gloriae faſtum conculcaret, nullam vel minimam honoris oſtentationem penes ſe reſidere paſſus. Quocirca quum eſſet doctoris gradu inſignitus, ut hanc ipſam qualemcumque gloriolae captandae ſpeciem ab ſe removeret, membranam, in qua doctoris privilegium grandioribus litteris exaratum continebatur, in exigua fruſta concidit, quibus deinceps tanquam ſignis ad notandas librorum paginas utebatur. Sed haec leviora ſunt, ſi cum eo, quod mox ſubjiciam, conferantur. Nam quum in aedi-

Digitized by Google

aedibus S. Jo: Baptiſtae una cum aliis noſtrae Congregationis Sacerdotibus verſaretur, non ſolum Templum ipſum verrebat, ſed quum inter eos ad humilitatem exercendam ea conſuetudo vigeret, ut ſinguli per ſingulas hebdomadas in parandis miniſtrandiſque dapibus ſibi invicem deſervirent, Caeſar non contentus ea hebdomada, quae ſibi certis temporibus ordinata ſucceſſione obtingebat, plures inſuper alias ſibi concedi pro ſummo ſcilicet beneficio poſtulabat. Quo in munere ita de ſe humiliter demiſſeque ſentiebat, ut in viliſſimis quibuſcumque atque abjectiſſimis muneribus exercendis miram quamdam animi laetitiam alacritatemque praeſeferret. Etenim ligna, & ſarmenta propriis aſportabat humeris, ignem accendebat, vaſa tergebat, cibos, quos emerat, parabat miniſtrabatque, denique univerſa, quae ad id muneris obeundum pertinere poterant, cumulatiſſime exequi ſatagebat. Crederes illum non in laboribus ſordibuſque verſari, non in fuligine atque fumo, ſed in amoenitate, & deliciis, in honore, atque gloria; adeo illius animus de ſui ipſius deſpicientia gloriabatur. Cujus rei illud praeclarum etiam edidit argumentum, quod die quadam majore humilitatis & ſui contemptus deſiderio inflammatus, in ipſis coquinae foribus e ſuperiore loco, ut ab omnibus proſpici ac perlegi poſſet, talem ſuo nomini titulum grandioribus litteris exaratum affixit, videlicet: *Caeſar Baronius coquus perpetuus*. Ita ſatis oſtendens, quantum ſibi chriſtiana humilitas cordi eſſet, qui pro Chriſti nomine glorioſos ſibi titulos duceret eos, quos mundanae prudentiae faſtu turgidi tanquam ſordidos contemnendoſque non ſolum effugerent ipſi, ſed in aliis irriderent. Multa alia referri poſſent praeclara Caeſaris opera, quibus in chriſtiana humilitate non ſolum a S. PHILIPPO virtutum magiſtro aſſidue excolebatur, ſed etiam ſemetipſum divino excitus impulſu exercebat, ut qui ſummopere ſtuderet, tanquam mundo mortuus, & prorſus ignorari, & pro nihilo duci: quod re ipſa ſaepe manifeſte oſtendit, dum ab aliis PHILIPPO annuente jocis, ludibriis, objurgationibus impeteretur, idque praeſertim quum unus ex ſociis, qui ut illius animum e nimio aliquando moerore, quem illi ſtudia, & meditationes, ac magis natura ipſa afferebat, exhilararet, jocis & facetiis frequenter excitare erat ſolitus, quum, inquam, plura quondam in ejus contumeliam liberiora ac mordacia dicta effudiſſet, plurimiſque eum injuriis nihil tale merentem oneraſſet, & laceſſiſſet, omnia ille per ſummam humilitatem & patientiam, nullo querimoniae ſigno dato, aequo libentique animo pertulit. Sed, quia ſingula recenſere longum eſſet, reliqua proſequamur.

CAPUT VII.

Ad conciones populo habendas eligitur, mox in confeſſionibus excipiendis occupatur.

QUum jam Caeſar ad Sacerdotii gradum evectus inſignem in chriſtianis virtutibus progreſſum feciſſet, ut caeteris tanquam exemplar ad recte honeſteque vivendum merito proponi poſſe videretur; PHILIPPUS, cui probe notus erat, eum primum ad concionatoris, mox ad confeſſarii mune-

munera in Eccleſia S. Joannis obeunda applicare ſtatuit. Quocirca anno
Domini 1565. in pervigilio SS. Apoſtolorum Philippi, & Jacobi ſub veſpe-
ram, hominem ad Caeſarem miſit, qui illum admoneret, ut confeſtim ſe
praepararet: velle namque ut ipſe ſequenti die ſuperpellicio indutus in eadem
Eccleſia publicam e ſuggeſtu concionem haberet, ideoque campanae ſigno
populum ad Eccleſiam convocaret. Quo improviſo & inexpectato nuncio
Caeſar, quod & labores diligebat, & jam ſui ipſius deſpicientiae amore me-
tum omnem vel amittendae, vel diminuendae exiſtimationis excluſerat,
nequaquam eſt animo commotus, neque ſe id nunquam antea egiſſe, mi-
nimeque ad id paratum, aut parum temporis ad cogitandum ſupereſſe,
queſtus eſt; ſed ſtatim abſque ulla excuſatione unius obedientiæ virtute
fretus, & impoſitum onus ſuſcepit, & utiliter illud laudabiliterque com-
plevit: id quod ſaepe alias ejuſdem S. PHILIPPI juſſu perfecit, cujus il-
lud erat perpetuum ſtudium, ut filios ſuos in ſpiritu perfectae mortifica-
tionis & obedientiae ſedulo exerceret. Ex hoc tempore coepit Baronius
una cum Joanne Franciſco Bordino, qui poſtea Cavallicenſi primum,
tum denique Avenionenſi Eccleſiae Pontifex datus eſt, alternis dominicis
diebus in Eccleſia Sancti Joannis publice e ſuggeſtu concionari tanto ani-
mi ardore atque ſpiritu, ut, quum frequentior in dies populi concurſus
ad eum fieret, plurimi illius monitis incitati, a depravatis moribus ad me-
liorem vitam traducerentur. Neque enim genere illo ſpecioſae, & omni-
bus luminibus, omnibus undique floribus exornatae atque expolitae ora-
tionis delectabatur, ſed Dominum noſtrum Jeſum Crucifixum praedi-
cans, claro, ſimplici, & abſque fuco excurrenti utebatur genere oratio-
nis. Res enim ſacrae divinaeque puram, caſtam, ſimplicem orationem
deſiderant, verba inſuper delecta, ſi vis, non tamen nimia cum cura
exquiſita, & undique excerpta, ut dignitatis major, quam gratiae ac
leporis ratio habita videatur. Sententiae, quae gravitate ac ſeveritate
laudentur, non tantum ſpecie ac venuſtate placeant: quae plus admira-
tionis & terroris, quam delectationis, audientibus incutiant: perrumpaut
pectora, unde noxios affectus expellant, non molliter influentes foveant:
denique doceant, & ad probitatem pietatemque inſtituant, non ad le-
vitatem vanitatemque erudiant. Quapropter minime Caeſar eos concio-
natores ſibi probari dicebat, qui non tam auditorum mentem divinis prae-
ceptis inſtruunt ad religionem, quam aurium voluptati morigerantes, om-
nique verborum lenocinio inſervientes, vanam quamdam delectationem
influere in eorum animos ſtudent. Quo enim de rebus maximis at-
que graviſſimis, de Deo, de pietate, de religione, de vitae diſciplina,
ſacratis in locis, ante aras, ante ſimulacra Dei, & veluti ipſius inſtinctu
numinis dicentibus, inanis ille atque indecorus apparatus ſonituſque ver-
borum? Quo illa tanto artificio & varietate diſtincta, tanto delibuta fu-
co, tot floſculis conſperſa, tot compta concinnis, tot denique coloribus
illita atque picta oratio? Et hi quidem quam vim, quam auctoritatem
habeant aut ad impellendos, aut ad continendos homines, ut vitiis ab-
ſiſtant, virtutem amplectantur? qui in re tam ſevera ita leves ſunt ac
diſſoluti, & permulcendis modo animis ſuavitateque perfundendis, non
frangendis evincendiſque intendant? Caeterum diebus ferialibus in Orato-
rio

Digitized by Google

rio Sancti Hieronymi ſaepius per hebdomadam ſermones habebat, non quidem ex excelſo loco, ſed in humili ſellula Eccleſiaſticae hiſtoriae narrationem exponens, ex qua tamen identidem aliqna ad componendos mores aptiſſima documenta depromebat. Eodem ferme tempore, anno ſcilicet 1564. confeſſiouibus excipiendis praefectus eſt, quod munus ad triginta & amplius annos cum incredibili ſalutis animorum ſtudio exercuit. Nam totus ad aliorum utilitates & eommoda procuranda intentus, omnes quibuſcumque poterat caritatls officiis eomplectebatur, verbis, litteris, preeibus, obſequiis, facultatibus, taota conteotione atque animi ardore ſingulis opem ferens, ut ſuimet oblitus, aliis natus videretur. Quamquam autem his de rebus plurimum laboris ſuſtinebat, tamen filiorum, quos in Chriſto pariebat, grata foecunditas incredibilem illi laetitiam afferebat atque jucunditatem. Qua de re ad patrem ſcribens, tantum ſe ajebat ex multiplici animorum fructu ſolatium eapere, quantum verbis exprimere non valeret; ut omne mundi gaudium, ſi cum eo conferretur, inſignis quaedam eſſet animi dementia atque triſtitia exiſtimanda; illudque ſibi apte conveoire, quod dicitur: *Laetare ſterilis, quae non paris, quia plures erunt filii ſterilis, quam ejus quae habet virum*: & illud Jacobi Patriarchae, quum dixit: *In baculo meo tranſivi Jordanem, & ecce cum duabus turmis regredior*. In his autem laboribus pro animorum ſalute ſuſcipiendis magnam ſibi populi benevolentiam conciliabat, inprimiſque civium Florentinorum, qui eum veluti patrem optimum, & impenſe reverebantur, & magnopere diligebant. Quapropter eum quandoque aegrotantem omnibus pietatis officiis proſequebantur, beatiores ſe ſinguli exiſtimantes, qui majora illi obſequia exhibere potuiſſent; bona vero affectum valetudine ita ſibi carum & conjunctum habebant, ut nullis precibus, nullis conditionibus adduci poſſent, ut eum ab ſe divelli & ſegregari paterentur. Itaque quum S. Carolus Cardinalis Borromaeus, audita Caeſaris ſpectata virtute, eum ad Eccleſiam Mediolanenſem, ut ibi ſuam operam proximorum utilitati impenderet, advocaſſet, id nimirum neque a Florentinis eivibus, neque a Sancto PHILIPPO impetrare potuit. Tantus erat eorum erga Caeſarem amor, tantaque viciſſim utilitas, quam ex illius laboribus & egregia morum conſuetudine reportabant.

CAPUT VIII.

Variis corporis aegritudinibus oppreſſus, Dei beneficio, & B. PHILIPPI precibus liberatur.

PER haec tempora variis Deus corporis infirmitatibus ſervum ſuum exercere voluit, quibus tamen illud eſt aſſequutus, ut ſimul in virtute patientiae confirmaretur magis, ſimul peculiarem erga ſe divinae vim protectionis agnoſceret. Primus morbus inde habuit initium, quod quum per eos dies ſaeviſſimus Turcarum Imperator Solimanus ingenti inſtructa claſſe ad Melitenſem obſidionem properaret, atque adeo Italiae, totiuſque nominis Chriſtiani exitium meditari videretur, ille ut erat Chriſtianae reipubli-

publicae ſtudioſiſſimus, ea de re magnopere commovebatur. Quapropter ut quibuſcumque rebus poſſet, rempublicam adjuvaret, precibus, lacrymis, corporis caſtigationibus diu noctuque Dei opem coepit implorare, tantaque animi contentione corpus ſuum vigiliis, jejuniis, flagellisque excruciare, ut reluctantibus membris nova vitae aſperitate, in graviſſimam febrim inciderit; ex qua tamen, Deo illum ad majora reſervante, convaluit. Sed non multo poſt, anno 1571. in proximorum ſalutem deſudantem nova corporis aegritudo invaſit, ex qua parum abfuit, quin ad interitum perduceretur. Quo tempore nocte quadam, antequam Oleo ſancto, utpote qui in extremo vitae diſcrimine eſſet adductus, inungeretur, viſus ſibi eſt per quietem ante Dei tribunal deferri, illumque vehementer orare obteſtarique, ut ſe in purgatorium iguem detrudi ſineret, omnibus vel minimis labeculis expiandum. Etenim mallet ſe ibi diutiſſime cruciari, quam ante ipſius conſpectum vel leviſſime ſordidatum apparere. Quo viſo ficut majorem divinae majeſtatis timorem concepit, ita ad illius voluntati propenſius obſequendum, vehementius excitatus eſt: quod recuperata quamprimum valetudine facere non praetermiſit. Sed vix ex tanto emerſus morbo, priſtinos labores reſumpſerat, quum anno ſequenti 1572. menſe Martio ineunte, graviſſima rurſus febri oppreſſus eſt. Haec ſenſim invaleſcens, eo tandem progreſſa eſt, ut undecimo morbi die Caeſar jam ſenſibus deſtitutus ultimum vitae exitum expectaret. Sed quum B. PHILIPPUS illius incolumitatem magnis a Deo precibus flagitaret, factum eſt, ut inſigni interveniente miraculo id ipſum quod poſtulabat obtineret; quod Caeſar praevio hoc indicio manifeſte cognovit. Quum enim in extremo vitae articulo, ut diximus, verſaretur, repente placidiſſimo correptus ſomno Chriſtum Dominum ſtantem, & ad ejus dexteram S. Virginem Mariam ſibi videre viſus eſt, ſimul B. PHILIPPUM his verbis ſupplicantem: *Da mihi Caeſarem, mihi illum redde; illum volo, illum ſerva*. Quibus ſaepe repetitis, atque ita velut alter Jacob cum Domino luctatus, quumque Jeſum abnuentem cerneret, PHILIPPUM videt ad S. Virginem converſum cum ea ſuppliciter agere, ut quod ex ſe a Filio impetrare non poterat, ejus interceſſione conſequeretur. Qua annuente, Filiumque exorante, tandem & PHILIPPUM voti compotem factum, & ſe gratiam conſequutum, Baronius intellexit. Itaque ſomno experrectus, fiducia plenus, mortis periculum ſe evaſiſſe laetabatur. Quumque PHILIPPUS eum ita in lecto jacentem conveniſſet, Caeſar, quae viderat, expoſitis, pro accepto beneficio B. Patri agere coepit gratias. Verum PHILIPPUS, cui perpetuus mos erat, ut quae laudabiliter & praeclare gereret, pro ſua animi moderatione quoad poſſet occultaret, rem diſſimulando ſupprimens: *Non eſt*, inquit, *ſomniis fides habenda; periculi plena res eſt, ac fraudi expoſita*: *idcirco id unum agito, ut ad omnia, quae Domino placuerint, omnino te paratum exhibeas*. Verum enimvero non inane falſumque Caeſaris ſomnium fuiſſe, ſed objectum a Deo, rei exitus declaravit. Nam eo ipſo die adeo ſe ex morbo graviſſimo recreatum ſenſit, ut medicis omnibus admirantibus, & B. PHILIPPI precibus rem acceptam referentibus, & vitam, & valetudinem in tuto collocarit.

CAPUT IX.

Ad aedes Eccleſiae S. Mariae in Vallicella, in quam Oratorium translatum fuerat, demigrat. In voluntaria corporis caſtigatione, & orandi ſtudio, ac pietate ſe ipſum exercet.

PRiſtinae iterum ſanitati reſtitutus Caeſar intermiſſos labores ita coepit reſumere, ut uberiores quotidie animarum fructus, tanquam bonus vineae operarius, Domino referret. Quo tempore Florentini cives ad majorem Congregationis populique commoditatem propriis ſumptibus laxiorem aedem conſtruxere, ubi & ſermones quotidie haberentur, ac reliqua Oratorii munera quae uſque ad id tempus in Eccleſia S. Hieronymi fieri conſueverant, exercerentur; quod per biennium magna cum animorum utilitate peractum eſt. Quo expleto, Oratorium in Eccleſiam S. Mariae in Vallicella translatum eſt, Gregorio XIII. Pont. Max. Patribus Eccleſiam concedente, & Congregationis erectionem, confirmationemque Apoſtolica auctoritate indulgente, quo in loco Patres propriam adepti ſunt ſedem Congregationis, novumque ibi Templum in honorem Deiparae Virginis, & Sancti Gregorii Magni, a fundamentis extructum eſt. Caeſar itaque kal. Auguſti anno 1576. omnium primus ad novas aedes venit magnamque percepit animo laetitiam in ipſo Vallicellani Templi aditu, tum quod in mentem ſibi veniret Eccleſia S. Mariae ad *Vallis-radicem* prope Soram, in qua, ut initio diximus, infantulus morti proximus vitam receperat, tum quia ſe ejuſdem ſanctae Dei Genitricis obſequiis, & Eccleſiae ejus nomini dicatae penitus addictum conſecratumque videret. Quamobrem ardentiori animi ſtudio, quaſi jam tunc in bonorum operum, laborumque ſuorum limine verſaretur, majora virtutum aedificia cum in ſe ipſo, tum in proximorum animis moliri coepit, proſtrata erigens, imbecilla confirmans, ſolidata conſervans, omnibus Chriſtianae perfectionis faſtigium imponere ſatagens. Quod ad ipſum pertinet, in ſui corporis vexatione erat acerrimus, quippe a deliciis omnibus longiſſime abhorrens, ſe ſe ciliciis, & flagellis aſſidue macerabat. Somnum vel vitae neceſſarium vix unquam explebat, quatuor ad ſummum, aut quinque contentus horis, reliquam noctis partem in ſtudiis, orationibuſque tranſigens: quod uſque adeo per reliquum vitae tempus conſtanter ſervavit, ut ſenectute jam confectus, non multis ante obitum menſibus ipſemet aliquando affirmarit ſe per triginta totos atque his amplius annos nunquam ad ſatietatem ſomnum cepiſſe. In cibo atque potu miram abſtinentiam ſervabat, adeo ut B. PHILIPPUS eum vel jam coenatum ad cibum reſumendum frequenter impelleret, ne ſcilicet ex nimia victus parſimonia aliquod valetudinis incommodum pateretur. His accedebat orationis ſtudium ſingulare, quo plenam divinis contemplationibus mentem aſſidue gerebat, ut propterea frequentiſſime modo ſanctam Dei Genitricem Mariam ſuppliciter invocaret, ſalutaret, ac benediceret, modo in immen-

ſam

ſam illam coeleſtium bonorum magnitudinem ſe ſe attollens, vel admiratione ſuſpenſus, vel ejus adeptioni totus inhians, emiſſo ex profundo corde ſuſpirio in illa Prophetae verba prorumperet: *O Iſrael, quam magna eſt gloria domus Domini, & ingens locus poſſeſſionis ejus!* Quae verba identidem de nocte, quum ſolus in cubiculo eſſet, ſubmiſſa voce inter ſtudendum repetebat, quandoque etiam interdiu, praeſertim quum inter ambulandum undique coelum patens circumſpiceret. Quibus aliiſque crebris precationibus raptim fervideque jaculatis miras in ſe divini amoris flammas excitabat, augebatque, eiſdemque tam crebra ſuſpiria, & lacrymas adjungebat, ut diu noctuque per ſingulas ferme horas aut plangentem, cernere potuiſſes, aut audire ſuſpirantem. Non enim contineri poterat ingens ille coeleſtium deſideriorum aeſtus exundans, quin aliqua ex parte foras erumperet, ac ſe ſe proderet, etiamſi maxime comprimeretur. Porro in Miſſae Sacrificio miram mentis puritatem, demiſſionem, caritatemque adhibebat: dolebatque vehementer, ſi quando graviori impeditus morbo piae placationis hoſtiam pro ſua, & totius mundi ſalute Deo offerre non potuiſſet. Ad haec Baſilicam S. Petri Principis Apoſtolorum praecipuo quodam orandi ſtudio fere quotidie inviſebat: quam conſuetudinem multorum annorum ſpatio ita conſtanter retinuit, ut ſive aeſtivi ſolis ardoribus cuncta torrerentur, ſive hybernis frigoribus coelum rigeret, ſive undique venti tempeſtateſque erumperent, ſive immenſa imbrium copia e coelo decideret, eam nunquam omittendam exiſtimarit vir & pietatis cultor eximius, & ad labores perferendos magnopere accommodatus. Sacrae autem Baſilicae limina aſcendenti, mirum erat intueri, quam copioſa pauperum multitudo occurreret eleemoſynas pro Chriſti amore ab eo depoſcentium, quas ille ſumma animi pietate liberalitateque ſingulis dilargiebatur. Inter haec accidit aliquando, ut eamdem Baſilicam ingredienti puerorum pauperum coetus, quem vir ſpectatae probitatis, *Litteratus* vulgo dictus, eleemoſynis hinc inde collectis ſibi alendum gubernandumque ſuſceperat, obviam veniret, eumque quaſi agmine undique facto circumvallaret, ſtipem expectans. Cumque Caeſar *Litterato* accedenti argenteum nummum de more tradidiſſet; ille ſtatim quaſi prophetico afflatus ſpiritu: *Nae tu*, inquit, *Caeſar horum puerorum protector es futurus*. Quae res ita prorſus ut praedixit, evenit. Siquidem non multo poſt ad Cardinalatus dignitatem evectus, eorum patrocinium ſponte ſuſcepit. Porro Templum ingreſſus, incredibile dictu eſt, quantas pietatis, atque animi modeſtiae ſignificationes daret, humi proſtratus, crebraque pedibus aeneae S. Petri ſtatuae, aliiſque ſacris locis figens oſcula. Ubi vero ad ſacras BB. Apoſtolorum reliquias pervenerat, ſtatim admirabili quadam fide, animique praeſentia, ac ſi eos viventes cerneret, intimos cordis ſui gemitus expromebat, eiſque non modo ſuas, ſed & aliorum neceſſitates quanta poterat mentis corporiſque ſubmiſſione commendabat, caritate vero tanta, ut ſuo illo ampliſſimo ſinu pectoris univerſum mundum complecti, eumque penitus in ſua viſcera recondere velle videretur: ſuaſmet aliorum ducens neceſſitates, dum omnium hominum ſalutem multis cum lacrymis a Deo flagitaret. Atque in primis graviſſimo ſemper dolore angebatur, quod videret Eccleſiam Dei, quam ardentiſſime diligebat, tot undique calamitatibus ſeptam, haereticorum

reticorum inſidiis circumventam , quodque dolendum magis , perditis deturpatam moribus Chriſtianorum . Quocirca quum primum novam aliquam Eccleſiae neceſſitatem imminere intelligebat , confeſtim aſperrimo indutus cilicio, ante B. Mariae Virginis imaginem humi pronus ardentiſſimis precibus ejus opem implorans, in haec fere verba prorumpebat : *En vides ſancta Dei Mater , in quot quantiſque calamitatibus atque periculis dilecti Filii tui Eccleſia verſetur . Ego vero nec unquam hoc cilicium deponam , neque te exorandi finem faciam , donec periclitanti Eccleſiae ſubſidium feras , malumque , quod impendet , avertas .* Atque ita inter varios mentis corporiſque dolores ſimilem quemdam in ſe exprimebat Davidis affectum , quo *neque ſomnum dabat oculis ſuis , neque palpebris ſuis dormitationem , nec requiem temporibus ſuis* , donec voti compos evaderet . Denique is erat ſuus orationis amor , ac ſtudium , ut quaſi rerum omnium oblitus , & in ſolitudine vitam degens , ſoli Deo vacans , hanc unam haberet vitae ſuae comitem & ſociam , quam a ſe vel ad exiguum tempus divelli minime patiebatur . Itaque quamquam ad proximorum utilitatem procurandam ſicuti , quum caritas urgeret , libentiſſime deſcendebat , eorum videlicet peccata ſacramento poenitentiae abſtergens , inviſens aegrotos , ſolans afflictos , pauperibus viduis , ac pupillis opem ferens , quorum ſaepe apud Judices defenſionem pro ſua caritate ſuſcipere non recuſabat ; ita tamen ab externis actionibus liberam ac ſolutam mentem reſervabat , ut quum maxime negotioſus eſſet , tum ſcilicet otioſior videretur , animo ad ſe vehementius advocato , & corporis ſolitudinem interim praeſtolante . Verum licet haudquaquam officere illi potuiſſet eorum negotiorum exercitatio , quae corporis miniſterio praeſertim geruntur , quod ejus mens caducarum rerum conditionem veluti exuta , divinoſque induta mores , nihil ex horum tractatione foeditatis acciperet ; tamen quoniam ipſa non ſolum animi , ſed etiam corporis ſolitudo non mediocriter prodeſſe poterat , quod illius mentem rebus ſublunaribus penitus ſolutam ac liberam , uni Deo magis intentam , atque conjunctam eſſe ſineret ; idcirco , ut ſe ipſum a rerum externarum occupationibus ad majorem mentis ſolitudinem revocaret , his verbis ſe identidem compellare conſueverat : *Contine te domi Caeſar , ſiſte domi* . Quibus ita admouitus , ac ſecularium negotiorum tumultibus , praecipue vero aulicorum , ſe quammaxime ſegregans , in cellulam ſuam , quaſi columba ad arcam , celeriter revertebatur.

C A P U T X.

Pauperum indigentiis opitulatur .

QUUM autem inter ea , quæ ad noſtrum uſum & utilitatem ſunt a Deo in hac rerum univerſitate creata , homines praecipue ad mutua ſibi officia praeſtanda comparati videantur , quumque optime Caeſar ſciret , nil magis , ſi poſſet , homini cordi eſſe debere , quam ſui ſimilibus auxilio eſſe , atque indigentibus ſubvenire , nihil plane erat , in quo illis opem non ferret : quippe non tantum ipſorum animis , ut modo dictum eſt , & ſequen-

quenti capite fuſius dicemus, verum etiam corporibus, quae ad vitam conſervandam ſunt neceſſaria, adminiſtrabat. Et in eleemoſynis quidem pauperibus diſtribuendis, mirum eſt, quam magna afficeretur animi jucunditate, fructu videlicet illius internae pietatis, quam olim ab infantia, quaſi cum lacte hauſtam, optimae matris exemplo ſic aluerat, ut jam totus ex ea compactus formatuſque videretur. Neque vero in iis erogandis oculata diſquiſitione pauperum indigentiam ſcrutabatur. Quippe ſatis intelligebat in hujuſcemodi rebus vel ipſum errorem pietatem eſſe cenſendum, praeſtareque magis etiam non indigenti eleemoſynam Chriſti nomine tribuere, quam unum aliquem dimittere, ope fortaſſe neceſſaria deſtitutum. Itaque providam omnibus, & liberalem aperiebat manum, nemini petenti ſubſidium negans, quin etiam ultro illud offerens vel non rogatus, & unum tantum dolens, quod largiri etiam ampliora non poſſet. Ex plurimis, quae per haec tempora edidit ſui erga pauperes ſtudii argumenta, nonnulla breviter exponam, unde illius animum conjectare unicuique liceat. Gregorio XIV. Eccleſiam gubernante, quum ingenti annonae caritate Roma vexaretur, Caeſar pauperum inopiam miſeratus, thecam reliquiarum pretioſam illam quidem, & affabre elaboratam, ſibi vero in primis cariſſimam, ultro vendidit, cujus pretium, quoniam emptioni frumenti, quod optabat, non erat ſatis, pecunias inſuper mutuatus eſt, quibus quum frumentum coemiſſet, piſtori tradidit, a quo confectos panes acciperet, quos deinde ſacco incluſos ipſemet per urbem circumferens, aegrotis, ac pauperibus, quos fame propemodum necatos in domibus, vicis, plateis, & viarum angulis comperiſſet, ſuis manibus elargiebatur, idque tam effuſa animi miſericordia & liberalitate, ut etiam conſtanter aſſeveraret, ſi arbitrio ſuo ſolus viveret, omnino paratum ſe eſſe non modo quas habebat pecunias, libros, ac ſupellectilem, ſed illum ipſum quem vitae ſuae ſuſtentandae neceſſarium ſumebat cibum, ex proprio ore ſibi detrahere, & pauperibus impertiri. Erga inopes virgines praecipua ejus animi pietas enitebat, propterea quod earum honeſtatis conſervandae ſtudioſiſſimus erat. Quocirca in eo omnem adhibebat curam ac diligentiam, ut iis vel minimum periclitantibus conſuleret, opem ferret, eaſque ſuis eleemosynis ſublevaret. Erat extra urbem in monte Janiculo prope viam triumphalem virgo quaedam paupercula aegrotans, & ſubſidiis deſtituta. Id Caeſar ut intellexit, ejus egeſtati, honeſtatique conſulens, duabus piis feminis praecepit, ut eam adeuntes ſecum in paternam domum deducerent, in qua quum propter inopiam neque lectulum haberent in quo virginem inopem collocare poſſent, Caeſar ſuum ſibimet lectuli ſtramen in quo jacebat, ultro ſubtraxit, & indigenti tradidit, in caeteris eidem opitulari ſolicitus. Neque ſolum juvandis earum corporibus operam dabat, verum multo magis ad animarum ſalutem incumbebat. Idcirco plurimis honeſtis virginibus auctor fuit, ut monaſticae vitae rationem amplexae; mundique illecebris valere juſſis, puritatem in tuto locarent; ad quod neceſſarias illis dotes hinc illinc conquirebat, multa inſuper ſibi detrahens, & attribuens de ſuo. Familiae cuidam ſumma inopia laboranti ſubſidia omnia ad animarum corporumque ſalutem pertinentia ſubminiſtravit uſque adeo, ut non modo patrem, & matrem, duoſque filios ad comparanda victui neceſſaria prorſus inutiles, ſed etiam quin-

quinque filias cum duabus neptibus eleemoſynis ſubſtentarit; quibus etiam ut ſua corpora veſtibus obtegere, & velatis capitibus Eccleſiam adire poſſent, ſua illis quandoque indumenta, ut etiam aliis, & candida lintea ſibi detrahens, impertitus eſt, eaſque deinde quum in eximia vitae puritate honeſtiſque moribus diligenter educaſſet, ſuis, & aliorum eleemoſynis adjutas ſacrarum virginum coenobiis conſecravit. Pauperum mortuorum corporibus ſepulturae mandandis egregiam quoque pietatis operam navabat; cereas enim faces, & alia ad id neceſſaria ſuis ſumptibus coemebat, & eorumdem exequias funebribus precationibus proſequebatur. Praeterea, ſi cui pauperum neceſſitati ſua ipſe ope ſubvenire non poterat, alienam exquirebat. Ubi vero neque ſuam adeſſe, neque aliorum facile ſperari poſſe ſentiebat, ne tum quidem deponebat animum; ſed ut amanti nihil videbatur arduum, ita divina ſpe fretus, omne quod pauperibus ſubſidium expetebat, omnino ſe conſequuturum pollicebatur. Quod quidem ſummopere Deo gratum fuiſſe ipſemet exemplo, quod ſubjiciam, declaravit. Virgo quaedam inops, egregia forma, atque aetate integra, cujus confeſſiones Caeſar audire conſueverat, quum & ſuadente inopia, & perditorum hominum opera ad malum incitari videretur, ejus pudicitia hoc uno videbatur effugio defendi poſſe, ſi alicui collocaretur in matrimonio. Verum quum hoc ipſum ſumma ejus paupertas prohiberet, in maximo & honeſtatis, & aeternae ſalutis amittendae periculo verſabatur. Itaque Caeſar corporis, & animae periclitantis miſericordia commotus, eam honeſto viro uxorem tradere cogitavit; & licet nulla ſibi tum adeſſet vel facultas dotis elargiendae, vel ſpes illius ab hominibus expectandae, tamen ab uno Deo, in cujus providentia totus nitebatur, certam omnino ſibi opem affuturam non dubitabat. Hac igitur Dei fiducia innixus, hominem quemdam convenit, eique ſermonibus ultro citroque habitis tandem de matrimonio conſentienti, quingentos aureos dotis nomine infra quinque menſes ſe daturum pollicetur. Sponſione facta vir uxorem ducit, qui deinde, quatuor jam menſium ſpatio exacto, Caeſarem de dotis ſolutione primum quidem paucis admonere coepit, tum vero moram trahenti rurſus inſtare, mox illum urgere, & ſolicitare vehementer. Contra Caeſar optimam illi ſpem quotidie addere, nihil de divino diffidens auxilio, nihil haeſitans, atque ita hominem ſpe ſubſtentatum paullatim uſque ad extremum fere ſponſionis terminum pertraxit. Verum quum jam conſtitutum tempus adveniſſet, & vehementius, quam antea, ad perſolvendam dotem urgeretur, omnibus plane ſubſidiis deſtitutus Caeſar, quum nihil haberet, unde ſponſioni ſatisfaceret, divinum dumtaxat auxilium praeſtolabatur. Res mira! Non permiſit optimus Deus irritam abire tam inſigniter probatam confirmatamque fiduciam; ſed illi ut opportuno, ita gratiſſimo auxilio praeſto adfuit. Nam ex improviſo ecce vir nobilis, non minus opibus, quam liberalitate affluens, nihil prorſus rogatus, Caeſarem convenit, eique omnino quingentos aureos ſponte offert ſuomet arbitrio in eleemoſynam erogandos. Quibus Caeſar acceptis, divinae providentiae beneficium agnoſcens, plurimis Deo, pientiſſimoque viro gratiis peractis, enumeratam pecuniam, quam ſpoponderat, ſtatim marito perſolvit, atque ita ſponſae ſalutem in tutiſſimo collocavit.

CAPUT

CAPUT XI.

Matris animam e corpore egredientem videt, eique primum, mox patri juſta perſolvit.

PER haec tempora, anno ſcilicet 1580. VIII. kalendas ſextiles, die S. Jacobo Apoſtolo ſacra, Portia Phoebonia, Caeſaris mater, Sacramentis omnibus rite ſuſceptis, ex hac vita diſceſſit, exitu ſane feliciſſimo, ac ſumme optabili, nimirum bene anteactae vitae conſentaneo. Fuit enim erga pauperes pietate inſignis, quam praecipue in domo hoſpitali S. Spiritus, de qua ſupra diximus, in cujus ſodalitium una cum marito adſcripta fuerat, ſexdecim fere annos exercuit, aegrotis, egeniſque ſuas non modo facultates attribuens, verum etiam propriis manibus aſſidue diligenterque deſerviens. Viduas, pupillos in cuſtodiis detentos, egenoſque omnes quibuſcumque poterat pietatis officiis ita ſublevabat, ut omnium mater eſſe videretur. Atque his omnibus caritatis officiis accedebat praeterea aſſiduum orandi ſtudium, pia Sacramentorum frequentia, Eccleſiarum cultus, in adverſis rebus patientia, in proſperis moderatio, aliaeque virtutes, quibus ſe Deo, atque hominibus gratam exhibebat. In ejus autem obitu accidit res plane memoratu digniſſima, & quae divinam in Caeſarem benevolentiam ſatis declarare videtur. Quo enim momento temporis e vita migravit, Caeſar qui tunc Romae in Eccleſia confitentibus peccata operam dabat, illius animam in Coelum abeuntem conſpexit. Cujus obitum ut clarius intelligeret, ſtatim hominem miſit, qui rem explorate cognitam atque perſpectam ſibi renunciaret. Is in itinere obvium habuit nuncium litteras ad Caeſarem perferentem, quibus de matris obitu admonebatur: quas Caeſar cum perlegiſſet, obiiſſe eam comperit eadem ipſa hora, qua ſe illi per viſum divinitus oſtenderat. Itaque de aeterna illius ſalute haud dubiam ſpem habens, tantum abfuit, ut de illius morte dolorem acceperit, quin potius incredibili laetitia perfuſus eſt, ſimulque moerentem patrem per litteras conſolatus, quod plane certum ſe eſſe diceret, illam a Deo fuiſſe coeleſti beatitudine cumulatam. Caeterum ut erat grato ac pio in parentes animo, eidem de more juſta perſolvit; utque optimae matris memoria poſteritati commendaretur, ſequens epitaphium in marmore inſculptum illius tumulo imponi voluit:

D.O.M.

D. O. M.
PORTIAE PHOEBONIAE
MULIERI RELIGIOSISSIMAE
PAVPERVM MATRI
CVI VIVERE CHRISTVS
ET MORI LVCRVM FVIT
CAMILLVS BARONIVS CONJVX ET CAESAR F.
OB VIRTVTVM MERITA POSVERE
LICET EXIGVA AMPLIORA MERENTI.
OBDORMIVIT IN DOMINO
OCT. KAL. AVG. ANNO DOMINI MDLXXX.
CVM IMPLESSET AD HORAM VSQVE
ANNVM SVAE AETATIS LXV.

Ad haec patrem admonuit, ut recurrente ſingulis annis ejus obitus die certis aliquot pauperibus menſam inſtrueret, die vero ſequenti preces, & Sacrificium pro defunctis offerri ſolitum, decantandum curaret, & Eccleſiae presbyteris convivium pararet opipare; exiſtimans merito illius memoriam honoribus recolendam, a qua & corporis vitam acceperat, & cujus precibus lacrymiſque, ſi quid in ſe haberet Chriſtianæ pietatis, maxime acceptum referebat. Quod ipſum debitae pietatis officium non multo poſt patri etiam perſolvit, qui honeſtum vitae ſuae curſum felici exitu conſummavit.

CAPUT XII.

Peccantes corrigit, eoſque ad emendationem & ſalutem revocat.

PORRO Caeſar ſicut erga proximos in iis quae ad corporum ſubſidia pertinent, magna pietatis officia exercebat, ita majori ſtudio atque opera contendebat, ut ipſorum animos corporibus praeſtantiores & revocaret a vitiis, & ad aeternam ſalutem permoveret. Quocirca ſi quando tempus opportunum accidiſſet perditos homines corrigendi, tanta eos reprehendebat moderatione atque auctoritate, ut ei vix quiſquam niſi plane perditiſſimus ſe auderet opponere. Inter caetera illud eſt exemplo, quod adhuc ſimplex Sacerdos quum nonnullos principum famulos prope ſacrum locum alearum ludis intentos inveniſſet, extractis ex eorum manibus aleis, ita eos arguit, increpavitque, ut nemo caeteroqui audax, & importunus, in ipſo ludi fervore, ignoto ſibi viro auſus quicquam fuerit reſpon-

reſpondere, ſed fixis in terram obtutibus omnes Caeſaris gravitatem majeſtatemque reveriti ſe ſe continuerint, ludumque dimiſerint. Neque vero ullum hujus ſeculi Optimatum Caeſar pertimeſcebat, ut propterea, ſi res poſceret, eorum abire ſineret inemendatum ſcelus. Etenim uni ſubnixus Deo, cujus invictae potentiae omnes mortalium vires ſuccumbunt, nihil ſibi arduum ducens, nihil non moliebatur. Accidit per id tempus res ſane memorabilis, digna plane quae in hiſtoriae monumentis locum obtineat. Quum Caeſar confeſſionibus peccatorum audiendis operam daret, inter caeteras honeſtiſſimas feminas ſibi in Chriſto filias unam in primis habebat non tam Romana praeditam nobilitate, quam morum honeſtate conſpicuam, cujus veſano amore captus primarius quidam aulicus nulla neque ſacrorum locorum reverentia, neque aliorum qui aderant offenſione continebatur, quominus illius honeſtati inſidias tenderet. Itaque etiam in Eccleſia, quo tempore populus ad ſacra frequentanda convenire ſolet, ſceleratos & impudicos in eam obtutus injicere, ſuaeque mentis inſaniam ſignis palam oſtendere non verebatur. Hoc ubi Caeſar animadvertit, primo quidem Chriſti praecepti non immemor eum in ſpiritu lenitatis, & vultu ad modeſtiam humilitatemque compoſito breviter admonet, cavere velit, ne quid deinceps in domo Dei immodeſtius agat. Verum quum exhauſto penitus rubore, adhuc incepto magis magiſque perſeverantem cerneret, tanti ſceleris indignitate commotus, divinaeque gloriae zelo exaeſtuans, & coeleſti corroboratus ſpiritu, aſſumens ſcutum inexpugnabile aequitatem, illico ſurgit e ſella, & ardentibus oculis, gravi ſupercilio, terribilique verborum vi confeſtim exire jubet e Templo hominem impudentem. At ille inſano percitus furore, ſpreta divini Numinis praeſentia, & Caeſaris admonitione contempta, durus & importunus, projectoque ad audaciam vultu, primo quidem verbis contra Caeſarem ſtare, ſibique ut conſuleret inculcare, tum vero minas addere, compenſaturum ſe ſcilicet, ni taceret, verba verberibus: interim agitari corpore, micare oculis, ardere vultu, ore fremere, ira totus excandeſcere. Haec ubi inter caeteros intellexit Franciſcus Maria Tauruſius, noſtrae Congregationis Sacerdos, qui poſtea Cardinalis creatus eſt, vir multae auctoritatis & virtutis, confeſtim aſſumens zelum domus Dei, homini inſolenti obviam dat ſe ſe, praecipitque, ut omnino modeſte ſe gerat, vel certe excedat e Templo. Ad quem ille: *Nihil mihi tecum, Pater, negocii eſt, ſed cum Presbytero illo oblongo*: ita Caeſarem, cujus nomen ignorabat, oculis manuque deſignans, quem etiam iterum ac ſaepius ad foras egrediendum, & pugnam ſecum ineundam, quaſi unum aliquem gladiatorem provocabat. Quem quum ita ſibi inſultantem Caeſar audiret, *Abi tu quidem*, ait, *abi: ecce enim egredietur Dominus pro me pugnaturus*. Mirabile dictu! Brevi interjecta mora, quum in equum conſcendiſſet, ecce ſcelus ulciſcente Deo, graviſſimo impetu equo excuſſus, protinus in terram praeceps dejicitur, & altera fracta tibia ſemianimis domum reportatur. Interea benignus Dominus, qui vulnerat, & medetur, percutit, & manus ejus ſanant, illius ſalutarem animae medelam parans, cujus corpori acerbum vulnus inflixerat, e repentinae mortis periculo ereptum ad verae poenitentiae ſpatium reſervavit. Quocirca revocato quamprimum animo, quum perpetrati criminis poenam per-

Digitized by Google

ſenſiſſet, pio dolore compunctus, Caeſarem ad ſe accerſiri juſſit, cui petita ſuppliciter venia, multis cum lacrymis totius anteactae vitae ſcelera confeſſus eſt: atque ex eo tempore, poſtquam convaluit, eidem Caeſari culpas ſuas in ſacramento Poenitentiae aperire, ejuſque conſiliis regi conſuevit, in ſuſcipiendo ſacro Chriſti corpore, diviniſque ſermonibus audiendis ſtudioſus & frequens, & in aliis Chriſtianae pietatis operibus feliciter laudabiliterque uſque ad obitum perſeverans. Per id tempus accidit aliud quippiam in hoc genere, in quo eximia Caeſaris erga delinquentes proximos caritas magnopere enituit. Nam Gregorio XIII. P. M. cum Bartholomaei Catenae de Monte S. Joannis in Campania, patria exulantis, feritas & immanitas in plurimorum caedes baccharetur, ejuſque incenſae crudelitatis faces loca in primis Sorae proxima dire funeſtarent, Caeſar tantorum ſcelerum atrocitate commotus, populorumque calamitatem miſeratus, eum ſibi debellandum ſuſcepit, quem coercere multorum principum vires haudquaquam poterant. Itaque aſſiduis precibus, eleemoſynis, ſacrificiis, & peregrinationibus ad Deum recurrens, rem aggredi coepit; nec ſuam in id operam ſatis ducens, aliorum etiam ſacrificia, & preces ſedulo flagitabat. Inſuper epiſtolam paraeneticam mittendam curavit ad cuſtodem coenobii ordinis Capuccinorum, iis regionibus proximi, illum obſecrans, ut hominem in ſilvis & ſaltibus degentem reperire, eique epiſtolae ſenſa patefacere vellet. Cum litteris octo etiam ſacras coronas miſit Pontificiis indulgentiis inſignitas, filis ſericis floſculiſque concinne ornatas, appenſis imagunculis in aere aurato inſculptis, quo ſilveſtres illius, & ſociorum animos ad eas libentius accipiendas alliceret, in eoſque pariter erga beatam Virginem Mariam pietatem inſinuaret, quae deinde ſuo tempore maximo illis foret emolumento. Coenobii cuſtos his a Caeſare acceptis, illico caritate perurgente in viam dat ſe ſe, hominem reperit, ei munuſcula offert, ac litteras, quas legere ignorabat, exponit. Quibus intellectis, quoniam ad commovendos animos non parvam vim habebant, magnis ad poenitentiam ſtimulis impius homo ſe ſe concitatum ſenſit, atque, ut poſtea retulit, in eam cogitationem venit, in eamque ſpem ſuum animum erectum ſenſit, fore aliquando, ut omiſſa ea prava vivendi ratione in alias ſe regiones transferret, alicui ſacrae religioni nomen daturus. Et quidem quum in alia loca demigraret, non modo abſtinebat a caedibus, verum etiam angelicas ſalutationes eo numero, qui *Corona* vulgo dicitur, frequentiſſime recitabat, & ſe ipſum animo menteque colligens, ſaepe vitae ſuae calamitatem ac ſcelera deplorabat. Verum quia recens inſita pietas altas in ejus animo radices nondum egerat, quum quemdam propinquum ſuum inimici manu interfectum cognoviſſet, ira atque furore percitus tanta ulciſcendae injuriae cupiditate flagravit, ut in interfectoris facultates ac bona irrumpens, ejuſque vitae inſidias continue tendens, ubicumque poſſet, crudelitatem ſuam exercere ferocius, quam antea, niteretur. Quod vitae genus ad integrum, & eo amplius annum protraxit; donec iteratis Caeſaris admonitionibus ac precibus iterum excitus, & quietae vitae deſiderio permotus, patriam longe deſerere, atque alio ſe conferre cogitavit. Verum, illius ſaluti opportunis remediis interim conſulente Deo, contigit, ut quum ad Monteroſum iter haberet, in Romanae curiae lictores incideret, a quibus comprehenſus,

lienſus, quum de ſui defenſione nihil cogitaret, perinde quaſi mentem ac vires amiſiſſet, Romam vinctus in carcerem deductus eſt. Quod ubi primum Caeſar intellexit, continuo ejus ſalutis longe quam antea ſollicitus, obtenta a ſuperioribus facultate, carcerem ingreſſus, hominem convenit; quem paterna caritate complexus, ad divinam in ſe miſericordiam agnoſcendam excitavit, quippe quem Deus ad ſalutaris poenitentiae ſpatium reſervaſſet, neque permiſerit, ut deſertis in locis, ubi tot annis vitam egerat in omni flagitiorum genere, extremum diem obiret ſacerdotum auxilio, & ſacramentorum copia deſtitutus, ſed Romam deduci voluerit, ubi culpas ſuas confeſſione detergere, Chriſti corporis particeps fieri, plenam peccatorum indulgentiam conſequi, ſibique ad ſuſcipiendam mortem optime praeparato aditum ad aeternam vitam patefacere poſſet. Quibus ille verbis facillime commotus, ſumpto bidui ſpatio in accurata totius anteactae vitae trutina inſumendo, interim a Caeſare optime inſtructus, omnia perpetrata ſcelera ſummo animi dolore ſenſuque pietatis Caeſari de more confeſſus eſt. Mirum erat videre, quam homo antea perditiſſimus, eſſet in loquendo parcus, ut vultu geſtuque corporis compoſitus, in ſpiritualibus exercitationibus humilis effectus ac ſimplex, quam demiſſo animo ante Jeſu Chriſti crucifixi, & beatae Mariae Virginis imagines genua flecteret, terraeque oſcula defigeret corpore vel plurimum debilitato. Occupaverat illius animum mentemque peccatorum dolor uſque adeo, ut ſaepe etiam media nocte manantibus per ora lacrymis vitae ſuae ſcelera deploraret. Porro Caeſar, quo illius mentem ad orationis ſtudium vehementius incitaret, octo diebus antequam neci traderetur, aliquot illi pias meditationes, & peculiares quaſdam exercitationes propoſuit obtulitque, quibus ad divinae majeſtatis cognitionem ac reverentiam, ad hujus inanis caducaeque vitae contemptum, ad criminum enormitatem deteſtandam, eorumque veniam impetrandam facile commoveretur, atque in ſpem quammaximam ſummae divini Numinis clementiae & miſericordiae erigeretur. Quibus ille rebus tanta brevi pietatis incrementa accepit, ut pridie quam e vita diſcederet, Caeſarem rogaverit, ut ad ejus cum amicos, tum inimicos litteras daret, quibus illos ad quietam tranquillamque pacem inter ſe conciliandam & ſtabiliendam hortaretur, eumque obteſtatus fuerit, ut ab omnibus, quos ipſe unquam offendiſſet, ſuo nomine veniam peteret: ſe enim, quum jam nil aliud haberet, unde illata eis damna compenſare poſſet, vitam ſuam & ſanguinem Deo, atque ipſis offerre. Itaque ejus rogatu litterae ad Proregem Neapolis miſſae, in quibus ut ſibi inobedientiam ignoſceret poſtulabat, teſtatus optare ſe, ſi potuiſſet, tot in locis morti ſe tradere, ac ſanguinem vitamque profundere, in quot ipſe alios morte, aliiſque calamitatibus afflixiſſet; interim promptam animi voluntatem ne recuſaret. Jam vero morti damnatus, quum ſupremus illi dies inſtaret, percunctanti cuidam, num mortem perhorreſceret, ſe minime timere, quin potius eam libenter expectare reſpondit: quod quidem, non ex animi feritate, ſed ex Chriſtianae mentis humilitate pietateque dicebat. Supremam noctem una cum Caeſare ſibi aſſiſtente in ſpiritualibus exercitationibus totam fere conſumpſit. Summo mane miſſae Sacrificio interfuit, & coeleſtis Euchariſtiae ſacramento ſe communivit, optima ubique Chriſtianae pietatis indicia praeſeferens,

Ad

Ad extremum quum carnifex laqueum in ejus collum illaturus acceſſiſſet, non modo non exhorruit, ſed ultro ſe praebuit. Quumque nudanda brachia, & inurendum flammanti forcipe pectus offerret, admonitus, ut patienti animo cruciatus illos ſuſtineret, oculis in coelum erectis, ſublataque voce, conſtantius, quam unquam antea. *Fiat*, inquit, *voluntas Dei: equidem ſpero, illum mihi auxilio fore, quo omnia patienter feram*. Quumque a carnifice veſtibus exueretur, forti magnoque animo, *ſolve*, ajebat, *hanc fibulam*, *hunc annulum*, *hoc age*, *fac illud*, perinde quaſi ad ſe ipſum nihil omnino res pertineret. Mox egreſſuro e carcere Sacerdos quidam quum ſuperioris vitae noxas in mentem reduceret, ne graviora fortaſſe & acerbiora, quam par erat, mortis ſupplicia ſibi viderentur, inter caetera: *Cogita*, inquit, *quot a recta vivendi ratione olim abſtraxeris*, *& ad crudelia facinora perpetranda traduxeris*. Cui ille nullo perturbationis ſigno dato, modeſte admodum reſpondens: *Id equidem*, inquit, *Dei beneficio nunquam egi*, *neminem od meae vitae pravitatem attraxi; quin multos*, *qui ad meam ſe ſocietatem includi cupiebant*, *interrogabam*, *quare voluntarium exilium ſumere*, *vitamque ſuam tot tantiſque laboribus & periculis vellent exponere*, *eoſque*, *ut pacem ſectarentur*, *ſuaeque conſulerent incolumitati*, *hortatus*, *a me dimittebam*. Jam vero eductus e carcere, ac vehiculo impoſitus, candenti ferro inurendus per urbem trahebatur infinita populi multitudine ad ejus mortis ſpectaculum confluente. Quo tempore miram profecto animi in perferendis cruciatibus conſtantiam praeſetulit, quum nullum neque gemitum, nec querimoniae ſignum daret. Tandem ad ſupplicii locum deductus, quum paululum oraſſet, adhibita brevi ſuorum peccatorum confeſſione ſe iterum Deo conciliavit, atque adſtantium precibus ſe ipſum commendans, interim ejus animum piis monitis Caeſare confirmante, mortis ſupplicio delicta perſolvit, & Deo pie ſancteque animam reddidit. Porro aeterna hujus hominis ſalus, cujus tam multa reliquit indicia, ita Caeſari accepta referri debet, ut non immerito ipſe cum Chriſto dicere potuerit: *Congratulamini mihi*, *quia inveni ovem meam*, *quae perierat*: quam quidem non ſolum invenit errantem, ſed ab orci faucibus ereptam, ac ſuis humeris impoſitam, ſalvam & incolumem ad ovile Chriſti traduxit, egregium Chriſtianae caritatis exemplum omnibus relinquens.

CAPUT XIII.

Eccleſiae hiſtoriam narrare populo jubetur, ut inde Annalium opus aggrediatur.

Fuere hiſce temporibus haeretici Centuriatores Magdeburgenſes, qui quum res antiquitus in Eccleſia geſtas ſe collecturos profiterentur, nihil aliud conati ſunt, niſi ut conſarcinatis ab ejuſdem Eccleſiae incunabulis per aliqua ſecula centuriis, perinde ac ſi adverſus veritatem junctis armis bellum inferre decreviſſent, falſiſſima quaeque mendacia coacervarent, & omnia ſuſque deque mutantes, ac prorſus invertentes, novam turrim confuſionis ad coelum uſque ſi fieri poſſet conſtruerent, e qua adverſus Deum,

Deum, & Sanctos ejus inſaniſſimo perciti furore dimicarent. Et ſicut olim Palaeſtini puteos illos, quos Abrahae ſervi fideles effoderant, bitumine obſtruere contenderunt; ſic iſti veritatis fontem congeſtis mendaciorum aggeribus occludere, atque oppilare conati ſunt. Quorum peſtilentiſſimum ſcelus eouſque proceſſit, ut quum ſacrarum hiſtoriarum antiquitatem pervertere, traditionum veritates abolere, Eccleſiae Catholicae poteſtatem omnem aut funditus evellere, aut ſaltem aliqua ratione debilitare molirentur, profanis ſacra, vera falſis admiſcentes, offundenteſque omnia tenebris, integerrimam ipſius Eccleſiae faciem, non habentem maculam, neque rugam, labefactare, ac penitus deſtruere, eamque ex iiſdem ſcriptis, quibus ſpecioſiſſima redditur, ſynagogam Satanae ex Eccleſia, ex Hieroſolymis Babylonem, &, quod horrendum eſt dicere, ex Chriſti ſponſa reddere tentaverint Antichriſti ancillam. Verum, quae ſumma eſt ejuſdem Chriſti Domini Eccleſiam gubernantis providentia, ſicut olim AEgyptiorum magorum virgae praeſtigiis involutae, & in ſerpentes fallaciter converſae, Aaronicae virgae praeſentia devoratae ſunt, & Dagon idolum coram Arca Domini confractum concidit, & Nabuchodonoſor regis ſtatua lapillo ejus pedes luteos conterente protinus disjecta ac diſſipata eſt; ita turpiſſimi iſtius portenti ſimulacrum a germana ac ſincera Eccleſiae imagine prorſus abhorrens, ipſa veritate, Caeſaris ſtudio, opera, laboribus, in medio propoſita, confeſtim ejus invictiſſima virtute perculſum, atque in nihilum redactum evanuit. Ad hanc autem rerum Eccleſiaſticarum veritatem e tenebris eruendam, atque in Eccleſiae candelabro, ut luceret omnibus qui in ea ſunt, collocandam plurimum certe valuit B. PHILIPPI, qua vitae ſanctitate, qua prophetiae dono clariſſimi auctoritas, conſilium, & diligentia: qui ubi mente illa ſua divino perfuſa lumine, ac prophetico afflata ſpiritu, vidit e portis inferi in Eccleſiae detrimentum, & Satanae triumphum centurias egreſſas, exaeſtuans zelo laborantis Eccleſiae, & pro illius ingruentibus malis toto pectore ingemiſcens, ſalutare aliquod illi auxilium afferre ſecum ipſe animo meditabatur. Quumque ea de re frequentes Deo preces obtuliſſet, tandem divino impulſus ſpiritu, Caeſarem adhuc adoleſcentulum & inermem, velut alterum David adverſus Goliath, tot objiciendum armatis hoſtibus, *ad praeliandu praelia Domini*, nihil de victoria dubius elegit; conſiliumque tacitus occultans, atque aliud agere ſimulans, anguſtum palaeſtrae locum, ipſum videlicet ſacrum Oratorium S. Hieronymi ad experiendas ejus ingenii vires, aptandaſque ad praelia manus deſignavit. Erat tunc Oratorii conſuetudo, ut ſingulis diebus pomeridianis horis panis verbi Dei ita parvulis frangeretur, ut relicto illo ſublimi dicendi genere, aliquanto ſubmiſſiori, ac magis familiari oratione, ſed ad commovendos animos valde accommodata, res cominus quaſi ex aequo loco cum ſingulis ageretur. Et Caeſar quidem ad ſermones in Oratorio habendos a S. PHILIPPO evocatus, egregiam in iis operam ſedulus impendebat, modo de Deo, de pietate, de religione, modo de morte, de poenitentia non differenda, de extremo die judicii, aliiſque de rebus verba faciens, quibus homines a peccatis perpetrandis deterrerentur, & ad optimam traducerentur frugem. Quo in genere dicendi quum unum circiter annum verſatus eſſet, B. PHILIPPUS ratus opportunum eſſe tempus, quo meditatam

jam

jam antea conſilium exequeretur, Caeſari praecepit, ut, relicta ea concionandi ratione, ad hiſtoriam Eccleſiaſticam populo enarrandam ſe ſe converteret. Abnuebat ille quidem initio, tanti operis difficultate perterritus, propriiſque diffiſus viribus, praeſertim quod ejuſmodi rerum tractationem neque ingenio ſuo congruentem, neque adeo utilem audientibus fore exiſtimabat, quos ad peccatorum ſuorum dolorem ac poenitentiam ea dicendi ratione omnino cupiebat impellere. Verum quum PHILIPPUS eum ad hanc capeſſendam provinciam rurſus urgeret, ille, perinde ac ſi divinum accepiſset imperium, humeros novo oneri ferendo ſtatim ſubjecit.

CAPUT XIV.

Ad Annales conſcribendos praeſidia Caeſari divinitus collata.

Annum agebat Caeſar primum ſupra vigeſimum, quum ad Eccleſiaſticas hiſtorias perlegendas, eaſque populo enarrandas animum appulit. Cui ſane operi Deus, cujus nutu illud agebatur, ſummopere favit. Etenim praeter ſummam ingenii celeritatem, memoriae vim maximam, judicandique cognitionem etiam ſupra aetatem maturitatis laude perfectam, firmiſſimam quoque Caeſari valetudinem ad immanes ſcribendi labores exantlandos ad ultimam uſque ſenectutem impertivit. Cui inſuper ejuſdem Dei beneficio perpetuum in urbe Romana domicilium ac ſedes, quam rerum antiquarum theatrum non immerito dixeris, & librorum copia, & eruditorum hominum conſuetudo, &, quod praecipuum fuit, B. PHILIPPI vigilantiſſimae preces, atque incitamenta, mirum in modum profuere. Vix enim credi poteſt quam ſedulo PHILIPPUS adſtaret jugiter operi, urgens praeſentia, inſtans verbis, & durus quodammodo diurni penſi exactor exiſtens; adeo ut piaculum putaret, ſi interdum ad alia quaedam enarranda, aut conficienda Caeſar divertiſſet, dum eum ne hilum quidem ab inſtituto deflectere pateretur, & ubi pauliſper licet molis pondere ſuperatum a coeptis deſiſtere deprehendiſſet, confeſtim ſtimulis acerrimae reprehenſionis impelleret. Qua in re praeſertim initio ſaepe Caeſar humani aliquid patiebatur, nondum intelligens, rem ipſam occulte ab eo apud Deum precibus confici; ſuas ipſe metiens vires, ac conquerens ſecum ferme agi tyrannice, quod nemo ſibi adderetur ex fratribus, qui eidem collum jugo ſubjiceret ad laborandum. Verum miram illi ad perferendum onus alacritatem adjecit, quod ſibi nocte quadam in ſomnio oſtenſum eſt. Videbatur ſibi Caeſar una cum Onuphrio Panvinio, aeternae memoriae viro, & ad antiquitates perſcrutandas nato, per id tempus Eccleſiaſticas hiſtorias elucubrante, ſermonem habere, eumque ab ſe ſummis precibus exorari, ut extremam illis manum quamprimum imponeret. Hæc quum diceret, videre ſibi Onuphrium videbatur vultum avertentem, minimeque ſuas illius dictis aures accommodantem. Quumque inceptum ſermonem proſequi, & ſuam petitionem Caeſar perurgere vellet, clara illius auribus vox inſonuit, quae quieſcere eum juberet, neque

neque plus laboris in dicendo capere, ſibi namque Eccleſiaſticæ hiſtoriæ perſcribendae munus eſſe reſervatum. Hanc autem B. PHILIPPI vocem fuiſſe, & tunc quidem a Caeſare, & in poſterum ſemper eſt creditum: idque eo magis, quod inſequenti luce quum B. PHILIPPUM conveniſſet, eique, quae nocte præterita per quietem viderat, enarraſſet, non negavit ille quidem quod fuerat, ſed more ſuo factum diſſimulans, remque joco tegens, ſomnii ſpeciem dixit eſſe; quam tamen verum indicaſſe, manifeſtae rei exitus comprobavit. Ex hoc tempore ad labores proſequendos ſe magnopere recreatum, animumque ſibi ad onus ſuſtinendum additum ſenſit Caeſar. Quare ad Eccleſiaſticarum rerum ſtudium totum ſe conferens, opus non tam humano, quam divino conſilio ſuſceptum proſequebatur. Attamen virium ſuarum, & ingenii imbecillitate diffiſus, nunquam ſibi exiſtimabat admovendam eſſe labori manum, niſi implorato prius ſumma animi demiſſione ac reverentia S. Spiritus patrocinio, beataeque Virginis Mariae, quam ſibi rerum omnium ſuarum ſemper auſpicem, ducem, ac moderatricem acceperat, cujus praevio ſplendore rectum iter agnoſceret, ductu regeretur, & in ejuſdem praeſidio velut in tutiſſima ſtatione conquieſceret: eamque ſibi propitiam ſemper expertus, innumeris laudibus, gratique animi ſignificationibus proſequebatur. Hujus rei, ut caetera omittam, indicio ſint eidem Virgini ac Dei Matri ab eodem in ſuis ſaepe Annalibus, praeſertim in praefationibus, ac perorationibus, elogia dulciſſime decantata, quibus illam dominam, patronam, & reginam ſuam, cujus & ſe famulum ac ſervum re ipſa profitebatur, ſolitus fuerat frequentiſſime appellare. Ut autem majores ſibi a Domino vires multiplicatis interceſſoribus compararet, ſuorum in ſcribendo laborum praecipuos adjutores SS. Apoſtolos Petrum & Paulum aſſiduis precibus ſibi comparare ſtudebat, ut Eccleſiam Catholicam a Chriſto Domino fundatam, cujus dogmata illi ſuo ſanguine comprobarunt, poſſet ipſe ſuis lucubrationibus ab haereticorum inſidiis teliſque defendere, eamdemque doctrinam, quam ipſi a Chriſto Domino accepere, illaeſam ſemper ac ſartam tectam fuiſſe conſervatam, & ad nos uſque tranſmiſſam, demonſtrare.

Porro S. PHILIPPUS tanti operis promotor praecipuus, & quaſi aedificator, ut ſupra dictum eſt, ne Caeſar noſter revelationum ſublimiumque cognitionum magnitudine extolleretur ſupra hominem, quum caetera omnia ſcire videretur, ſe ipſum ignorare voluit, & quaſi illud Cantici Canticorum eidem occinuit: *Si ignoras te, egredere, & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hoedos tuos.* Nam & paucis diebus antequam in coelum migraret, ſic Caeſarem affatus fuiſſe fertur: *Scito humiliter de te ipſo ſentiendi cauſas te multas habere, neque, quod Annales conſcripſeris, eſſe tibi gloriandum. Non enim id de tuo labore, aut induſtria, ſed Dei dumtaxat ſingulari beneficio factum eſt.* Cujus moniti haud immemor Baronius, ſtatim ab ipſius Sancti PHILIPPI felici ad Deum tranſitu, pro Annalibus Eccleſiaſticis confectis promulgatiſque, quod eos Beati Viri opera eſſet aggreſſus, ejuſdemque precibus tot divini Numinis auxiliis proſpere feliciterque ad eam diem proſequutus, publicam fecit gratiarum actionem, quam, ut omnium oculis eſſet expoſita, tum octavo Annalium tomo praefixit, tum etiam ſancti parentis tumulo, quaſi votivam tabellam ſuſpendi fecit,

fecit, quae a Presbyteris Congregationis etiam nunc ibidem adſervatur quamque veluti hujus capitis coronidem heic duximus ſubjiciendam: „ Quod de his, quae ſpectant ad Eccleſiaſticorum Annalium ſcriptionis „ primam originem atque progreſſum, vix pauca hactenus attingere li- „ cuit, ut involviſſe obſcuritate potius ea, quam explicaſſe, viſi fueri- „ mus, eo quod adhuc ſuperſtes is eſſet, de quo dicendum erat, qui non „ ſolum ſuarum laudum eſſet contemptor, ſed acerrimus hoſtis; eo jam „ ad ſuperos evocato, ipſa quibus detinebatur compedibus oratio libera, „ ſecura per latum campum acceptorum ab ipſo beneficiorum excurrat. „ Eſt enim majorum noſtrorum jucunda memoria, a quibus tanquam „ ex uberrimo fonte innumera nobis fluxere. Sed & eſt proficua ipſa pa- „ trum noſtrorum, ſanctorum virorum recordatio, quod admoneat nos „ non debere ab eorum virtutibus eſſe degeneres, ſecundum divinum il- „ lud oraculum: *Attendite ad petram, unde exciſi eſtis, & ad cavernam* „ *laci de qua praeciſi eſtis. Attendite ad Abraham patrem veſtrum, &* „ *ad Saram, quae peperit vos*. Verum quae jucunda, atque proficua, ea- „ dem eſt & neceſſaria commemoratio eorumdem, a quibus ſumus ma- „ xima beneficia conſecuti, ne ex ſilentio, vel oblivione turpiter re- „ darguamur ingrati. Sane quidem generatim cuncta quae filiis proſpere „ feliciterque obveniunt, ea accepta ferenda eſſe parentibus, ſaepe divinis „ litteris admonemur, potiſſimum vero illa a magno Patriarcha Jacob im- „ pertita Joſeph benedictione, qua inter alia, iſta divinitus dicta narrantur: „ *Sedit in forti arcus ejus, & diſſoluta ſunt vincula brachiorum, & manuum* „ *illius per manus potentis Jacob; inde paſtor egreſſus eſt lapis Iſrael*. Quum „ igitur cuncta proſpera Joſeph potenti manui Jacob adſcribantur, qui non „ ſolum abeſſet quamlongiſſime, ſed jam eum deploraſſet mortuum, plan- „ xiſſetque occiſum; quid nobis de patre illo dicendum, qui in omnibus „ praeſens & adjutor exiſtens, in primis Apoſtolico ſpiritu nos ſaepe par- „ turiit, & ab ipſa adoleſcentia ejuſdem ſpiritus fraeno coercuit, cohibuit- „ que a lubrico juvenilis aetatis procurrentis ad malum, atque reddidit in- „ domitum pullum divinis legibus obſequentem, ſuper quem & Chriſtum „ ſederit conſidere?

„ At quum nos multiplici nomine ipſi longe plurimum debeamus; de „ his modo, quae ſpectant ad Annalium, quam habemus prae manibus, „ ſcriptionem, extet ei, tanquam inſtitutae omnis lucubrationis noſtrae „ auctori, iſta ſemper vivens, ſemper loquens gratiarum actio, monumen- „ tis perpetuis conſignata. AEquum eſt enim, & animi humiliter de ſe „ ac modeſte ſentientis, per quem profecerit, profiteri; iniquum vero & „ arrogans, ſuis viribus plus ſatis adſcribere. Qui enim magis quam par „ erat ſibi tribuit, atque dixit: *in fortitudine manus meae feci, & in ſa-* „ *pientia mea intellexi*: acerbum illud accepit a Deo ultore reſponſum: „ *Nunquid gloriabitur ſecuris in eum, qui ſecat in ea? aut exaltabitur ſerra* „ *contra eum a quo trahitur?* Moxque addita eſt comminationi vindicta, „ quam & ille quoque infelix expertus eſt, qui eadem de cauſa regio ſo- „ lio dejectus, inter beſtias exulavit. Quamobrem quod mortales omnes „ aeterna ſapientia Chriſtus ipſe Redemptor noſter edocuit, quum de Pa- „ tre ad PHILIPPUM ſic loquutus eſt, dicens: *Pater in me manens, ipſe*

facit

,, *facit opera* : de Patre PHILIPPO & nos ingenue profitemur : non quod
,, gloriamur in homine, & non in Deo, ſed ut per quem tanta beneficia
,, largitus eſt Deus, Dei cooperatorem hominem demonſtremus; ſicque,
,, ut Deo, ita & hominibus grati ſimus. Ipſe enim divini quodam im-
,, pulſu Spiritus ita facienda praecepit, non ſecus ac Moyſes, qui, quod
,, vidit Tabernaculi exemplar in monte faciendum, illud indixit opifici. Ejuſ-
,, dem namque Patris noſtri iteratis ſaepius juſſionibus ſumus nos tantum
,, opus aggreſſi, inviti licet ac renitentes, propriiſque diffiſi viribus : ſu-
,, ſcepimus tamen, tanquam divino parentes imperio, quo quidem ipſe
,, adeo opus urgebat, ut, ſi quando nos tantae molis pondere ſuperati,
,, deſiſteremus a coeptis, ſtimulis acerrimae reprehenſionis impelleret.

,, Exaeſtuans tu quidem (ad te enim, Pater, orationem converto)
,, Exaeſtuans, inquam, zelo Eccleſiae laborantis, ubi mente illa tua divi-
,, no perfuſa lumine, ac prophetico (dicere liceat) afflata ſpiritu vidiſti,
,, e portis inferi in Eccleſiae detrimentum progreſſas eſſe centurias Sata-
,, nae; *ex adverſo conſurgens pro domo Iſrael praeliaturus praelia Domini*,
,, non majori, vel pari ſaltem numero militum, compenſato certamine,
,, decernendum putaſti; ſed probe ſciens, quod *quae infirma mundi ſunt*,
,, *elegit Deus, ut confundat fortia*. puerum tuum, fratrum minimum, &
,, hebetioris ingenii delegiſti, quem unum eumdemque inermem tot ob-
,, jiceres armatis hoſtibus. Et aliud agere ſimulans, non latum campum
,, ad praelium, ſed ad experiendas vires anguſtum ornaſti locum palaeſtrae,
,, ipſum videlicet ſacrum Oratorium Sancti Hieronymi, ubi inter quoti-
,, dianas de rebus divinis collationes illud a nobis ſymbolum exegiſti,
,, quo res geſtas Eccleſiae in medium afferremus. Quod tua juſſione ſe-
,, mel coeptum, ad triginta annorum ſpatium eſt feliciter propagatum, ipſa
,, integra rerum geſtarum ſerie, dicendo, jam ſepties in Oratorio repe-
,, tita. Adſtabas jugiter operi urgens praeſentia, inſtabas verbis, durus
,, ſemper (ignoſcas ſi hoc dixero) diurni penſi exiſtens exactor; adeo ut
,, piaculum putares, ſi interdum ad alia enarranda divertiſſem, cum nec
,, minimum quidem ab inſtituto deflectere patereris. Saepe vero & in eo
,, humani aliquid paſſus ſum, fateor; quum nondum intelligens, rem ip-
,, ſam occulte abs te apud Deum precibus confici, meas ipſe metiens
,, vires, quererer, mecum ferme agi tyrannice, quod non ſolum aliquis
,, non jungeretur ex fratribus, qui ad collaborandum eidem ſubjiceret col-
,, lum jugo, ſed multiplicato labore, nec datis paleis, multiplex opera
,, exigeretur; quum, inquam, & adhuc alii ad ſuſceptum munus negotiorum
,, faſces imponerentur, cura videlicet animarum, publicum de ſuggeſtu
,, miniſterium verbi Dei, praefectura domeſtica, praeter alia quampluri-
,, ma, quae inopinate & importune moleſtiores quotidie ingererent in-
,, terventores: adeo ut tu vel iſta faciens, vel fieri ab aliis patiens, nihil
,, minus velle videreris, quam quod plurimum velles. In quo quidem vi-
,, ſus es imitatus Eliam, dum congreſſus cum Sacerdotibus Baal, eos ex-
,, pugnaturus per ignem coelitus implorandum, qui propoſitam victimam
,, inflammaret atque conſumeret, in contrarium niſus, eamdem quatuor
,, aquae hydriis tertio voluit affluenter aſpergi, quo magis ſumma Dei po-
,, tentia innoteſceret. At vero alia ex parte, cum prompto animo idem tu

,, ipſe

Digitized by Google

„ ipſe ad praeſtandum auxilium precibus tuis manum fortiſſime admovi-
„ ſti, viſus es ſequutus Eliſeum, qui manum ſuam Regis manui ſuperim-
„ ponens in emiſſione ſagittae, fecit eum eſſe totius Syriae percuſſorem.
„ Quo pariter ſymbolo tu mecum agens, manui meae debili tuam vali-
„ diſſimam jungens, obtuſum ſtylum in ſagittam ſalutis Domini, contra
„ inſultantes Aſſyrios convertiſti. Quod ſicut verum, ita pulchrum ac
„ jucundum eſt mihi de te publice profiteri. Pugnaſti tu quidem, ſed alie-
„ na manu, uſitatò more tuo, qui quum admiranda operari conſueveris,
„ mirandus tamen nunquam volueris apparere; nihil tam ſolicite cavens,
„ quam ne quid de te magnifice diceretur, operimento ſtultitiae ſaepe ope-
„ riens ſapientiam, juxta pervulgatum illud & celebratum, mentique tuae
„ infixum penitus Apoſtolicum paradoxum: *Qui vult ſapiens eſſe, ſtultus*
„ *fiat*: ita quidem ut nullis compedibus blandientis ſeculi tenereris, exem-
„ plo David ad tempus ora mutantis, magna dona ſpiritus occultares, quae
„ ſunt infirmitatis humanae foris oſtentans, ſciresque, ſecundum Apoſto-
„ lum, *abundare, & penuriam pati*, ut cum ipſo dicere poſſes: *Sive mente*
„ *excedimus, Deo, ſive ſobrii ſumus, vobis*: atque exemplo cognominis tui
„ PHILIPPI diaconi, pro ratione temporis, vel inhaereres hominibus,
„ ipſorum ſaluti conſulens, vel magno impetu ſpiritui venienti vela pan-
„ deres. Sed quam tu vivens in Chriſti aerarium gloriam copioſiſſime in-
„ tuliſti, poſt migrationem ex hac vita, aucto multiplici foenore, ipſe
„ rependit. Siquidem ubi laguncula terrea fracta eſt, quae latebat intus ſua
„ claritas, refulgens lampas apparuit: & quae abſconſa erat ſub modio lu-
„ cerna, ardens & lucens ſuper aeternitatis altum candelabrum exaltata,
„ perſpicua facta eſt miraculorum fulgore coruſcans. Tunc enim & quae
„ vivens ediderat, ſed occultaverat, mirifica ſigna, ſunt cognita, & alia
„ quamplurima recens edita patuerunt. Splendet videlicet adhuc, utpote
„ temporarium, ſepulcrum tuum votivis tabellis, & ex pretioſo metallo
„ ſignis affixis, tuorum miraculorum indicibus, quibus magis quam pre-
„ tioſorum marmorum cruſtis, vel AEgyptiis pyramidibus & obeliſcis ef-
„ fulget, majus decoris in dies accipiens incrementum ab iis, qui nova be-
„ neficia conſequuti, inferunt nova ſigna.

„ Detur & mihi locus (vos fratres appello, qui pia ac nobili corona
„ ejus cingitis monumentum) ut haec mea gratiarum actio, tametſi ac-
„ ceptis beneficiis longe impar, eidem adhaereſcat affixa ſepulcro, ita
„ tamen, ut per orbem terrarum, quocumque iidem feruntur Annales, ex-
„ currat. Mobilis ſit ipſa atque vocalis ſculpta columna, quae amplis notis
„ ipſum praedicet Annalium primum auctorem & architectum; ut ſi quem
„ ex eis mortales fructum ceperint, ipſi in primis omnes gratias agant. Stet,
„ inquam, mea iſta profeſſio velut indelebile eidem ſepulcro inditum epita-
„ phium, cupiens & ego ipſe eidem inhaerere viva tabula, quae formata pe-
„ nicillo ipſius precum, integram referat ejus ſanctitatis imaginem. Age jam,
„ Pater (te rurſum tanquam praeſentem alloquor, dum eum vides, qui prae-
„ ſens ubique adeſt) Age, inquam, fave operi tuo; & ut tibi in omnibus
„ victoria adſcribatur (quod Joab ſcripſit ad David) veni, & quod reli-
„ quum eſt confice praelium: coeleſtem deſuper tuis precibus move mili-
„ tiam, ut debellatis tandem penitus hoſtibus, triumphale carmen Debbo-
rae con-

Digitized by Google

» rae concinamus: *De coelo dimicatum eſt contra eos : ſtellae manentes in*
» *ordine ſuo adverſus Siſaram pugnaverunt* : me vero filium tuum, quem
» degens in terris aſſiduo foviſti praeſidio, vigilantia cuſtodiſti, conſilio gu-
» bernaſti, patientia toleraſti, vivens in coelis fortioribus protege patroci-
» niis : ampliora mihi creſcant de tua jam perfecta & in omnibus conſum-
» mata caritate ſubſidia. Sed & quod a Baſilio ſe Gregorius Theologus
» conſequutum affirmat, ut eum etiam poſt obitum habuerit monitorem;
» hoc nobis abundantius praeſta, ut te ipſo adhuc etiam vitae meae mo-
» derante habenas, quod reliquum eſt labilis hujus curriculi ſenectutis,
» inoffenſo pede percurram, perveniamque tandem poſt labores bene per-
» functos ad beatam illam requiem, qua tu modo frueris in Patre, & Fi-
» lio, & Spiritu Sancto, quibus in unitate perfecta ſemper ſit laus, honor,
» & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

CAPUT XV.

In Annalibus conſcribendis Caeſaris labores ac ſtudia.

IGitur Caeſar quum Dei auxilio fretus, S. PHILIPPI monitis auctoritateque compulſus, operi extruendo ſe ſe totum tradidiſſet, in nobiliſſimas coepit urbis bibliothecas ſe ſe abdere, praecipue vero in Vaticanam, quam ditiſſimum rerum antiquarum penum promptuariumque dicere conſueverat : ibi cunctos ejus angulos perſcrutari, luſtrare omnia, nihil intactum, non viſum, non lectum praeterire : libros omnes tum veteres, tum recentiores typis editos, ac manu exaratos, inprimiſque SS. Patrum volumina accurate pervolvere, & ab externis etiam ſcriptoribus, imo vero ex ipſis thermis, arcubus, theatris, cryptis, ſepulcris, lapidibus, numiſmatibus, omnibuſque antiquitatis, quae in urbe aeterna extant, monumentis, latentem rerum notitiam inveſtigare, eamque ut ex luto aurum ſecernere atque colligere, heterodoxos damnataeque memoriae ſcriptores ſuperiorum permiſſu examinare, ſeparare pretioſum a vili, & Apoſtoli monitu *omnia probare, quod bonum eſt, tenere*, atque ex univerſis quidquid in ſuam rem eſſet, velut apis ſtudioſiſſima, accurate decerpere, atque in diſtributa loca recondere & notata congerere. Quibus omnibus factum eſt, ut ita paulatim progrediendo immenſam ſibi rerum copiam ad extruendam excelſiſſimam Annalium molem compararet. Porro in his laboribus tam erat aſſiduus & indefeſſus, ut, vix ullo quieti ſpatio dato, quidquid haberet temporis, id omne in legendo, meditando, ſcribendoque conſumeret, ſummo mane, interdiu, veſpere, noctuque ſemper in id maxime intentus. Qua in re illud non exiguam admirationem facit, quod ipſum hoc agentem ingens aliorum negotiorum moles premebat, cura videlicet animarum, & quae illi erant annexa miniſteria, nimirum peccata confitentibus operam dare, aegrotantes inviſere, pacem inter diſſidentes conciliare, adire tribunalia, carceres, judices, & miſeros opiſque indigentes verbis, litteris, aliiſque pietatis officiis ſublevare. Inſuper publicum de ſuggeſto miniſterium explicandi verbi Dei, quo munere ter, aut quater per hebdomadam fungi

tenebatur. Praeterea, quam per aliquot annos exercuit, totius domus praefectura, aliaque plurima, inter quae maximum illi negotium faceſſebant advenientes interpellatores, a quibus nunquam ſibi licuit ne una quidem die liberum eſſe, idque praeſertim quum in Cardinalatus honore dignitateque conſtitutus eſt a Clemente VIII. qua de re cum eodem Pontifice graviter, ſed modeſte queritur in epiſtola nuncupatoria ſeptimo Annalium tomo praefixa his verbis „ Quare, ut vere, & libere dicam, honores & „ dignitates coacervatae, quibus brevi tempore immeritum me & nihil tale cogitantem cumulaſti, accincto & expedite currenti, tanquam laxae nimis & laciniosae veſtes, impedimento fuere partim ipſa „ rei natura, partim novitate. Primum enim me Notarium tuum & ſanctae Sedis Apoſtolicae creaſti ex primo ordine eorum, qui numerarii dicuntur: cujus ſane dignitatis indumenta etſi inſtituto noſtro non plane „ aliena viderentur, quod tamen eſſent incongrua voluntati, impedimento potius, quam tegumento fuere, & oneri, quam honori. Ubi vero ampliſſimae dignitatis laxiora fuſioraque ornamenta purpurae addidiſti, curſus noſter novae vitae nexibus implicatus, jam multo magis eſt retardatus; adeo ut mihi non ſecus ac David acciderit, dum regiis indutus armis incedere non valeret, eo quod (ut ipſe dicebat) conſuetudinem non haberet, qua eo magis ipſe carebam, quo longius aberam a propoſito: ſtatueram enim, votiſque nuncupatis & iteratis ſaepe „ firmaveram (teſtis eſt Deus) in privato illo ſimplicique vitae genere optime inſtituto, & hactenus feliciter ducto, bene praecinctum mundi contemptu & expeditum uſque ad obitum permanere, una cum Job illa decantans: *In nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies &c.* „ Hinc mirum nemini videri debet, ſi homo tot tantiſque in diem diſtractus alienis curis atque negotiis, neceſſe haberet oculos ſaepe vel neceſſario ſomno deſtitutos nocturnis vigiliis ac ſtudiis caſtigare. Acceſſit hiſce omnibus, quod in tam immenſo opere conficiendo nullum unquam ulla in re habuerit adjutorem, nullum amanuenſem, omneſque Annalium tomos propria manu ſemel atque iterum ipſe conſcripſerit. Quapropter quum nobilis quidam doctiſſimuſque tranſalpinus Epiſcopus ad eum inviſendum veniſſet, quumque paratas ejus in Romanum Martyrologium notas, infinitamque rerum copiam, quas ad Annales conſcribendos congeſſerat, inſpexiſſet, rogavit ab eo quotnam amanuenſibus uteretur: cui Caeſar ſubridens apte verba illa Prophetae reſpondit: *Torcular calcavi ſolus*. Quibus auditis vehementer obſtupuit, atque in magnam vir optimus Caeſaris admirationem adductus eſt, ſatis intelligens, quam multis occupationibus & publicis & privatis detineretur. Verum enimvero majorem ei admirationem, ſimulque Caeſaris ſanctimoniae fidem concitabat eximia quaedam quam praeſeferebat animi modeſtia, atque ingens illa & in corporis habitu & in caeteris domeſticis rebus paupertas, quum in cellula nihil aliud haberet, niſi tenuem librorum ſupellectilem, ſedes aliquot ligneas, lectulumque unica ſubſtratum culcitra lanea, adeoque anguſtum, ut eum capere vix poſſet; in omnibus miram quidem redolens antiquorum patrum ſimplicitatem ſanctitatemque.

Jam vero in ipſa Eccleſiaſticae hiſtoriae veritate ſtabilienda, ac litteris conſi-

conſignanda , mirum dictu eſt , quantum ille ſtudij ac diligentiae collocarit. Neque enim aniles fabulas , ſenum deliramenta , vulgique rumores, quibus imperitiſſimi Centuriatores ſua ſcripta referſerunt, otioſus & ignarus intexuit, ſed graviſſimis uſus teſtibus, poſt accuratam rerum omnium ponderationem , ea tandem protulit , quae veritati maxime conſentanea viderentur . Quod ſi nemo inter mortales exiſtit, qui tanta ſapientiae laude praecellat, ut, quae humana conditio eſt, errare aliquando cum caeteris non poſſit , haud exigua ſane laus Caeſari debetur, quod in tam longa ac difficili rerum tractatione minus ei, quam caeteris pleriſque, labi contigerit. Quum enim mortalis natura quammaxime ſit errori obnoxia, & humana ſapientia haud firmis innitatur fundamentis, is demum ſapientiſſimus inter mortales cenſeri debet, cui, divino beneficio, minus quam caeteris errare conceſſum ſit. Et Caeſar quidem, ut id aſſequi poſſet , quantum in ipſo erat, magno ſemper ſtudio animadvertebat, nihil ut dictum eſſet leviter, aut inconſiderate, nihil inaniter, nihil quod non probatiſſimis teſtibus ſulciretur, ratione demonſtraretur, probaretur conjecturis, denique, quantum liceret, perſpicua eſſet ac ſolida veritate firmatum, aut, ſi id aſſequi non poſſet, vero ſimillimum videretur. Quum enim intelligeret hiſtoriam in ſola veritate contineri, in ea quidem invenienda omnem operam, ſtudium, induſtriam, laborem collocabat: quam ſi inveniſſet, eidem pluſquam cujuslibet nomini auctoritatique tribuebat. Ideoque ſic erat animo comparatus, ut ſicut ea, quae optimis teſtimoniis confirmata reperiſset, libenter aſserebat, ita quae a quantumvis gravibus & eruditis viris affirmarentur quidem, ſed, ut opus erat, minime probarentur, nunquam ſtatueret probaretque, ſi aliunde verum eſſe contrarium comperiſſet. Itaque in dicenda veritate, cujus erat, ſupra quam dici poteſt, ſtudioſiſſimus, talem omnino ſe gerebat, qualem & Eccleſiaſticum ſcriptorem, & Apoſtolicum virum decet. Quapropter, antequam quid in unaquaque re verum, quidve falſum ſtatueret, exactam aequiſſimi judicis trutinam adhibebat, ſingula aurificis, ut ajunt, lance ponderans, atque perpendens quinam primi rerum auctores, quae cauſae, quae conſilia, tempora, loca, rerum exitus, quæ illis conjuncta, quae conſentanea, aliaque his ſimilia; ut omnia ex certae fidei ſcriptorum teſtimoniis, veterumque monumentis deſumpta, vel interdum, ſi haec non adeſſent, ſua ipſius quantum liceret ingenii perveſtigatione conjecturiſque comperta, ſtabilitam undique redderent, & omnibus abſolutam numeris veritatem. Quin etiam, neque his contentus, ut qui ſuo judicio temere uti nolebat, multa ſaepe cum eruditis viris, quorum magna copia Romae eſſe ſolet, modo illos conſulens, modo diſſerens conferebat; neque reſpuenda cenſebat doctiſſima ſaepe conſilia exterorum, a quibus etiam vel remotiſſime diſtantibus & rerum antiquarum monumenta, & alia quae ad veritatem elucidandam pertinere poſſent, crebris litteris flagitabat. Quibus omnibus undique inſtructus praeſidiis, ita demum veritatem ſuo tutam loco ſtatuere conabatur, ut unde in eam falſitas irrumpere poſſet vel acriter facto impetu vix haberet. Et quoniam procul omnino arceri volebat ab hiſtoriae praeſertim Eccleſiaſticae tractatore turpem omnem fictionis & *impoſturae*, ut ajunt, ſuſpicionem, ut praeſtare magis diceret fateri ſe neſcire, quam prava ſentiendo, ex mendaciis emendicatam ſcientiam affectare, & cir-

cula-

Digitized by Google

culatorum more venditare fabellas; hujus ille rei obſervantiſſimus, ſi quando rebus accuratius perpenſis erraſſe ſe in ſcribendo deprehendiſſet, amore veritatis impulſus, a priori ſententia recedere, & quae firmiter ſtabilire videbatur, more majorum errata ingenue confiteri, eaque corrigere, & retractare non erubeſcebat. Quin etiam ita erat ad id praeſtandum animo comparatus, ut aliorum monita non modo libenter acciperet, verum etiam ſponte flagitaret: idque quum maximi beneficii loco acciperet, monitoribus ſuis maximas gratias, eiſque ſe multum debere profitebatur: a quibus etiam nec eos ſeparandos eſſe cenſebat, qui in eum adverſariorum nomine inſurgentes, infenſo animo ejus dicta carperent, cachinnis exciperent, ejuſque opiniones, ſolo oppugnandi ſtudio incitati, labefactare conarentur. Verum, quemadmodum homines levis ingenii, & dicaces, tanquam praetervolantes muſcas contemnebat, & veritati detrahentes, eamque occultantes, acerrimae redargutionis flagello procul abigendos propulſandoſque judicabat; ita ingenuos errorum admonitores ſive opportunos, ſive importunos colebat quammaxime, in eo ſe maxime beneficio affectum ducens, in quo optime conſultum eſſet veritati. Quapropter illud S. Auguſtini in ore ſemper habebat: *Verum & ſeverum diligo correctorem*: illudque frequenter uſurpabat: *Corripiat me juſtus, ſi modo juſte*. Quicumque enim, ut ipſe dicere erat ſolitus, ſtudio veritatis afficitur, & in ea perveſtiganda, atque illuſtranda omnes nervos intendere, omnemque adhibere conatum, ſemel in conſilio habuit, eique cuncta poſthabere decrevit; apud neminem acrius ac vehementius mendacia inſectetur neceſſe eſt, quam apud ſemetipſum, quum nempe in ſua ſcripta eſſe illapſa acriori obtutu perviderit, vel ex aliorum monitis deprehenderit. Quamquam ille, ut diximus, & in cavendis erroribus maxime perſpicax, & in inveſtiganda veritate ſolertiſſimus eſſet.

C A P U T XVI.

Res Annalibus comprehenſae, & in iis conſcribendis ſtylus, ac forma.

Tot tantoſque ſtudiorum labores ipſa argumenti ratio, quod ſibi Caeſar pertractandum ſuſceperat, flagitabat. Cujus ſi dignitatem ſpectes, aut utilitatem quaeras, aut certe jucunditatem, vix aliquid ejus tractatione praeſtantius, aut ad res dijudicandas recteque gerendas utilius, aut animo jucundius reperire poſſis. Continet enim S. Catholicae Eccleſiae per tot annorum ſpatia ab ipſius incunabulis mirabilia ac prorſus divina geſta, & eventa, oſtendens ejus originem, divinas leges, pias caeremonias, ſacra Concilia, editos canones, antiquas Apoſtolorum traditiones, Fidei dogmata, viſibilem monarchiam a Chriſto Domino inſtitutam, ſuper Petrum fundatam, ac per ejus legitimos, veroſque ſucceſſores, Romanos nimirum Pontifices, inviolate conſervatam, religioſe cuſtoditam, neque unquam interruptam, vel intermiſſam, ſed perpetuo continuatam; ſemperque hujus myſtici corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, unum Caput viſibi-

ſibile, cui pareant membra caetera, per ſingula fuiſſe tempora cognitum & obſervatum. Praeterea quibus incrementis Chriſtiana religio per totum ſe terrarum orbem diffuderit, ac ſucceſſione temporum longe lateque in unius viſibilis Capitis conjunctione coagmentata, atque in uno ſpiritu fuerit propagata, demonſtrat. Bella inſuper ſive externa, ſive civilia, quae a tyrannis, aliiſque hoſtibus, quaeve ab haereticis, vel ſchiſmaticis adverſus catholicam Eccleſiam ſunt conflata, eademque Chriſti virtute quomodo profligata fuerint atque extincta. His accedunt Imperatorum, ac caeterorum principum res geſtae, quae tamen ad Eccleſiae ſtatum pertinere videantur; clades divinitus immiſſae adverſus eos puniendos, qui contra Dei Eccleſiam ſuperbire, & in eam quidquam temere moliri auſi ſunt. Denique SS. Martyrum praeclariſſimae in fidei agone victoriae, virorum vel ſanctitate, vel eruditione inſignium, & rerum ab ipſis praeclare geſtarum adnotatio, divinarum Scripturarum pluribus in locis mira elucidatio, aliaque complura, quae per annos ſingulos in Eccleſia contigerunt, ſcite congruenterque ibi ſunt diſpoſita. Quorum cognitione inſtructam ac refertam habere mentem, id nimirum nihil aliud, quam conglobata quaedam, & coacervata rerum omnium ſapientia eſt. Quod autem ſpectat ad ipſum Eccleſiaſticae hiſtoriae ſtylum, atque formam, non exiguam in eo laudem doctiſſimorum hominum judicio Caeſar eſt conſequutus. Siquidem ita facilis ejus fluere videtur oratio, ut nihilominus quaſi regina gravis incedere videatur, ſuam illam honeſtiſſimam & plenam decore praeſeferens majeſtatem; ita ut loquutiones quaſdam per longiorem ambitum circumductas, & ſummo artificio concinnatas atque confictas aſpernetur; & quaecumque dicenda ſint, ſancte, pure, ſincere, ſine ullo fuco & figmento, a quo omnis abhorret veritas, exponenda eſſe exiſtimabat. Nimirum Caeſar Eccleſiaſticam ſcripturus hiſtoriam, genus dicendi Eccleſiaſticum uſurpat, ſtylumque argumento coaptat, etſi fortaſſe ſubaſperum, gravem tamen illum, & virtute plenum, & ſi non nimis elaboratum, & excultum, at purum & candidum, &, ſi non diligenter ornatum, at ornate neglectum, &, ſi non inani, & adſcititio colore ſuffuſum, at nativa, & conſtanti virtute perfectum, qui non flaccida marceſcat in olera, ſed legentis animum ſpiritali vigore corroboret atque confirmet. Utque alia omnia, quae ad hanc ipſam rem pertinere poſſunt, paucis complectar, illam plane videtur Caeſar in ſuis Annalibus expreſſiſſe formam eorum vere recteque ſcribendorum, quam in praefatione decimi tertii Annalium tomi, quem, ut inferius dicemus, morti proximus ſuadentibus Congregationis noſtrae patribus inchoavit, ſed defectu vitae, vel virium minime ſe abſoluturum praedixit, a ſuis in rerum Eccleſiaſticarum tractatione ſucceſſoribus omnino docuit eſſe ſervandam, inprimis eos admonens, ut ſibi proponant, ex Vaticana bibliotheca potiſſimum promendos eſſe eos, qui conſcribendi erunt, Annales, in quibus conficiendis ſint praecipue veritatis amantes, abſolutiſſimam in omnibus ineant temporis rationem, in omnibus delectum habentes, ſumma prudentia inſiſtentes iis quae reperiunt eſſe impreſſa veſtigia, ſero edentes quae diuturnus labor invenerit, cribraritque ſaepe judicium, atque diſcretio cunctando concoxerit. Eccleſiaſtico candore fluat oratio, non flaceſcat, currat facilis, ſed non languens, quae pro argu-

Digitized by Google

argumenti dignitate ſit gravis atque robuſta, gradiens in decorę fortitudinis ſuae. Atque haec ita ſibi ſervanda praeſcribant, ut divino prae cunctis innitantur ſubſidio, de propriis ingenii viribus nec minimum praeſumentes.

CAPUT XVII.

De numero Eccleſiaſticorum voluminum.

CAEterum quod ad numerum Eccleſiaſticorum voluminum ſpectat, primum quidem illud admirabile videtur, hominem variis licet negotiis occupatum, tam difficile ac laborioſum opus non modo nunquam intermiſiſſe, ſed ad ardua quaeque invicto conſurgentem animo, & prioribus tomis novos ſemper adjicientem, tantam erigere potuiſſe voluminum molem, quantam non dico inveſtigando conquirere, inventam, collectamque examinationis judicio ponderare, probatamque compertam firmiter ſtabilire, ac litteris conſignare; ſed ne oculis quidem perluſtrare facile poſſes, niſi quantum a legendo molis deterreret magnitudo, tantum ipſa rei dignitas, utilitaſque pertraheret, & jucunditas detineret. Verum, quod in ipſo voluminum numero magis admirere, non eſt ſilentio involvendum, nec inconſiderate praetereundum, viſum fuiſſe Caeſarem mira quadam mentis praeſagitione illum cognitum habuiſſe. Nam ſicut Annalium opus exorſus, ne vel tantae molis pondere, vel itineris longitudine fatigatus, ab incepto deſiſtere cogeretur, totius vitae ſuae curriculum, ac ſatis longam annorum ſeriem, per oſtenſam ſibi numeri LXIX. viſionem divinitus longe ante cognovit, ut infra dicemus; ita plane quot operum cudendorum volumina in lucem editurus eſſet, Deo etiam revelante, praevidit. Enimvero quum vix mediam itineris partem confeciſſet, jamque corporis vires labefactari, enervatamque langueſcere mentem effoetam, praeſentiret, ac Eliae ſimilis, ut ipſius utar verbis, *ſub umbra juniperi prae laſſitudine projectus dormitaret*, quaſi ad vocem Angeli, imo Reginae Angelorum expergefactus reſpexit; & ecce ad caput ſuum non unus tantum ſubcinericius panis, quo ſe ipſum paſceret, ſed quinque hordeacei panes, quibus innumera fidelium multitudo paſceretur, quique accreſcerent in *duodecim* cophinos fragmentorum. Quem quidem praeſignatum cophinorum numerum ſibi omnino colligendum de ejuſdem B. Mariae Virginis benignitate praeſumens, hujuſmodi quaſi propheticam precem ad ipſam Deiparam pro gratiarum actione direxit „ Acceptum tuo favore, conceptum
„ tuis precibus, Dei Genitrix, quintum hunc partum pro gratiarum munere,
„ ut Anna Samuelem, ad te ipſam vivum Dei tabernaculum affero: tu ve-
„ ro offeres Deo ipſum: illud ſimul cum ipſa prae miraculo concinens:
„ *Sterilis peperit plurimos*. Adjice vero, ut quinto oblato tomo rependas,
„ quae in eodem quinario numero mirifice noſcuntur impleta; nempe cum
„ quinque hordeaceis panibus e pueri anguſto ſinu perceptis ſequentem ſe
„ Dominus numeroſam multitudinem pavit, & ſatiatis ex illis quinque
„ mil-

,, millibus hominum, iidem redundarunt in duodecim cophinos fragmentorum. Sum quidem & ego, dicam cum Salomone, *puer parvulus, ignorans introitum, & egreſſum meum*. Accipere igitur merear conceſſa pueris, ut munera iſta noſtra, dona tua, Deo oblata, ſua ipſe benedictione multiplicet, & aucta in aeternum permanſura conſervet, futura ipſa in Eccleſia cibus, & arma, quo fideles, atque hoſtes perfidi debellentur ,, Audiit clamorem parvuli pro Eccleſia panem petentis miſericordiae Mater, & cujus olim precibus ſex aquae hydriae fuerunt a Domino in vinum couverſae, ejuſdem interceſſione quinque myſtici panes in duodecim fragmentorum cophinos redundarunt. Voti igitur compos effectus, totidem Anualium tomos ſub alio quoque ſymbolo ſibi praemonſtratos Domino conſecravit, divino, ut ipſe ante teſtatur, eruditus exemplo. Sicut enim poſt tranſmiſſas magno miraculo cum ſacra ſarcina ſicco veſtigio Jordanis undas in pereunem memoriam divinae potentiae Deus duodecim lapides e profundo fluminis alveo tolli, & in Galgalis elevatos perpetuae memoriae ſuae gloriae conſecrari praecepit; ita merito quot ipſe numeras Annalium tomos, tot lapides dixeris de antiquitatis abyſſis erutos, & in memoriam ſempiternam divinae gloriae in Galgalis, quod interpretatur acervus acervi, alterum ſuper alterum aucto cumulo ſublimes in Eccleſia collocatos. Hunc vero ſacrum librorum acervum, nec augendum, nec minuendum, alio etiam velamine tectum ſatis clare proſpexit. Nam quum poſt decimum jam editum Annalium tomum labore jam fractus, viribuſque naturae deſtitutus, pedem figere cogitaſſet, audiens tamen verbum poſt tergum monentis, ad deſtinatum itineris terminum divino quodam impulſu ſe perurgeri praeſenſit ,, Subſtitiſſem libenter, inquit, jam laſſus in millenario, nempe decimo tomo; ſed qui dixit, *Si quis te angariaverit mille paſſus,* ,, *vade cum illo alia duo*, urget opus; hiſque verbis tanquam ſtimulis ,, excitat renitentem, atque cunctantem impellit. Pareo, ſed exactus ipſe ,, exigo ab exactore, agenſque jure meo ipſum convenio ſuis verbis aſtri- ,, ctum. Nam quod jubens, *Vade cum illo*, dixit; ut adſit ipſe, quo cum ,, pergam, efflagito ,, Denique quod non ultra illa duo, ac proinde nec ultra duodecimum lapidem jam eſſet protrahendus, ſed hic futurus eſſet finis viae, terminus vitae, ac meta laborum, in poſtrema ſua ad Pontificem data epiſtola non obſcure ſignificavit. Quum enim duodecimum Annalium tomum, veluti operum ſuorum complementum, ad Eccleſiam inferre pararet, illum ſummo Sacerdotum Principi, ceu noviſſimum primitiarum manipulum ex lege repraeſentavit ,, Reſtabant, inquiens, quas Sau- ,, ctitati Tuae nunc exhibeo, poſtremae omnium fructuum primitiae, in exi- ,, tu anni ſolvendae, quando cuncta conduntur. Nam, ut poſt collectos jam, & ,, conditos in hoc volumine ſtudiorum noſtrorum fructus augurer, ne ul- ,, tra laborum ſpem intendam, facit aetas annis gravis, & afflicta, ac pene ,, proſtrata valetudo, quae velocem tabernaculi mei depoſitionem non ,, vana praeſagitione denuntiat. Quare indulgentiſſimae lenitatis, benigni- ,, tatiſque tuae fiducia quaſi blando arridentis patris vultu illectus, ſecu- ,, rior ad Pedes tuos adrepit tenellus hic ultimus foetus noſter, & qua po- ,, teſt voce rogat, uti ſe, ac ſecum reliquam majorum natu fratrum fa- ,, miliam parentis ſolatio brevi carituram, in tutelam tuam recipias, ope

,, adju-

„ adjuves, auctoritate, & patrocinio tueare, omnes tibi commendo, ſed „ hunc praecipue *Benjamin* noſtrum effoeto patri ut in ſenectute genitum, „ ita non ſine dolore natum „ Ex quibus omnibus non obſcure intelligi conſtat, Caeſarem de numero Eccleſiaſticorum voluminum, quae completurus erat, divinitus fuiſſe praemonitum. Siquidem, ut praedixerat, iis abſolutis, & tanquam duodecim fragmentorum cophinis in Eccleſiam delatis, totidemque in titulum veluti erectis lapidibus, & quaſi duobus ſupra mille paſſibus peragratis, ac velut alter Jacob myſtica duodecim filiorum corona ſtipatus, ſimulque plenus annorum, quos ante praeviderat, una cum fine operis, vitae quoque ſuae diem clauſit extremum. Quod vero ultra duodecimum tomum nonnulla in exordio ſequentis praefatus ſit, id quidem non tam ſua, quam noſtrae Congregationis Presbyterorum induſtria inchoavit: quibus & cum jam noviſſimam diei horam poſtulante oſtium morte ſibi adeſſe ſentiret, ad ſe convocatis, totam illam ipſam praefationem veluti tabulas teſtamentarias alta voce coram omnibus ad verbum recitari praecepit. Qua nimirum non ſolum voluminis illius, ſed totius inſequentis hiſtoriae contextum Presbyteris commendans, methodum inſuper, ac germanam Annalium contexendorum normam illis tradens, ultimae voluntatis ſuae decretum coram rogatis teſtibus firmandum poſteris conſignaret. Quippe ſatis noverat fidelis ſervus ac prudens, Eccleſiaſticorum Annalium opus, non tanquam proprium peculium ſibi quomodolibet diſtrahendum, ſed uti avitum patrimonium a S. PHILIPPO fidei ſuae commiſſum, ad haeredes ſuos jure haereditario tranſmittendum.

CAPUT XVIII.

Annales Eccleſiaſticos in lucem edit.

QUUM Caeſar jam complures Annalium tomos PHILIPPO auctore, ac divino in primis auxilio, ingentique ſuo labore, ac ſtudio collegiſſet, & jam integram rerum in Eccleſia geſtarum ſeriem ab ipſius Eccleſiae incunabulis uſque ad haec noſtra tempora propagatam, paullatim ex ordine per triginta fere annorum ſpatium ſepties in Oratorio publice enarraſſet, ut jam totam illam rerum copiam mente complecti, ac in digitis habere videretur; quumque jam tempus adveniſſet, quo divinae providentiae largitas opportunum Eccleſiae ſubſidium praebere ipſa Eccleſiaſticorum Annalium editione deſtinaverat: antequam ad eos in lucem edendos animum appelleret, notationes quaſdam in Romanum Martyrologium, ad omnem Eccleſiae antiquitatis hiſtoriam illuſtrandam ſummopere accommodatas, eruditiſſimi juxta ac piiſſimi Guillelmi Sirleti Cardinalis hortatu confecit: cujus Cardinalis conſilio paullo ante a Gregorio XIII. aeternae memoriae Pontifice, ad idem Martyrologium corrigendum reformandumque fuerat deſignatus; quod deinde notis illuſtratum, ac typis editum Sixto V. P. M. dicatum obtulit, quod munus ſibi longe gratiſſimum, acceptiſſimumque fuiſſe demonſtravit. Nec minorem ex his ad Martyrologium notis apud pios rerumque Eccleſiaſticarum ſtudioſos homines grati ani-

ti animi ſignificationem nomenque eſt aſſequutus Baronius; praeſertim quod in eis earum rerum ſpecimina apparent, quibus evulgandos Annales refertos fore conjicientes, in ſpem erigebantur, magno illos Eccleſiae bono eſſe ceſſuros. Quapropter omnes Caeſarem orabant, enixeque ab eo petebant, neu tantum theſaurum diutius intra domeſticos parietes recondere vellet, ſed tandem aliquando Chriſtianum orbem eodem locupletaret. Neque vero Annalium editio ſummis dumtaxat votis expetebatur, verum etiam propter maximam utilitatem, quam Eccleſiae fore allaturos ſperare fas erat, ingentes Caeſari pecuniae offerebantur ultro, quibus & typis mandari, atque in lucem prodire poſſent. In primis enim Sixtus V. ut iis imprimendis initium faceret, annuum redditum, quem tamen voto paupertatis obſtrictus recuſabat, ut omnino acciperet, obedientiae praecepto devinxit. Libet heic enarrare, quid acciderit Caeſari cum S. PHILIPPO. Vix annuo cenſu accepto, ecce ei nuncius ab eodem PHILIPPO venit, a quo jubebatur, ut acceptum annuum ſtipendium in commune Congregationis gazophylacium conferret. Voluit ſanctiſſimus ac prudentiſſimus Pater, quas filiis ſuis praeſcripſerat, leges ipſo initio ſtabilire, ut quiſque propriis ſtipendiis militet. Re audita, Caeſar pluribus ſe ſe excuſat, quicquid ſibi invito a Pontifice fuerat attributum, id totum in Annalibus conſcribendis, excudendiſque inſumendum eſſe; quandoquidem eo tantum nomine accepiſſet. Cumque PHILIPPUS in ſententia permaneret, neque a propoſito dimoveri poſſet, Caeſar alioquin ſancto Parenti obſequentiſſimus, humani aliquid paſſus eſt, rogavitque Thomam Bozium ex noſtra Congregatione virum ſibi conjunctiſſimum, libriſque editis celebrem, ut PHILIPPUM flectere conaretur, ne penſionem ſibi invito ac repugnanti Summi Pontificis liberalitate adtributam, & Annalium editioni parandae perficiendaeque deſtinatam, ſibi vellet eripere. Igitur Bozius rem cum PHILIPPO agit, rationes adducit, rogat, obteſtatur: illeque eo magis in ſententia perſtitit, quo repugnare Baronium ex Bozii ſermonibus cognoſcebat: urgentique tandem, hoc ſolum breve atque praeruptum dedit reſponſum: *Aut pareat Caeſar, aut abeat; hominibus enim non indiget Deus*. His auditis redit Bozius, Caeſarem hortatur, ut ſe ſe PHILIPPI judicio ſubmittat: meminerit, quidquid in ſpiritu ac litteris profeciſſet, id totum PHILIPPO acceptum eſſe referendum. Paruit amici dictis Caeſar, & recta ad PHILIPPUM abiens, ejus genibus advolutus, pertinaciae veniam petiit: quaecumque ſibi a Pontifice fuerant attributa, ſuaque omnia, & ſe ipſum libere eidem obtulit. Tum vero PHILIPPUS: *Nunc demum, quod debueras, feciſti: cenſu tuo utere, ut libet: nihil enim, niſi voluntatem, a te requiro*. Quo factum eſt, ut quum jam Caeſar primo Annalium tomo diligentius a ſe recognito ſupremam impoſuiſſet manum, quamquam adhuc timide tam erudito ſeculo lucubrationes ſuas in lucem emittebat, quod eas diutius intra domeſticos parietes recondendas perpoliendaſque exiſtimaret, tamen Summi Pontificis juſſu auctoritateque adductus, S. PHILIPPI, & Antonii Caraphae S. R. E. Bibliothecarii nutu, voce, clamore, calcaribus, aliorumque precibus tandem excitatus, eumdem tomum ejuſdem Pontificis nomini dicatum, atque in inſigni typographia Vaticana impreſſum anno Domini MDLXXXVII. aetatis ſuae XLIX. in publicum totius Eccleſiae theatrum lucemque produxit.

Digitized by Google

xit. Deinde vero idem Pontifex Caeſari ſecundum Annalium tomum offerenti, poſt multas benevolentiae, gratique animi ſignificationes, centum nummos aureos, licet recuſanti reluctantique, tradi imperavit, multa inſuper majora pollicitus, quae plane perfeciſſet, niſi haud multo poſt morbo correptus extremum diem obiiſſet. Verum tribus Pontificibus, Urbano ſcilicet VII. Gregorio XIV. & Innocentio IX. Sixto celerrime ſubrogatis, quum tandem Hippolytus Cardinalis Aldobrandinus, quocum jam Caeſar magnam contraxerat neceſſitudinem, bonorum omnium plauſu Catholicae Eccleſiae Pontifex eſſet renunciatus, Clementis VIII. nomine aſſumpto, haud facile dictu eſt, quanto ſtudio novus Pontifex & ad proſequendum Annalium opus Caeſarem hortaretur, & in omnibus rebus, quae illi eſſent neceſſaria, praeſto eſſet. Igitur Caeſar munificentiſſimi Principis auctoritate, auſpicio, praeſidioque fultus, pleroſque deinceps Annalium tomos ſingulis ferme annis emiſit in lucem, quamquam poſtremos aliquanto tardius, quod ad Cardinalatus dignitatem aſſumptus, majori quam antea negotiorum mole opprimeretur. Praeter Summos autem Pontifices, alii etiam Praeſules, ac Principes viri auxiliarias illi opes ſaepius offerebant; quorum tamen collaudato, ut par erat, ſtudio ac liberalitate, uti iiſdem recuſabat. Ita Stanislao Crancovio Archiepiſcopo Gneſnenſi facultates quotquot haberet univerſas eidem liberaliſſime offerenti, debitas quidem retulit gratiarum actiones, ſed manum ad munus recipiendum porrigere noluit, illud Apoſtolicum reſpondens: *Quaero vos, non veſtra*. Similiter quingentos aureos ab Epiſcopo Conimbricenſi ſibi miſſos, in Annalium editionem erogandos, & aliud magni pretii donum a Guillelmo Comite Palatino Rheni, ac utriuſque Bavariae Duce ſibi oblatum, nunquam cujuſquam precibus adduci potuit, ut aut Epiſcopi pecuniam, aut ſummi Principis munus acciperet; ne auri deſiderio captus Principum muneribus aditum aperire videretur, quibus & ſua paupertas, & ingenuus candor, quem ſcriptorem hiſtoriae decet, in diſcrimen fortaſſe adduceretur. Poſtquam vero iidem Annales in lucem prodire coeperunt, omnes fere nationes ſua ipſarum lingua auctorem loqui cupientes, datis ultro citroque litteris, ut eorum translationem concederet, efflagitarunt. Ac primum quidem Franciſcus Panigarola Aſtenſis Epiſcopus, vir ob ſummum Chriſtianae eloquentiae decus apud omnes celeberrimus, quum Romae populum pro concione doceret, non ſatis ſibi viſus coram frequentiſſimo coetu ſummis laudibus Caeſaris Annales efferre, & ingentem, quam ex eorum lectione laturi eſſent, utilitatem omnium oculis proponere, eos in Italicum idioma reddendi conſilium iniit: explorataque Caeſaris voluntate, & facultate obtenta, primum Annalium tomum in maternam linguam breviter eleganterque interpretatus eſt. Quod idem ſervaſſet in reliquis, niſi a Sixto V. Pont. una cum Cardinali Cajetano Legato a latere, ut vocant, in Galliam proficiſci juſſus, ab incepto pedem revocare coactus eſſet, ſive potius niſi eum graviora interim negotia meditantem inopina mors e vita ſuſtuliſſet. Italicam aliam tomi primi epitomen confecit Franciſcus Maria Thauruſius, Presbyter Congregationis Oratorii, cujus poſtea Cardinalis Poſſevinus mentionem facit in Apparatu ſacro tom. 1. pag. 285. Omnium exactiſſima in idioma Italicum Annalium verſio peracta eſt ab Odorico Raynaldo Congrega-

gregationis Oratorii Presbytero Romae 1641. tribus voluminibus in 4. auctior deinde Romae recuſa 1656. & 1668. quinque voluminibus in 4. abſoluta, Venetiis tandem (licet Romae praeferat) anno 1683. cum Raynaldi continuatione quatuor voluminibus in folio. Aſſervatur etiam in multis bibliothecis alia Annalium epitome Italice mss. auctore Alexandro Taſſono. Marcus Fuggerus Rodulpho Imperatori a conſiliis ad communem Chriſtianae reipublicae utilitatem primum Annalium tomum in linguam Germanicam vertit; petitaque a Caeſare facultate datis litteris an. 1589. (quam quidem Baronius litteris ſcriptis an. 1590. humaniter fecit) typis impreſſit, idem in aliis ſervaturus. Valentinus Leuchius Parochus S. Severi apud Erfordienſe oppidum in Annalibus vertendis in Germanicam linguam elaboravit, ut teſtatur Antonius Poſſevinus in Apparatu ſacro. Coloniae anno 1600. alia Baronii epitome in 4. Auctoris anonymi Germanica lingua edita fuit. Stanislaus Cracovius Archiepiſcopus Gneſnenſis per litteras an. 1592. Baronium rogavit, ut Patribus Societatis Jeſu in Collegio Caliſii morantibus ſingula Annalium volumina in Polonicum idioma vertendi facultatem praeberet; quod Baronius litteris ſub datum ejuſdem anni permiſit. Petrus Scarga Polonus, Societatis Jeſu theologus, decem Annalium tomos in unum volumen contraxit, quod Cracoviae prodiit anno 1602. Petrus Frizonius in Henrici Spondani Vita cap.x.teſtatur, Claudium Durandum theologum Pariſienſem, & Joſephum Plancheum in Senatu Galliae principe patronum Gallicam verſionem ſummatim molitos eſſe, quibus in ſcriptione ſocium fuiſſe Artum Thomam Embrii dynaſtam. Horum epitome hunc titulum praefert: *Les Annales de l'Egliſe de Ceſar Baronius*. Pariſ. 1614. Nicolaus Faber in epiſtola ad Baronium verſionis Gallicae jam inchoatae meminit, de cujus evulgatione anno 1616. agunt ephemerides litteratorum Pariſienſes ad menſem Martii anno 1702. pag. 278. Aliam epitomen Gallica lingua confecit Petrus Coppinus, ex Annalibus Baronii & Spondani conflatam, quae Pariſiis an. 1656. prodiit. Ac inſuper opera & ſtudio Fr. Britii Rhedonenſis cum continuatione ad annum 1612. Arabice lucem aſpexit Romae typis Congregationis de propaganda Fide anno 1653. Alias praeterea epitomes Latinas Annalium plures eruditi viri confecerunt. Omnium primus Jo: Gabriel Briſciola Societatis Jeſu protulit eorumdem compendium Coloniae Agrippinae 1600. ſubinde Venetiis ann. 1602. Ex ſeptem prioribus tomis Cornelius Schultingius alphabetico ordine theſaurum antiquitatum Eccleſiaſticarum ſuo labore atque induſtria effoſſum eruit, ac palam expoſuit Coloniae anno 1601. & cum epitome octavi tomi ibidem anno 1603. Ex XII. vero tomis Henricus Spondanus accuratiſſimam perfecit epitomen. Hic anno 1595. haereſim Calvinianam ejuravit. Romam ſe contulit, ubi a Baronio in contubernium adſcitus eſt, & aliquando typographiae Vaticanae in correctione librorum edendorum inſerviit. Per idem tempus in compendium redegit omnium Annalium tomos, quos Baronius ediderat. In Galliam reverſus, Baronii permiſſione ſuam epitomen protulit typis Pariſienſibus anno 1612. Clero Gallicano dicatam; quae deinde prodiit Moguntiae anno 1614. Coloniae Agrippinae anno 1642. item Lugduni anno 1660. Andreas Bzovius hiſtoriam Eccleſiaſticam compendiariam ex Baronii Annalibus aliorumque virorum illuſtrium confecit, quae Romae, & Antuerpiae

Digitized by Google

piae an. 1616. deindeque Coloniae Agrippinae 1617. in lucem podiit. Et Severinus Binius, qui Conciliorum omnium collectionem aggreſſus eſt, aliique ſcriptores diſertiſſimis ac faecundiſſimis Caeſaris Annalibus locupletati ſua ipſorum opera mirifice illuſtrarunt, ejuſque eruditioni, & auctoritati, praecipue in rebus Eccleſiaſticis, plurimum ſemper honoris tribuerunt. Sed non omittendae Annalium editiones Latino ſermone, quae hactenus prodierunt. Prima eſt Romana typis Vaticanis anno 1588. Secunda Antuerpienſis Plantiniana anno 1589. Tertia Romana anno 1591. Quarta Romana ex typographia Torneriana anno 1592. Quinta Vallicellana ex typographia Congregationis Oratorii Romae anno 1593. Sexta Romana typis Vaticanis editionis ſecundae anno 1594. Septima Veneta anno 1595. Octava Colonienſis an. 1596. Nona Antuerpienſis an. 1594. Decima Moguntina anno 1601. Undecima Veneta anno eodem. Duodecima Colonienſis an. pariter 1601. Decima tertia Colonienſis an. 1609. Decima quarta Antuerpienſis an. 1610. 1612. 1613. Decima quinta Colonienſis anno 1624. Decima ſexta, ſeptima, & octava Antuerpienſis annis 1642. 1670. 1697. Ad calcem tomi XI. editionis Antuerpienſis anni 1642. ſeparatim (ementito tamen editionis loco) habetur tractatus de Monarchia Siciliae, qui in caeteris Antuerpienſibus deeſt. Decima nona Veneta incepta an. 1705. & abſoluta an. 1713. Haec tamen ita accipiuntur, ut non toties omnia Annalium volumina e prelis prodierint, ſed ubi primum quodlibet Annalium volumen Romanis typis lucem viderit, ſtatim variis in urbibus recuſum fuerit. Vigeſima Veneta, cujus primus tomus prodiit anno 1737. Vigeſima prima, omnium exactiſſima, Lucae in Tuſcia 1738. typis Venturini inchoata, & abſoluta opera & ſtudio eruditiſſimi praeclariſſimique P. Dominici Manſii Lucenſis e Congregatione Clericorum Regularium Matris Dei, illuſtrationibus etiam atque notis optimis aucta.

DE

DE

VITA
VEN. CAESARIS
CARDINALIS
BARONII
LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.
A Clemente VIII. ſuis confeſſionibus excipiendis eligitur.

OB editos jam nonnullos Annalium tomos, & praeclara Caeſaris virtutum ornamenta, ejus doctrinae, pietatique inſignem in Eccleſia dignitatem deberi, conſtans ubique plurimorum fama praedicabat. Neque eos certe fefellit opinio. Siquidem Clemens VIII. cui Caeſar probe cognitus, caruſque erat, repetitis ſaepe conſultationibus, Deoque precibus exorato, tandem dignis eum honoribus decorare ſtatuit. Hanc Pontificis de eo exornando voluntatem ubi ille reſcivit, utpote qui ab humanis dignitatibus maxime abhorrebat, primum quidem extra urbem fugere, & in alium Congregationis locum ſe ſe recipere cogitavit; verum quia conſcribendorum Annalium onere impeditus, in urbe remanere compellebatur, magis e conſilio ſe facturum putavit, ſi per dies aliquot in ea occulte deliteſceret. Quum autem intelligeret, ſe neque hac quidem ratione ſubterfugere poſſe quod verebatur, continuo Dei opem implorare, amicorum conſilia exquirere, piis aliorum precibus ſe ſe commendare, ut Deus Pontificem a ſuſcepta cogitatione dimoveret. Occurrebat ſiquidem illius animo ſalutis amittendae periculum & metus, ſcriptionis Annalium, quos prae manibus habebat, impedimentum, imbecillorum animorum, quam

ſummo-

Digitized by Google

ſummopere timebat, offenſio, aliaque complura, quibus in eam ſententiam adducebatur, ut optime ſaluti ſuae conſultum putaret, ſi in ſuſcepto privatae vitae inſtituto permaneret. Verum biennio jam fere tranſacto, quum Sacrarii Apoſtolici Praefectus, qui Pontifici erat a confeſſionibus, e vita deceſſiſſet, Pontifex de Caeſare illi in eo munere ſufficiendo, eum ad majores poſtea dignitates evecturus, coepit cogitare. Noverat enim eximiam ejus animi integritatem, prudentiam, fidem, pietatem, aliaſque virtutes, quibus ad id munus obeundum aptiſſimus reddebatur. Igitur S. PHILIPPO ad ſe accerſito Pontifex conſilium ſuum exponit; qui licet Clementem multis in medium adductis rationibus a ſententia dimovere conatus eſſet, nihilominus eam Pontifex pro decreto eſſe jubet. Id quum primum a PHILIPPO Caeſar intelligit, ſtatim eum enixe deprecatur, ut ad rei exitum intercludendum omnes curas cogitationeſque adhibere velit; eumque etiam atque etiam rogat obteſtaturque, ut Pontifici ſuam inſcitiam, ſtoliditatem, atque alia hujuſcemodi aperiret, quibus a propoſita deliberatione deſiſtat. Ita ſupplex ad B. Patris pedes advolutus, nunquam orandi finem fecit, donec PHILIPPUS ſe ejus poſtulatis ac precibus, quantum poſſet, obſequuturum promitteret. Verum utriuſque conatus irriti fuere. Nam Pontifex eo magis in ſententia perſiſtens, quo illos repugnare animadvertebat, Sylvio Antoniano, viro omnium virtutum genere cumulatiſſimo, tunc temporis Apoſtolici cubiculi Praefecto (qui deinde in ampliſſimum Cardinalium collegium ab eodem Pontifice eſt cooptatus) in mandatis dedit, ut Caeſarem ad ſe in Palatium deduceret, eumque in demortui locum ſuffectum eſſe certiorem faceret. Caeſar ubi ad Pontificis conſpectum pervenit, quamvis onus recuſare, ſuſceptamque Eccleſiaſticae hiſtoriae conſcribendae provinciam, aliaque multa objicere coepiſſet, nunquam tamen aſſequi potuit, ut demandatum ſibi munus declinaret. Itaque Pontificis auctoritate imperioque adductus, ejus confeſſionibus audiendis operam dare coepit, facta ſibi interim ab eo facultate inceptum Annalium opus libere feliciterque proſequendi. Interea dum in hoc arduo Pontificiae confeſſionis audiendae munere verſatur, quum ecce ad Apoſtolicam Sedem negocium illud omnino maximum graviſſimumque occurrit, de Henrico IV. Borbonio Franciae ac Navarrae Rege, qui armis Galliae potitus, auctoritate Romani Pontificis, a quo olim deſciverat, ſibi regnum confirmari ſtabilirique ſumma ope nitebatur. Tam ardua, tamque difficilis controverſia, Principum Chriſtianorum animis in varia ſtudia diſtractis, haud facile dictu eſt, quantum Pontificis voluntatem ſolicitam, dubiamque tenuerit, hinc videlicet recolentem priſtinum Eccleſiaſticae diſciplinae rigorem, quem in hac etiam cauſa ſervandum vulgo jactata de poenitentiae Regis ſimulatione ſuſpicio ſuadere videbatur; inde graviter metuentem, ne Gallicanis Epiſcopis indigne ferentibus, quod quem ipſi Principem agnoſcerent, & vere Catholicum praedicarent, ipſe Romanus Pontifex non reciperet; atque interim nobile regnum novo ſchiſmate noviſque tumultibus agitaretur, pro quibus evertendis amovendiſque tantos labores veteres Pontifices ſuſcepiſſent, tantaque intelligebat fuiſſe praeſtita a Sanctis Patribus omnia prius ſubire incommoda non recuſantibus, cunctiſque Eccleſiaſticis legibus potius valere juſſis, quam ut Eccleſia Dei haereſum ac di-

ac diſcordiarum procellis jactata, aliquid detrimenti caperet. Verum in tam ardui deliberatione conſilii Caeſaris ſolertia minime ſe inertem praebuit, qui praecipuus inter alios auctor Pontifici fuit, ut de Regis abſolutione ſententiam ferret. Quippe non contentus multis a Deo precibus & lacrymis, & adhibito etiam, ut in his ſolebat, aſperrimo cilicio, rei exitum implorare, ſaepiſſime & S. PHILIPPO id ſibi praecipienti parens, Pontificem adiit, flexiſque genibus obſecravit, ut depoſito tandem timore, & de poenitentis animo minime dubius, & de Eccleſiae pace ſecurus, eum delicti veniam petentem benignus excipere, & clementer abſolvere non recuſaret. Quae ſane res quamquam opera nonnullorum in Regem alieni animi hominum tantam Caeſari invidiam conflaſſet, ut ſaepe ab amicis admonitus rogaretur, ne amplius de ea re cum Pontifice verba faceret, quippe non leve ſibi ab aliquibus imminere mortis periculum; ipſe tamen Apoſtolico ſpiritu plenus, tantum abſuit, ut vel mortis timore perterritus ab incepto deſiſteret, quinimo intrepide reſponderet, optare ſe non ſemel tantum, ſed & millies ſanguinem effundere, ac vitam amittere, dummodo morte ſua divini nominis gloriam promovere, Eccleſiae paci conſulere, & animarum ſaluti proſpicere poſſet. Quapropter quum ſaepius Pontificem ad Regem Eccleſiae reconciliandum eſſet hortatus, neque adhuc petitionis ſuae compos efficeretur, divini Spiritus ardore ſuccenſus, & S. PHILIPPI conſilio, ac praecepto commotus, libere & aperte Pontifici edicit, ſe non amplius ejus confeſſiones excepturum, niſi de Rege abſolvendo, recipiendoque deliberaret. Quibus rebus factum eſt, ut Pontificis animus tamdiu ancipiti cura ſuſpenſus, in optatam deliberationem venerit Regem ad poenitentiam redeuntem excipiendi; quod deinde non ſine Chriſtianae reipublicae gaudio, & utilitate, quam calamitoſiſſimis illis, turbulentiſſimiſque temporibus optare quidem omnes boni, ſperare vix pauci videbantur, feliciter contigit.

CAPUT II.

Praepoſitus Congregationis eligitur.

PER haec tempora PHILIPPUS, biennio ſcilicet antequam mortem obiret, quo ſibi ad extremum vitae diem properanti diligentius vacare poſſet, Praepoſiti munere, quod illi perpetuo fuerat injunctum, ſe ſe abdicare conſtituit. Itaque rem aggreſſus, cum Presbyteris habere coepit colloquia, ad quorum animos in ſuam ſententiam perducendos plurimas validiſſimaſque rationes afferebat. Verum quum illi ejus petitioni haud libenter acquieſcerent, quod eum, quem optimum Congregationis parentem agnoſcebant, perpetuum habere Praepoſitum exoptabant; PHILIPPUS Auguſtinum Cuſanum, & Federicum Borromaeum Cardinales, ſuos in Chriſto filios, rogavit, ut rem cum Presbyteris agentes, ad eum, quem cupiebat, exitum perducere conarentur. Suſcepere Cardinales delatam ſibi a PHILIPPO provinciam animo perlibenti, convocatiſque in unum Patribus, ut Praepoſiti onus a PHILIPPO in Baronium abire ſinerent, pluribus perſua-

Digitized by Google

dere nitebantur; addentes, non ſolum ſibi poſtulantibus rem gratam facturos, ſed etiam Summo Pontifici, qui rem omnem ſibi expoſitam ſic approbabat, ut eumdem Baronium Praepoſitum declarandum eſſe cenſeret. Doluit ad haec Baronius, qui aderat, vehementer, & conſilii exitum omnino prohibere conatus, nequaquam obtinere potuit, quin PHILIPPI abdicatio, tantis ab ipſo expetita votis, ſuum tandem ſortiretur eventum. Licet enim Caeſar id tandem poſt multas aſſequutus ſit preces, ut quando novus eligendus foret Praepoſitus, res tota nonniſi ſervatis Congregationis decretis ageretur, quibus ſtatutum eſt, ut liberis Sacerdotum ſuffragiis eligatur; non potuit tamen hac ratione imminens illi onus ſubterfugere. Siquidem Presbyteris ſua de hac nova Praepoſiti electione vota ferentibus, ac ſecum invicem voluntate ſuffragiiſque conſentientibus, Congregationis Praepoſitus una electus & renunciatus eſt anno Domini MDXCIII. x. kalendas Auguſti. Quo tempore ingens ſane laetitia inceſſit Patres, ac praecipue PHILIPPUM, cujus erga Caeſarem amor & exiſtimatio tanta erat, ut plane fateretur, ſe tum quidem emori libentiſſime, quum videret talem ſibi Congregationis Praepoſitum ſubrogatum, qualem optima illius adminiſtratio ac regimen expoſceret. Sed in hac communi laetitia unum dumtaxat Caeſarem tenebat dolor, qui quum de ſe modeſtiſſime ſentiret, indignum ſe plane judicabat, qui aliis praeficeretur. Quapropter Neapolim ad ejus Congregationis Presbyteros ſcribens, verſam eſſe dolebat in luctum cytharam ſuam, quod ſuſcepiſſet de manu Domini duplicia pro peccatis ſuis, juxta illud: *Duplici contritione contere eum Domine*: quum videlicet Praepoſiti munus, atque Rectoris (nam eo tempore Romae Congregatio Praepoſitum, & Rectorem habebat) utrumque a ſua mente quammaxime alienum impoſitum ſibi eſſe ſentiret, ſimulque ſe gravius vulneratum, quum jacula, quae non praevidentur, magis feriant. Verum enimvero humilem ejus animum nil laedere potuit divina protectum ope: quin potius ut in eo munere ſubeundo ne minimum quidem ſibi obfuit, ita in exercendo plurimum ſibi profuit, caeteriſque. Ut primum Congregationis Praepoſitus eſt renunciatus, quum ſinguli Sacerdotes, Clerici, laicique debitam illi obſequii ſignificationem praeſtituri ad eum accederent, facilem & modeſtum ſe illis ultro exhibens, eoſque benigne arcteque complectens: *Fratres*, ajebat, *ſumus*, *fratres*, *fratres ſumus*: oſtendens jam tum ex ejus incremento dignitatis majorem ſibi modeſtiae, & caritatis cumulum acceſſiſſe. Quum autem optime intelligeret, rectum cujuſque ſocietatis regimen in eo potiſſimum verſari, ut omnia rite atque ordine adminiſtrentur, ſingulique quae ſui ſunt numeris diligenter exequantur, omnes in id curas cogitationeſque intendebat. Qua in re apud eum quidem magis ſemper viguit exemplum, quam auctoritas; quum quid unicuique agendum eſſet, non tam verbo admoneret; quam, ut prorſus ageretur, urgeret exemplis. Nunquam enim auſus fuiſſet quicquam alteri ſervandum praecipere, quod non antea ipſe ſervandum ſibi propoſuiſſet. Itaque quamquam erat, ut omittam alia, conſcribendorum Annalium onere praegravatus, ad publica tamen Congregationis munera cum caeteris convenire nunquam praetermittebat; quin ſtatim ſigno dato ad ſingula quaeque accerſitus, perinde ac ſi vocantem Deum audiſſet, re-

lictis

ſlictis omnibus convolabat, ubique legum Congregationis rigidus obſervator, ſemper privatis communia, aliena propriis anteponens. Singulorum neceſſitatibus, praecipue vero infirmorum, ut conſuleret, omni ſtudio nitebatur, quos & frequenter inviſebat, & opportunis remediis ſublevari diligentiſſime curabat. Si quando e domo egredienti aliquis e fratribus, aut alius vel ex infima plebe ſe illi comitem adjunxiſſet, nequaquam permittebat, ut ſe vel minimum pone ſequeretur, ſed volebat omnino, ut ſibi ad latus haerens una ſecum pari procederet gradu; quum diceret omnes fratres ſuos eſſe, ſeque tanquam minimum omnium exiſtimans, nullum ſibi peculiarem honorem obſequiumve haberi permittebat. Cibo veſcebatur caeteris communi, viliore libentius. Veſtem induebat plerumque rudem, obſoletam, ac pene laceram; negligens omnino quidquid ad corporis cultum elegantiamque pertineret. Quum autem Caeſari ingenium eſſet non fucatum, aut fallax, ſed ſimplex & verax, nulloque ſimulationis artificio eruditum, nunquam adduci poterat, niſi ſummopere coactus, ut crederet hominem quempiam ſibi poſſe mentiri. Nimirum quod ſanctis viris proprium adſcribit Ambroſius, caeteros de ſuo affectu aeſtimans, & fallere quid eſſet ignorans, facile in aliis eamdem aperti ſincerique animi voluntatem ineſſe arbitrabatur, & una cum Joſue fraudulentorum Gabaonitarum dolos minime agnoſcebat; quumque ſuſpicari non poſſet quod ipſe non eſſet, de omnibus bene judicabat, qui fidem eſſe in omnibus arbitrabatur. Verum quum hac ille eſſet optimae mentis ſinceritate praeditus, ut falſa ſibi renunciare neminem crederet, accidere aliquando conſuevit, ut quum quis apud eum de accepta ab altero injuria conqueſtus eſſet, habita accuſatori fide, ejuſque juvandi ſtudio commotus, hominem a quo injuriam illatam fuiſſe acceperat, conveniens, tanquam in culpae obnoxium animadverteret, bono ille quidem animo, ſed tamen conſilio celeriore, ac praematuro; qui propterea totius rei dein certior factus, quum falſa ſibi ab accuſatore delata deprehenderet, & ſe ipſum, qua erat modeſtia, credulitatis arguebat, & erroris veniam ab eo, quem increpaverat, poſtulabat. Quemadmodum etiam, ſi errare ipſe quempiam animadvertiſſet, ut erat veri rectique obſervantiſſimus, facere interdum non poterat, quin illius ardens & concitatum ingenium vehementi aliquando affectu moveretur. Iram tamen ut ſumebat facile, facilius deponebat: quod hominem doctum & vere ſapientem decet. Etenim ut incultis aſperiſque regionibus diutius nives haerent, plano ſolo ſtatim elabuntur; ſic in pectoribus humanis feras mentes ira longius obſidet, eruditas praeterlabitur. Quapropter, ſi acrius fortaſſe aliquando, quam par eſſet, quempiam objurgaſſet, facti confeſtim poenitens, repreſſoque illo naturae impetu, ſemetipſum culpae redarguens, modeſtiſſime veniam ab eo flagitabat, & ſubaſperatum fortaſſe hominis reprehenſi animum mira verborum ſuavitate leniebat. Atque ita vel leviſſima peccata, ſine quibus ne Sanctorum quidem vita traducitur, eo illi magis cooperabantur in bonum, quo & ſincerius imbecillitatem ſuam agnoſcebat, & a Deo, qui humilia reſpicit, majore animi contentione, humi quandoque toto corpore proſtratus, praeſidium veniamque implorabat. Denique opinionis ſuae nec erat inanis oſtentator, nec durus aſſertor; veritatis vero, ſupra quam dici poteſt, ſtudio-

dioſiſſimus: cui primum cognitae atque perſpectae, etiamſi antea ſecus opinatus eſſet, ſtatim libentiſſime acquieſcebat. Et in publicis quidem Congregationibus, ſi quando variae extabant Patrum ſententiae, ne quid ex propria mente ipſe ſtatueret, exceptis hinc inde ſuffragiis, id omnino faciendum decernebat, quod pluribus Patrum votis cerneret comprobari. Interea, dum Praepoſiti munus diligenter exequitur, accidit, ut S. PHILIPPUS, ingraveſcente cum aetate morbo, in extremum vitae diſcrimen adduceretur. Itaque Caeſar Parenti optimo jam in coelum migraturo ſacrum Oleum multis cum lacrymis, ſummaque pietate impertivit, ejuſque animam Deo, Sanctiſque omnibus, ut fieri ſolet, commendavit. Mox vita functo, una cum caeteris Congregationis Presbyteris ei juſta perſolvit, eumque ſepulturae mandavit. Quo tempore quum, quid ab eo precibus poſtulandum eſſet, cogitaret, venit ei in mentem *Breviarium* aperire,& quid primum ante oculos ſibi legendum occurreret, intueri. Quo aperto, ſtatim incidit in illud comma Pſalmi LXXIX. *Reſpice de coelo, & vide, & viſita vineam iſtam, & perfice eam, quam plantavit dextera tua*. Quibus verbis ut Congregationi accommodatis Caeſar,aliique B. Patris alumni, communem ſibi opem ab eo implorare pie ſanctеque deinceps conſueverunt. Jam vero quum Praepoſiti munere ad triennium uſque multa cum laude Caeſar functus eſſet, ubi iterum de more ad ſuffragia Patres convenere, eumdem communi conſenſu, quo antea elegerant, in eodem confirmandum putarunt. Qua ex re multum ſane doloris ipſe percepit; tum quod paulo ante ad Protonotarii Apoſtolici dignitatem a Pontifice Maximo evectus fuerat, ut infra narrabimus; tum quod indigniſſimum ſe judicaret, qui alios regendos gubernandoſque ſuſciperet. Quocirca ad Patres Neapolitanae Congregationis ſcribens, primum quidem dolere ſe ait vehementer, quod ſibi, tot tantiſque laboribus pene obruto, triennalis inſuper addita ſit domus praefectura, quum jam ſatis ad eam gerendam adminiſtrandamque ſe minime idoneum eſſe, nemo non noverit; ideoque impenſius pro ſe Deum exorandum, ut eum ſpiritu ſuo illuminaret, quo praeditum oportet eſſe eum, qui aliorum eſt moderator: ad quod reſpiciens David dicebat: *Spiritu principali confirma me*: idque eo magis pro ſe miſero flagitandum, quod indignum ſe eſſe diceret, qui vel inter Congregationis laicos adnumeraretur, nedum omnibus immerito praeeſſet, quorum ſe indigniſſimum eſſe famulum exiſtimabat.

CAPUT III.

Protonotariorum Apoſtolicorum collegio cooptatur.

QUUM autem augeretur in dies magis magiſque de Caeſaris ſingulari doctrina ac probitate apud omnes opinio atque exiſtimatio, ut clariſſimum hoc lumen ſuper candelabrum in Eccleſia poſitum latius effulgeret, Clemens VIII. Pontifex Maximus poſt multas adhibitas preces, atque conſilia, Caeſarem Protonotariorum Apoſtolicorum collegio, quos *Numerarios* vulgo appellant, adſcribere decrevit. Id autem quomodo acciderit;

derit, quoniam ex epiſtola, quam ipſe Caeſar paulo poſt ad Antonium Talpam, ſibi amiciſſimum, Neapolim conſcripſit, poterit enucleatius quiſque percipere, placuit eam ex Italico ſermone in Latinum transferre, quae ſic omnino ſe habet „ Vix equidem audeo verecundia prohibente manum calamo admovere, nuncium allaturus, ex quo mihi rubor, tibi, caeteriſque
„ Patribus, fratribuſque non mediocris dolor conſequatur. En cecidit fulmen,
„ antequam tonuerit. Narro tibi. Die lunae, qui fuit vigeſimus Novem-
„ bris, hora noctis dimidia, quum Pontifex ſacra ſe confeſſione de more
„ expiaſſet, continuo praeter conſuetudinem in thronum conſcendit, haud
„ aliter, quam ſi munus aliquod Pontificium eſſet peracturus. Tum vero
„ in hanc ſententiam mecum proloquutus eſt: *Optamus vehementer, P. Cae-*
„ *ſar, ut Nobis unum quippiam abs te flagitantibus ne deneges, tuaque uti*
„ *opera volentibus acquieſcere ne graveris*. Haec illum, atque alia mo-
„ deſtiae verba proferentem, ego, quod imminebat malum, mente prae-
„ ſagiens, orationis finem minime expectans, illico interpellare coepi,
„ atque interrumpere, & ad ipſum converſus: *Mihi vero*, inquam, *Bea-*
„ *tiſſime Pater, multum timoris incutit hujuſmodi Tuae Sanctitatis exor-*
„ *dium. Ecquis enim ignorat, debere me vel non rogatum tuis ſemper*
„ *obſequiis inſervire?* Tum ille: *Quoniam*, inquit, *Annalium Eccleſia-*
„ *ſticorum ſcriptorem Protonotarii Apoſtolici nomen ac dignitas maxime de-*
„ *cet, ea, quae nunc recens vacat, te nunc demum inſignire, ac cohoneſtare*
„ *omnino decrevimus*. Ad haec ego ſtatim reclamare vehementer, non
„ opus eſſe hujuſmodi titulo, ſine quo Annales noſtri jam ſatis ubique
„ gentium recipiuntur; vel certe, ſi in ea ſententia firmus perſiſteret, ſatis
„ eſſe ad hujus inſcriptionem tituli ſolo ac nudo Protonotarii nomine do-
„ nari; ut compluribus accidit Eccleſiaſticarum rerum ſcriptoribus, in-
„ primiſque Galeſino: atque ad hunc honorem ſuſcipiendum, dummodo
„ mihi Praeſulis veſtis gerenda non eſſet, adduci me tandem, quamquam
„ moleſtiſſime permiſſurum. Caeterum ea dignitate cumulari, qua Prae-
„ ſulum more cogerer indutus incedere, id enimvero me nunquam paſ-
„ ſurum. Neque enim id mihi honori fore, aut dignitati, quin potius
„ vituperationem & dedecus allaturum, multis vero offenſionem; ex eo
„ reſponſum confirmans, quod quum multi Germaniae, aliarumque na-
„ tionum Antiſtites ad me veniſſent, conſpexiſſentque indutum veſte attri-
„ ta, ac prope ſordida, affirmarunt, hinc ſe plus ad virtutem incitamen-
„ ti, quam admirationis ex Annalium ſcriptione percepiſſe; quippe qui
„ ſecum animo cogitarant tanto me famulorum obſequio ſtipatum, tanto-
„ que veſtium apparatu, ac ſplendore circumſeptum, vix ut aditus ipſis
„ eſſe poſſet ad me inviſendum. Haec quum dicerem, & me plurimum
„ reluctantem Pontifex audiret, ecce tibi repente formidabile ſententiae
„ fulmen explodit, omnino parere me imperantis. Ego vero nequaquam
„ idcirco ſilui, ſed ingemiſcere coepi graviter, & conqueri, quod tam
„ ſubito praecepti fulmine me perculiſſet, ageretque mecum longe ſeve-
„ rius, quam cum aliis unquam; objiciens Reverendiſſimum Dominum
„ Avenionenſem Archiepiſcopum (erat is Franciſcus Maria Taruſius)
„ quem ad ſe vocatum ſaepius, & auditum, tandem poſt aliquod tem-
„ poris ſpatium adhibita Apoſtolici praecepti auctoritate ad oblatam di-

„ gni-

Digitized by Google

„ gnitatem aceipiendam compulerit. Itaque, ut paullulum temporis daret,
„ quo & rem in conſilium deducere, & Deo precibus commendare poſ-
„ ſem, rogavi. At ille, diu ſe multumque cogitaſſe, & rem totam per
„ preces, & Sacrificia egiſſe cum Deo, ſuaque in ſententia firmiter per-
„ manere. Ego, quod voveram, rurſus expoſui: at ille non accepit; imo
„ vero praeceptum, quod impoſuerat, iteravit: quod ſane mirabiliter
„ efficiebat, ut, cum mihi vocem adimeret, lingua haeſitarem, & defen-
„ ſionem cogitans, contremiſcerem, nec poſſem verbis exprimere quod
„ volebam. Pontifex animi mei anguſtias conſpicatus, ſubridere coepit,
„ iterumque obedientiae praeceptum confirmavit. Ego tueri me, ut po-
„ teram, ſatagebam. Verum, ubi nullus meis rationibus relictus eſt locus,
„ ad preces me converti; ſed neque mihi id profuit. Videns enim Pontifex ne-
„ quaquam ſe aſſequi poſſe, ut a me conſenſum extorqueret, tintinnabulo
„ ſignum dedit, quo ſtatim Apoſtolici cubiculi Praefectus, & Reveren-
„ diſſimus D. Didacus de Campo evocati, acceſſum accelerant, veſtes vio-
„ laceas importantes. Tum ille de throno conſurgens, propriis me veſti-
„ bus exui, & recentibus veſtitum in interiorem aedem deduci jubet, in
„ quam ſe receperat, ibi more Pontificio ſacrum amictum mihi prae-
„ biturus. Haec in aede bibliothecae gerebantur, ubi ejus confeſſionem ex-
„ ceperam. Ut primum Pontifex receſſit, confeſtim nulla interpoſita mo-
„ ra duo, qui advenerant, manus in me injiciunt, & pallium vi prehen-
„ ſum ex humeris detrahere nituntur. Ego contra reprehendere illud per-
„ tinaciter, atque conſtringere; nunquam me commiſſurum affirmans,
„ ut qui e domo ſimplici Sacerdotis habitu indutus exieram, in eam mu-
„ tata veſte regrederer. Itaque in hac concertatione diu mihi, multum-
„ que ſudatum eſt uſque adeo, ut ad exteriorem corporis veſtem ingens
„ ſudoris copia permearet. Tandem quum viderem me contra duos ſta-
„ re non poſſe, flexis ad terram genibus eos obteſtari coepi atque ob-
„ ſecrare, ut mihi vel unius diei inducias a Pontifice impetrarent, pollici-
„ tus rediturum me omnino poſt eam diem, & dicto ſtatim pariturum. Com-
„ motis ad miſericordiam amborum animis, unus ex eis Pontificem exo-
„ raturus adivit, qui ad anteriorem aedem regreſſus, quum plurimum de
„ me conqueſtus eſſet, adjecit, poſtulatam quidem temporis moram etſi
„ non denegaret, ſe tamen invitum concedere, quod praeſertim videret
„ dignitatem ejuſmodi ſubterfugere me non poſſe, quandoquidem ea de
„ re jamdiu apud ſe deliberatum eſſet. Tandem vultu atque animo ſub-
„ irato dimiſit me. Quumque foras egrederer, non levis admiratio in-
„ ceſſit aulicos, qui me immutata facie intuebantur. Venerat tunc mecum
„ in Palatium P. Germanicus Fidelis, quem cubiculi Praefectus ſeorſim
„ abripiens omnia, quae geſta erant, edocuit, monuitque inter alia, ut
„ initam de hac re Pontificis deliberationem Patribus teſtatam faceret.
„ Non omittam, quod Pontifex dolorem meum animadvertens conſolan-
„ di mei cauſa dixit, nolle ſe, ut e domo egrederer, & anteactae vitae
„ inſtitutum mutarem; quin velle, ut in Templo publice confeſſiones au-
„ direm, & in Oratorio ſermones haberem. Ad haec indulſit, ut, quo-
„ niam multos famulos mihi obſequentes aegre tuliſſem, duos tantum
„ admitterem. Quumque abhorrere me dicerem a veſtibus violaceis, ni-

„ gras

„ gras permiſit, ſed eas tamen, quas Praeſulem decet, ſine quibus ut e
„ domo egredi poſſem, vel multum rogatus non conceſſit, quod collegio
„ Protonotariorum maxime diſpliceret. Denique ab aliis functionibus, quae
„ publice in Sacello Pontificio fieri conſueverunt, me liberum dimiſit; quam-
„ quam rationi valde conſentaneum eſt, inquit, ut ſolemnioribus quibuſ-
„ dam diebus in eum locum omnes conveniant. Hora circiter prima no-
„ ctis & dimidia domum redii, & tacitus ad ſepulcrum B. Patris advola-
„ vi, eum inſtanter orans, ut quam in aliis neceſſitatibus vivens mihi opem
„ tulerat, eam nunc etiam impenderet. Quo facto Patres ad Congrega-
„ tionem convocavi, eiſque tragoediam doloris plenam expoſui, quos
„ novus & inopinatus eventus attonitos ſimul effecit, ac moerore per-
„ culit. Habitus eſt ſermo de remediis. Statutum eſt, ut duo ex noſtris
„ inſequenti die nomine totius Congregationis Pontificem convenirent, &
„ Congregationis neceſſitates ut reſpiceret, exorarent. Eadem nocte Il-
„ luſtriſſimo Cardinali Cuſano ſupplicatum eſt, ut ob eamdem cauſam
„ Pontificem adiret, qui non modo ſe proxima die aditurum Pontificem,
„ atque ex animo rogaturum promiſit, ſed alios etiam Cardinales, Pa-
„ laeotum, Medicem, & Veronenſem ejuſmodi legationis ſocios adhibi-
„ turum. Verum haec officia ut inopportuna, ſic & irrita fuere. Nam
„ poſtero die prima luce Reverendiſſimus D. Didacus de Campo domi
„ convenit me cum Pontificis mandato, ut veſtes, quas ſecum attulerat,
„ ſtatim induam. Aderant tum forte mecum in Sacrario Cardinalis Pam-
„ philius, Abbas Maffa, aliique nobiles viri, qui ſimul omnes uno im-
„ petu facto veſtes ex humeris mihi detraxerunt, indueruntque me recen-
„ tibus illis renitentem licet & repugnantem. Convertat Deus monſtra in
„ bonum. Dicam vere: *Operuit confuſio faciem meam*: & quo majores quo-
„ tidie honores accipio, eo acriores pudoris ſtimulos ſentio. Per hos dies
„ nonnulli Cardinales inviſerunt me, alii per ſuos aulicos multis gratula-
„ tionum officiis ſunt proſequuti. Domi veſtitus maneo, ut ſolebam, in
„ cella mea. Patres aliud mihi cubiculum adjungere in animo habebant,
„ ſed non acquievi. De famulis unum addidi, quem in Chriſto filium ha-
„ bebam, & hunc extra domum; alterum retineo amanuenſem meum.
„ Mane unam ſaltem horam in confeſſionibus excipiendis inſumo. In Ora-
„ torio ſermones habeo, ut ſolebam. Domi nil prorſus ago, quod me
„ Praeſulem notet. Patribus interdixi, ne me Reverendiſſimum appellent,
„ ſed ut antea ſolummodo Patrem. Veſpere e domo in Palatium con-
„ tendo Praeſulis veſte indutus, ſed nigra. Verum, quoniam alii hujus di-
„ gnitatis viri de hac re graviter conqueſti ſunt, quod id eſſet praeter ip-
„ ſorum conſuetudinem atque inſtitutum, Pontifex rei certior factus, mo-
„ deſte admodum hortatus eſt, ut in hac re cum caeteris conſentiam. Ex-
„ ciderat e memoria quod mihi toties reclamanti Pontifex dixerat, ni-
„ mium in eo mihi laetandum eſſe, quod e domo non extraherer, & co-
„ gitandum quid cum Illuſtriſſimo D. Avenionenſe Archiepiſcopo, & Ca-
„ ballionenſi Epiſcopo actum fuiſſet; atque idcirco penitus acquieſcendum.
„ Verum neque ideo continere me potui, quin profiterer libentius me la-
„ turum, ſi pro Chriſti nomine in Indias, aut in Angliam me tranſ-
„ mitteret, quam ut Praeſulum more veſtitus per urbem incederem:

„ quum

Digitized by Google

„ quumque mereri me ſupplicium diceret, quod obedientiae praecepto „ jam nimis obſiſterem, reſpondi, malle me in Turris nonae, vulgo *Tordinona*, carcerem detrudi, quam Praeſulem domum redire. Porro intellexi „ futurum fuiſſe, ut, niſi me veluti ſuas confeſſiones excipientem reveritus eſſet, in acriora verba prorumperet, haud levem occaſionem „ illi ſuppeditante mea in loquendo licentia, ac pene dixerim impudentia. En, mi Pater, *periit fuga a me*. Miſerearis mei, quem a te „ diligi certus ſum. Conſolare fratres meos, & exora, ut mihi, cujus „ cauſa dolent, ignoſcant. Deum orent pro me. Cruciat me malum, „ & quod deterius imminet, gravius premit. Non ab re futurum cenſeo; ſi nomine totius Congregationis Apoſtolici Palatii Præfecto epiſtolam detis ad Pontificem, ſuppliciter eum obſecrantes, ut de hoc contentus jam quieſcat, & Congregationis noſtrae neceſſitates reſpicieus, ad „ alia non progrediatur. Plura, quae ſcribere poſſem, haberem: ſed „ nimium ita mente obtundor, ut vix compos ſim mei. Deus tibi praeſto ſit. Omnes in Domino ſaluta. Romae III. nonas Decembris 1595.

Ex hac autem epiſtola ſatis patet, quam vehementer Caeſaris animus ab honorum cupiditate abhorreret, quum in iis refugiendis non minus decertaret, quam plerique ſolent in aſſequendis. Quamquam haec ſublimis animi moderatio neque in Caeſare nunc recens nata, neque hic ſolum cognita eſt. Nam & olim S. Pio V. Pont. Max. oblatum ſibi ab Epiſcopo Sorano ejus Eccleſiae Sacerdotium (*Canonicatum* vulgo dicunt) recuſavit; & Gregorio XIII. Epiſcopatum Soranae civitatis ſponte offerenti, nunquam aſſenſum praebuit; idemque quum poſt editum primum Annalium tomum a Sixto V. cui illum obtulerat, Antonii Cardinalis S. Severinae petitione, Theanenſis Antiſtes declarandus eſſet, nunquam acquievit, variis ad excuſationem ſuam rationibus conquiſitis, quarum illa ſemper ad retardandos dimovendoſque ab ea voluntate Pontificum animos vim habuit maximam, qua ſcilicet affirmabat, ſi Epiſcopus eligeretur, omnino ſe debere ſuae Eccleſiae intereſſe, ab eaque nunquam diſcedere in commiſſarum ſibi ovium cura penitus occupatum, ideoque futurum, ut ab Annalibus Eccleſiaſticis proſequendis deſiſteret, ſuſceptique in ſcribendo labores, optato fine, atque utilitate fruſtrarentur. Quæ ratio etiam apud Gregorium XIV. plurimum valuit, ne illum Epiſcopum Senogallienſem declararet, cui eam dignitatem conferre Urbini Ducis ſupplicatione decreverat. Quamquam Caeſarem ad omnes honores fugiendos, alia praecipue ratio impellebat, quod humilitatis ſtudio incenſus ſaepiſſime Deo voverat, ſe in privato, ſimplicique vitae genere uſque ad obitum permanſurum. Quod nunc etiam libentiſſime ſervaſſet, niſi eum ad hanc dignitatem ſubeundam acre illud Clementis praeceptum omnino obedientiam imperantis coegiſſet. Qua de re in ſeptimo Annalium tomo ad ipſum Pontificem ſcribens, ubi de Ruthenis ad Catholicae Eccleſiae communionem nuper receptis verba facturus, exordii loco „ Inter „ caeteros, inquit, ejuſdem primi ordinis praeclariſſimos viros eidem „ operi mancipatos (*Protonotarios* intelligit) me licet indignum penitus „ atque immeritum cooptaſti. At, quanto id animi ardore perfeceris, neminem latet. Etenim Domini ſententia, quod factum eſt in cubicu-

„ lo,

,, lo, praedicatum eſt in tectis. Sciunt omnes vim tunc illatam, quum
,, juxta propheticum illud, *velociter ſpolia detrahe*, adverſum me magno
,, impetu actum eſt. Quum vero tunc duos vidiſſes uni ſuccumbere reni-
,, tenti, divina putaſti ad perficiendum, quod volebas, opus eſſe poten-
,, tia, nempe Apoſtolica auctoritate, qua tibi datum eſt non terram tan-
,, tum, ſed & coelum poſſe ſubigere. Viciſti tandem animum refractarium,
,, atque flexiſti cervicem ferream; ſed, fateor, non domuiſti, ut impoſitum
,, honoris jugum aequo animo ferrem, quod ad ſingula ferme momen-
,, ta (ſcit Deus) a me excuſſiſſem, ſi licuiſſet „ Porro ejus de hac di-
gnitate dolorem, praeter ea quae dicta ſunt, non obſcure nobis oſten-
dit epiſtola, quam Juvenali Ancinae olim noſtrae Congregationis Sacer-
doti, qui ob praeclara virtutum merita a Clemente VIII. Epiſcopus Salu-
tiarum in Sabaudia renunciatus eſt, Neapolim ſcripſit, quam Latine reddi-
tam heic referre libet „ Tuis litteris reſponſum non dedi in altiſſimo animi
,, moerore conſtitutus, quem novus mihi intulit eventus, in quo adhuc
,, meo cum pudore ac verecundia permaneo; unde oro is me eripiat,
,, qui de tenebris facit ſplendeſcere lumen ſuum. Gaviſus ſum, quod ad
,, tuarum rerum deliberationem temporis ſpatium ſumpſeris, in quo etiam
,, Patres omnes laetati ſunt, & ad divinam opem tibi ſuis precibus im-
,, plorandam animum appulerunt. O te felicem, qui tantum temporis ad
,, deliberandum ſuſcepiſti! O me infelicem, cui in praecipiti loco poſito
,, ne unius quidem diei ſpatium conceſſum eſt! Et ideo ploro, & in om-
,, ne tempus plorabo. Valeas, & miſerere mei, tanquam hominis ad
,, ſuſpendium deſtinati. Romae „ Eumdem etiam animi ſui dolorem ſatis
expreſſit ad Joannem Matthaeum Ancinam Juvenalis Epiſcopi fratrem „ Mei
,, memor eſto, inquit, in orationibus tuis, Deumque deprecare, ut ab-
,, ſolvat me de improperio hoc, aut certe deleat me de libro in hac vita
,, viventium. Quod ſi neutrum horum mihi concedat, *ſpiritu principali*
,, *confirmet me* „ Alias etiam complures ſcripſit epiſtolas, in quibus moe-
rorem ſuum, quem ex collata ſibi dignitate hauſerat, exprimebat. Equi-
dem frons, ſupercilia, oculi lacrymis madentes, vultus denique totus,
qui ſermo quidam tacitus mentis eſt, ad moerorem luctumque compoſi-
tus, internam cordis triſtitiam ita indicabant, ut eum omnino crederes, non
ad honorem & gloriam evectum, ſed ad mortis ſupplicium deſtinatum.
Atque hinc liquet, quam longe illius animus eſſet ab amplioris dignitatis
cogitatione remotus, qui tam graviter ſibi impoſitam faſtidiebat. Quocir-
ca eidem Juvenali Cardinalatum ſibi praenuncianti, ac metuenti, haec per-
belle reſpondit „ Moviſti mihi riſum, ubi legens tuas litteras, te adeo ti-
,, mere vidi, ubi non erat timor. Ita liber eſſem ab alia, quaecumque mihi
,, contingere poſſet, calamitate, ſicuti certus ſum, id mihi, quod times,
,, non obventurum. Ne tibi perſuaſum velis, aſinos volare poſſe, etiamſi
,, interdum ephippium illis imponatur „ Hunc eumdem demiſſi animi ſen-
ſum ſatis indicavit, quum rogatus a viro nobili, ut quando ad Cardinalatus
dignitatem, quam illi brevi conferendam conſtans fama erat, aſſumptus
eſſet, certum ſibi virum commendatum haberet; atque inter domeſticos ſuos
adnumerare vellet; ſtatim audito Cardinalatus nomine Caeſar conturba-
tus; genibuſque in terram provolutus, magno animi dolore, ac ſubmiſſio-

ne Deum exorans: *Abſit*, inquit, *a me, Domine, abſit, ut id mihi oneris unquam eveniat: prius morte opprimar*. Sed quoniam humiles extollit Deus, aſſumere eum voluit ad honorem, quem ſibi deferri poſſe ne cogitabat quidem, & collocare eum cum Principibus populi ſui, ut ſolium gloriae teneret etiam in militanti Eccleſia, qui contemnens animo terrenas dignitates, conſequuturus erat praemia regni coeleſtis tanto ſublimiora, quanto majore cum animi modeſtia de univerſa mundi gloria triumpharet. Id qua ratione evenerit, ſequenti capite explicamus.

C A P U T I V.

Cardinalis a Clemente VIII. renunciatur.

CONſtitutus Caeſar in ea, quam diximus, Protonotarii Apoſtolici dignitate, ſecum ipſe calamitatem ſuam aſſidue deplorabat, nec (jam ſex ab ea accepta menſibus elapſis) ullum ponebat ſuo dolori quereliſque finem. Huc acceſſit, quod quum per hos dies in Tuſculanum veniſſet, viſus ſibi eſt nocte quadam S. PHILIPPUM per ſomnium videre, eum admonentem, ſibi ut caveret; Deum namque magnum quippiam ab eo flagitare. Quibus verbis ſibi magnopere timendum judicavit, ne amplioris dignitatis onus ſuis humeris immineret; in quo ſcilicet vel accipiendo, vel ſuſtinendo caute admodum agere deberet. Quum ecce paullo poſt ingentes de novis Cardinalibus a Pontifice proxime renunciandis rumores tota urbe diſſeminantur, quorum numero haud dubie & ipſe Baronius aſcribendus cenſebatur. Veritus itaque, ne ſibi, quod vulgo ferebatur, accideret, primum quidem quaeſivit a Patribus, num e re eſſe exiſtimarent, ut fuga imminens, quod putabat, malum averteret. Verum quum hoc conſilium minime illis probaretur, quod fuga levitatis & arrogantiae notam praeſeferre videbatur; nihilque de Pontificis hac in re voluntate exploratum certumque habebant: continuit ſe ſe, plenuſque curarum maximis a Deo precibus, lacrymis, jejuniis, macerationibus opem implorare coepit, obteſtarique, ut ab ea cogitatione Pontificis animum averteret; votoque ſe ſe Deo obſtrinxit, ſi minime ad Cardinalatus dignitatem promoveretur, ſeptem praecipua urbis Templa nudis pedibus ſaccoque indutum ſe ſe aditurum; quod quidem iter fere duodecim millia paſſuum metiuntur. Neque his contentus, ut purpurae ſplendorem a ſe omnino, quantum poſſet, removeret, Pontificem adiit, eique de eligendis Cardinalibus verba facienti Franciſcum Mariam Tauruſium, Archiepiſcopum Avenionenſem, quem ſuperius laudavimus, propoſuit, ratus, imminentem dignitatem a ſe rejici poſſe, ſi eam in alium ejuſdem Congregationis transferendam curaſſet. Non injucundum ſibi fuiſſe Caeſaris conſilium oſtendit Pontifex, qui jam optima inclinatione voluntatis in Tauruſium propendebat. Quod Caeſar animadvertens, vacuum ſe a periculo fore exiſtimavit, quamquam ea ſpes non omnino vacabat metu. Veſpere pridie ejus diei, quam Cardinalis eligeretur (contigit id nonis Junii anni 1596.) e Pontificis palatio laetus domum

mum rediit, omnino ſe tutum arbitratus, quod Pontificem aſſeverantem audiſſet, ſe tunc temporis neminem e conſanguineis, aut domeſticis, inter quos ipſe erat, in Cardinalium numero poſiturum. A coena dum ſe una cum caeteris Patribus familiaribus colloquiis paulliſper recrearet, Franciſcus Cardinalis Sfortia unum e ſuis aulicis ad Caeſarem ac Patres miſit, ut iis de Tauruſio Cardinali certiſſime proxima die renunciando, ſuo nomine gratularetur, ſiquidem illius nomen inter eligendorum Cardinalium nomina in Pontificis albo conſcriptum vidiſſet. Haud facile dictu eſt, quantam ex hoc nuncio Caeſar laetitiam alacritatemque conceperit; ſubitoque exclamavit: *Benedictus ſit Deus, ejuſque Sanctiſſima Mater: ecce periculum evaſi*. Verum, ut omnium humanarum rerum conditio eſt, ſtatim conceptum gaudium novus exturbavit dolor. Vix enim prior nuncius abſceſſerat, quum ecce alter ingreditur a Petro Cardinali Aldobrandino ad Caeſarem miſſus, qui Pontificis verbis illi denunciet, ut ſequenti mane domi ſe contineret, in palatium poſtea deducendus, & Cardinalatus inſignia ſuſcepturus. Exhorruit heic ſubito Caeſar, & expalluit, & moeſto conturbatoque vultu ad hominem converſus: *Tu vero*, inquit, *gratias age Cardinali Aldobrandino, eique dicito, aditurum me proximo mane ad Pontificem, eique rationes allaturum, quamobrem hanc dignitatem ſuſcipere non poſſim.* Interea Pontifex ſomno ad quartam noctis horam retardato, nuncii reditum, & Baronii reſponſum expectabat: quo audito, Cardiualem Aldobrandinum accerſit, eique praecipit, ut omnem Baronio ad ſe venienti aditum viamque intercludat: *Siquidem illum*, inquit, *audire nolumus. Igitur uſque ad horam Conſiſtorii ei moras nectito*. Poſt nuncii diſceſſum ſtatim Baronius moerore ac lacrymis perfuſus Patres omnes ad Congregationem convocat; illis rei eventum exponit; ait, ſe fuga, quam ipſe jampridem decreverat, praeſidium meditari; paratiſſimum ſe eſſe ex urbe egredi, hoc ſibi maxime opportunum videri: rogat omnes, dicant libere, quid ſentiant ex animo, num initum a ſe conſilium probent. Patres unanimes reſponſum ferunt, arduum illi effugium fore, neque adeo tutum, quem ut Protonotarium, & Annalium ſcriptorem omnibus jam ſatis notum, vel deliteſcere volentem, fama proderet; idcirco ſatius videri, ſi Pontificem adiret, eique ſuas rationes exponeret. Hac inita deliberatione, ſummo mane Caeſar poſtquam Miſſae ſacrificium obtuliſſet, divinam opem implorans quamardentiſſime, adſcitis ſecum Germanico Fideli, & Pompejo Paterio Congregationis noſtrae Presbyteris, ad palatium convolavit; quodque mirum fuit, ad proximum uſque Pontifici cubiculum, nullo aulicorum aditum impediente, penetravit. Qua re cognita Aldobrandinus nuncium Baronio mittit, ut ſtatim loco cedat, & ad ſe veniat. Cui Baronius reſpondit, ſe quidem non prius inde receſſurum, quam Pontificem alloqueretur. Iterum monet rogatque Aldobrandinus, ut omnino ad ſe advolet: aditum ad Pontificem nequicquam tentari; ſiquidem Pontifex id nominatim prohibuiſſet. Tum denique cedens Baronius, & ad Aldobrandinum deductus, exclamat, velle omnino ſe cum Pontifice verba facere, eumque ſubmiſſis genibus orat atque obteſtatur, curare velit omnino, ut Pontificis animus ab ea voluntate removeatur. Quo ille audito, Caeſarem ad Pontificem adducit. Tum vero Caeſar ad pedes Pontificis provolutus, eum enixe

Digitized by Google

rogat, ut ſibi aliquam ſaltem dicendi facultatem faciat: qua obtenta, in
hunc ferme modum Pontificem eſt alloqautus „ Ne quaeſo, Pater Beatiſ-
„ ſime, hominem jam aetate gravem tantae dignitatis onere praegravaro
„ velis. Non ignoras, quod etiam alias tibi ſignificavi, ſtatuiſſe me itera-
„ tis votis privatam ſimplicemque vitam agere, & in Congregatione fra-
„ trum meorum tanquam in nidulo meo omnino emori. Neque te fugit,
„ quanto me dolore nuper affeceris, quum me hiſce veſtibus indui coegi-
„ ſti; quem ego dolorem ſemper in me augeri hactenus ſenſi. Nunc ve-
„ ro, quum te videam adverſum mea vota vehementius inſurgere, meque
„ ab incepta mihi quidem acceptiſſima vitae ratione velle removere,
„ mihi grave tuum adeo videtur conſilium, ut nihil ſupra. Ubi vero,
„ Pater Sanctiſſime, vires ad tantae dignitatis partes, non dicam geren-
„ das, ſed ne ſuſtinendas quidem, mihi ſuppetunt? Minime igitur aptus,
„ ac prorſus indignus ad eum honoris gradum extollar, ut deinceps *la-*
„ *pſu graviore ruam*, atque in extremo judicii die majori ſubjiciar damna-
„ tioni? Et qui fieri poteſt, ut hanc ego dignitatem accipiam, dum tot
„ ſapientiſſimos ſanctiſſimoſque viros cogitatione comprehendo, qui adeo
„ ab honoribus abhorruerunt, ut dignitatum fugiendarum gratia ad lon-
„ ginqua loca ſe ſe receperint, atque in latebris occultarint? Et quid tan-
„ dem nobis haeretici, qui noſtra inſidioſe ac peſſime criminantur, op-
„ ponent, niſi me laboraſſe in Annalibus conſcribendis ea mente & con-
„ ſilio, ut ad honores promoverer? Ex quo fiet, ut quum, me dignita-
„ tibus augendo, ſcriptis addere velis auctoritatem, non exiguam illi oc-
„ caſionem arripient, ambitionis me crimine coarguendi. Neque eos ſolum,
„ ſed etiam complures catholicos, qui quum probe jam noverint, conſue-
„ tum fuiſſe me publicis ſermonibus, ac ſcriptis eos redarguere, qui Ec-
„ cleſiaſticas dignitates ambitioſe conſectantur, ſi nunc me viderint non
„ modo Protonotarium fuiſſe electum, ſed, quod Deus avertat, Cardina-
„ lem; quantam exiſtimas ex hac mihi collata dignitate offenſionem
„ habituros? Praeterea, ſi inceptum Annalium Eccleſiaſticorum opus me
„ proſequi cupis, quomodo id praeſtare potero novis in dies curis nego-
„ tiiſque implicatus atque obrutus? Denique, ne me e tutiſſimo privatae
„ vitae portu, atque e ſinu matris meae, hoc eſt Congregationis, abſtra-
„ ctum negotiorum fluctibus committere velis, ubi vel peritiſſimi ſaepe
„ naufragium faciunt „ Haec atque alia dicenti uberrimae manabant ex
oculis lacrymae, ut vix gemitu vocem intercludente verba poſſet ex-
primere. Cui Pontifex „ Ego vero, inquit, Caeſar, nullo modo feram,
„ ut e palatio pedem efferas, niſi purpuratus; & tu quidem voluntati
„ meae acquieſces, quod multis primum Deo precibus, & longa matu-
„ raque cogitatione decrevi. Neque adeo de ſalutis tuae periculo timere
„ debes, quaſi vero ſanctitas cum honore eſſe non poſſit: quin ego tibi
„ hanc dignitatem idcirco conferre ſtatui, ut haereticorum ora obſtruan-
„ tur, videantque Chriſtianae vitae probitatem hiſce dignitatibus maxi-
„ me congruere. Non eſt ſane abbreviata manus Domini. Qui te ad hanc
„ dignitatem evexit Deus, ipſe vires tibi etiam addet, quibus eam ſuſtine-
„ re valeas. Perſtrepant ergo haeretici, quidquid velint, criminentur,
„ obtrectent. Tu vero interim ſume animos tanto muneri pares. Neque

„ te

„ te aliorum opiniones ac dicta commoveant, neque levis, ut ajunt, ar„ maturae hominum offenſionem pertimeſcas; quippe ſatis ſuperque om„ nibus veritas ipſa ſe ſe oſtendet, fietque ſingulis palam, dignitatem„ iſtam nec a te ambitioſe quaeſitam, nec ullis artibus occupatam. Et „ licet animus tuus multo propenſior ſit ad ſolitudinem atque receſſum, „ quod probe novi; conſiderare tamen oportet, non nobis ſolum nos eſſe „ natos, ſed etiam caeteris, pro quorum communi utilitate, & noſtra „ quies ſaepe interrumpenda, & incommoda ſuſcipienda ſunt. Quamquam „ in hac re illud cavebimus, ne ab nimia negotiorum mole occuperis; ut „ ſatis ad Annales conſcribendos otii poſſis habere. Deſine ergo jam nunc „ conqueri, & noſtrae voluntati penitus acquieſce „ Haec effatus, Petro Cardinali Aldobrandino praecepit, ut Caeſarem in ſuas aedes deduceret, & Cardinalium more eum tonderi curaret. Quo audito Caeſar, perinde ac ſi capite damnatus eſſet, gravius ingemiſcere, plorare, ſuppliciter obſecrare per Chriſtum Jeſum, ne id rei ageret, neve tantum ſibi dolorem inferret. Cui Clemens „ Nae tu mihi, Caeſar, paulo nunc durior, quam par eſt, „ in tua ſententia videris, neque ultra jam clementer accipiendus. Ergo „ qua fungimur Apoſtolica auctoritate imperamus tibi, ut pareas; ſin minus, „ anathematis ſententiae te ſubjicimus „ Tunc Caeſar veluti repentino quodam fulmine tonitruque perculſus, oculos in terram defixit, & quo plus una cum acerrimo dolore comprimere verba conabatur, eo copioſiores effluebant lacrymae. Tandem a Pontifice dimiſſum, humentibus oculis, pallenti facie, moerentem ac tacitum Cardinalis Aldobrandinus manu prehenſum in ſuum cubiculum deduxit, Cynthioque Cardinali Aldobrandino, Sylvio Antoniano, ac duobus Sacerdotibus, quos cum Baronio ibidem veniſſe ſuperius diximus, omnem rei exitum ſingillatim expoſuit, dixitque: *Revera hic per oſtium intravit*: quippe ad eam dignitatem, non amicorum, aut divitiarum praeſidio fultus, non ſua ſponte, ſed vi tractus aſcendit. Interea, quum nonnulli Cardinales, qui ad *Conſiſtorium* evocati in Palatium venerant, tanti doloris moeſtitiaeque cauſam ab eo peterent, neque ullam prorſus dicerent eſſe rationem, cur tantopere contriſtaretur: *Vos*, inquit ille, *laeto eſtote animo: ego vero nunc ſentio id, quod in omni vita eum dolore feram, graviſſimum ſcilicet onus impoſitum humeris meis.* Tandem abſolutis omnibus quae in nova Cardinalium creatione fieri ſolent caeremoniis, Caeſar ad aedes, quas illi ad habitandum prope bibliothecam Apoſtolicam Pontifex parari juſſerat, ſe ſe recepit; ubi ſolus, remotis arbitris, vicem ſuam dolens, impoſitam ſibi dignitatem, ejuſque graviſſima onera, atque pericula tacitus recogitare coepit, inprimiſque animo conſiderare ad eum ſe honoris gradum aſſumptum, quo poſt Pontificatum nullus ſit in Eccleſia major ampliorque. Quocirca ſummopere ſibi elaborandum, ut tantae ſibi collatae dignitati morum ac vitae ratio reſponderet; ut quantum caeteris antecelleret loco, tantum & meritis praeſtaret, & prodeſſet exemplis. Cavendum quammaxime, ne quo fuiſſet honoris aſcenſus ſublimior, eo fortaſſe ruina eſſet gravior: idcirco retinendam ſibi, augendamque priſtinam modeſtiam, liberalitatem, abſtinentiam, pietatem, aliaſque virtutes, quas tantus honor expoſceret, inprimis zelum domus Dei, & intenſum ſtudium defendendae, amplificandaeque Catholi-

cae

Digitized by Google

cae Fidei, & Eccleſiaſticae libertatis, pro quarum honore atque commodo foret ſibi, quum opus eſſet, uſque ad ipſam ſanguinis effuſionem pugnandum. Ad haec animadvertebat plerumque uſuvenire, ut, quum quis ad Cardinalatum eſt evectus, ſtatim illi a parentibus, amicis, famuliſque ſupremum Pontificatus culmen exoptetur. Quamobrem, ut ſunt plerique mortalium amantes ſui, & ad honores dignitateſque propenſi, ſaepe hominem in eamdem ſententiam adducentes; fit, ut ille inani ſuperbiae impetu ſe ſe efferens, non contentus adhuc praeeſſe pluribus, ſed ſubeſſe uni impatiens, & neminem ferens aequalem, ad ſummam illam uno jam gradu proximam ſpectet adſpiretque dignitatem. Quod quum plurimum Eccleſiaſticum virum dedecere, atque Chriſtianae reipublicae obeſſe putaret, ne tantum ſibi malum forte contingeret, quo aliquando ipſae ſapientum mentes quaſi quibuſdam praeſtigiis & captionibus involvuntur, ſtatuit, votoque Deo promiſit, nihil ſe unquam facturum, quo ſibi ad Pontificiam dignitatem aſſequendam aditum parare poſſet; ſi ſecus ageret, id ſibi lethali crimini tribuendum. Quod emiſſum votum uſque adeo ſervare ſolicitus fuit, ut ſemper circumſpectans undique, ne qua ex parte laberetur, non ſolum a comparandis aliorum obſequiis, & clientelis, vel ab aucupanda Principum gratia, aliiſque ejus generis, quae ad Pontificatum conducerent, abſtinuerit; ſed ea facere non dubitaverit, quae ad illum aſſequendum ſibi non modo manifeſto futura impedimento cognoſceret, ſed omnem ad illum aditum obſtruerent atque intercluderent. Interea de Caeſare ad Cardinalatum aſſumpto fama e Vaticanis aedibus non modo urbem totam pervaſit, ſed brevi etiam orbem propemodum univerſum implevit, gratulantibus omnibus, doctiſſimum ſanctiſſimumque virum, deque Sancta Apoſtolica Sede optime meritum, in ea fuiſſe poſitum dignitate, in qua Chriſtianam rempublicam juvare atque illuſtrare maxime poſſet. Verum inter bonorum omnium plauſus atque laetitiam, Congregationis noſtrae Presbyteri non mediocri dolore afficiebantur, quod illum cernerent tum ſibi ademptum, & ab uſu priſtinae familiaritatis abſtractum, tum tanto moerore confectum, ut vix ullum admitteret ſolatio locum: etſi enim plurimi eum gratulandi cauſa convenirent, ita tamen eorum benevolentiae ſignificationes debita cum gratiarum actione ſuſcipiebat, ut ſimul oſtenderet, nihil ſibi eſſe de impoſita dignitate laetandum, quod eam & ſuis indebitam meritis, & graviorem viribus exiſtimaret. Id quod etiam abſentium praeclariſſimorum virorum litteris modeſtiſſime reſpondens ſignificabat, qui eum innumeris gratulationum officiis, & immenſis pene laudibus proſequebantur. Ex quibus tamen omnibus eam Caeſar utilitatem percipiebat, ut, quum de ſe ipſo abjectius ſentiret, talis eniteretur eſſe, qui & conceptam eorum opinionem non falleret, & ſuae dignitati atque muneri cumulatiſſime reſponderet.

CAPUT

CAPUT V.

Ejus animi modeſtia in Cardinalatu.

INter caeteras virtutes, quae virum in ſublimi dignitate poſitum vehementer ornant, praecipuum certe locum animi modeſtia ſibi vindicat. Haec in Caeſare, ut antea vidimus, quamquam mirifice ſemper effulſit, tamen ab hoc tempore novae dignitatis inſignibus excitata, longe praeclarius viſa eſt ſpecimen dediſſe pulchritudinis ſuae; quam etiam veluti caeterarum virtutum fundamentum eo altius coepit extruere, quod ſe adhuc & nihil egiſſe crederet, & majora cogitaret. Itaque elucebant ejus modeſtiae indicia non in dictis ſolum, verum etiam in ſingulis operibus: quorum illud ſe primum offert, quod ubi veſtibus purpureis indutus eſt, ad adſtantes converſus: *Ecce*, inquit, *cooperuiſtis ſaccum hunc purpura*: plane oſtendens, neque ideo ſe immemorem ſui factum, neque ſuperbientem, quin tanto modeſtiorem, quanto honoratiorem. Quumque a Congregationis Presbyteris gratulandi cauſa, ut diximus, inviſeretur, tanta eos animi modeſtia ſuſcipiebat, ut etiam in genua procumbens fratrem ſe illorum eſſe diceret, & exhiberet. Non multo vero poſt, cum veniſſet ad nos de more pranſurus, unus a cubiculis Pontificis domum venit purpureum illi galerum deferens. Qua de re admonitus permiſit ille quidem hominem in conſpectum omnium venire; at munus officioſe offerenti, non aliud prae dolore reſponſum reddidit, niſi fore illud ſuae ſepulturae accommodatum: ita ſimul oblatae dignitatis gloriam mortis meditatione ſepeliens. Quo loco nequaquam ſilentio praeteribo, quod nonnullis S. PHILIPPUS multo ante praedixit, fore Caeſarem Cardinalatus dignitate honeſtandum: id quod etiam manifeſte alia ratione declaravit. Etenim quum Joannes Franciſcus Aldobrandinus, Clementis VIII. fratris filiae conjux, & Sanctae Eccleſiae Generalis, PHILIPPUM quondam conveniſſet, eumque interrogaſſet, quidnam ſibi vellent duo illa, quae jam multos ante annos ſibi in chartis depingenda curaverat, atque in cubiculo retinebat, inſignia Cardinalitia, in quorum medio expreſſa mortuorum capita continebantur; plane reſpondit, habiturum ſe poſt obitum ſuum duos e filiis ſuis Cardinalatus honore inſignitos, idque notis illis praemonſtrari. Quae Sancti Patris praenunciatio haud procul a vero fuiſſe poſt ejus mortem in Baronio, & Tauruſio cognita eſt. De quibus etiam non incongrue illud dici poſſit, perinde fuiſse Cardinalatus inſignibus eos decorare, ac duo mortuorum capita purpureis involvere integumentis: adeo repreſſa in eis honorum cupiditas, ac pene extincta videbatur. Et Caeſar quidem, ſola veſtium mutatione facta, veterem illam ſuam animi modeſtiam pietatemque, ſupra quam dici poſſet, egregie coluit; atſolidam, ſinceram, omninoque nudam: non contractione frontis, obtorta cervice, & gravi ſupercilio arceſſitam: non fictam, & inceſſu, & motu, blandaque oratione ad hominum opiniones captandas ſimulate compoſitam; quum verſipelles illos odio vatiniano proſequeretur, qui pietate ac religione, quaſi nummis adulteri-

terinis, ſimplicibus hominibus fucum facere ſoliti, proborum virorum nomen ſibi conciliant immerito. Maxime autem ad veram virtutem colendam illi erat incitamento mortis aſſidua cogitatio; ut propterea Juvenali Ancinae primum Congregat. Orat. Presbytero, deinde Epiſcopo Salutiarum, de Cardinalatus dignitate ſecum amice gratulanti, ſapienter admodum in haec verba reſponderit „ Melius eſt ire ad domum luctus, quam ad domum
„ convivii. At quaenam, & ubi ipſa domus luctus? Cogita, te quamprimum
„ auditurum, Cardinalem Baronium eſſe vita functum; tum altius philoſo-
„ phaberis, atque dices illud Sapientis: *Riſum reputavi errorem, & gaudio*
„ *dixi, cur fruſtra deciperis? Vere, vere omnia vanitas*, adjicies; & illud: *Melior*
„ *eſt dies mortis, quam dies nativitatis*: illo enim naſcimur ad pericula,
„ iſto eripimur a periculis. Nonne vides, quod ad domum luctus melius ſit ire,
„ in quo quiſquis uno momento magnus philoſophus efficiatur? Haec, fra-
„ ter, de me velim mediteris, & ſimul ores: meque ſalutaribus interea
„ monitis corrobora „ Atque hanc mortis meditationem, quam ad ſui demiſſionem, & humanarum rerum contemptum excitandum maximam vim habere intelligebat, continue menti animoque ſuo adhaerere curabat. Quapropter quotidie pro morti proximis ab Eccleſia iuſtitutis precibus animam Deo commendabat, & in colloquiis familiaribus, quibuſcumque modis poterat, de morte ſermonem introducere conabatur, quo veluti ſuaviſſimo quodam pabulo recreari illius animus videretur; ut propterea Auguſtinus Cardinalis Valerius Epiſcopus Veronenſis, pietate ac litteris, ſi quis alius, maxime commendabilis, non immerito olim dixerit, Caeſarem non alia in re, quam in contemplandis feretris, & crucibus oblectari. Sed, ut reliqua ejus animi modeſtiae indicia proferamus, Cardinalis jam factus, frequenter apud nos in antiqua ſua cellula ſolus ſine famulis morabatur, & in menſa nihil ſibi prae caeteris ſingulare, niſi loci dignitatem admittebat, una cum caeteris Presbyteris manus abluens, & abſtergens, & pari ciborum conditione utens; quin ipſe non ſemel, tanquam unus e miniſtris, aliis omnibus recumbentibus in tabella dapes detulit, atque inſervivit. Ad haec, culpas ſacra confeſſione expiaturus, ipſemet e palatio Vaticano ad ſolitum, quum in Vallicellano Templo confeſſionibus excipiendis expoſitus eſset; Confeſsarium ſuum accedebat, eique in Eccleſia omnibus palam, non ſecus ac unus aliquis e plebe extitiſset, ſuper ligneo gradu, nullo genibus flexis ſubpoſito pulvinari peccata confiteri ſolitus erat: quae res intuentibus non parvo erat ad Chriſtianam pietatem incitamento. Congregationem noſtram tanto in honore habebat, ut illius ſervum ſe eſse diceret. Patribus, Laiciſque adeo ſe facilem exhibebat, ut vere in eorum eſse numero, ſicut antea, videretur. Quum novus Congregationis Praepoſitus illius ſucceſsor (fuit is P. Angelus Vellius Praeneſtinus, vir noſtris laudibus non indigens) antequam ad Pontificis pedes oſculandos accederet, Caeſarem ea de re certiorem facturus adiiſſet, ille, re cognita, ſtatim venienti obvius factus eſt, eumque perhumaniter acceptum ad interius cubiculum introduxit; tum poſitis in terram genibus, illius manum, quamquam plurimum obnitentis, prehendens omnino voluit exoſculari, quod diceret, velle ſe illi tanquam Congregationis Presbyterum, cujus ſe filium eſſe, & perpetuo fore profitebatur, obedientiam exhibere. Quibus rebus modeſtiſſimus

mus Vellius animo commotus ad terram ſe ſe proſternere, deijcere ſe ipſum, & non impari modeſtia Cardinalis ſubmiſſionem, dignitatemque revereri. Sed nimirum haec Caeſari majora ad virtutem erant incitamenta. Nihil enim animo de ſe demiſſe ſentienti gravius accidere poterat, quam ab aliis honore affici, quibus & ſubeſſe debitum, & parere glorioſum putabat. Quapropter cuidam Congregationis Presbytero illi veniam petenti, quod ad eum inviſendum in aliis occupatus, tardior quam par eſſet, acceſſiſſet: *Ne quaeſo*, inquit, *Pater*, *ita loquaris; ſed mecum aeque agito, atque cum domus janitore*. Atque ex hac ejus animi modeſtia fiebat, ut Cardinalatus dignitatem aegro animo ferens, libere omnino ſecum agi, ſummi beneficii loco duceret, & Patrum orationibus ſibi a Deo peteret impetrari, ut purpura aliquando depoſita inter Congregationis tyrones recipi poſſet, memor, quod PHILIPPUS jam ſenex, ejus *novitius* dictitari conſueverat, qualem & ipſe adhuc in Congregatione ſe haberi quammaxime cupiebat. Qua de re praeclara illius extat ad P. Petrum Conſolinum in Congregatione *Novitiorum*, ut vulgo dicimus, Magiſtrum, mox Praepoſitum, ſcripta epiſtola, quae in Latinum verſa ita ſe habet „ Arguere me ipſum „ debeo, ac veniam petere, quod nullas ad te litteras dederim, qui„ bus gratias agerem pro precibus mea cauſa profuſis: facio id nunc, & „ pro his omnibus gratias enixe ago, obſecroque, ut etiam in poſterum „ una cum tuis omnibus novitiis, cariſſimis in Chriſto filiis meis, perſeve„ res, quibus omne ſpiritualis gratiae incrementum exopto. Excole Pater „ mi, atque erige recentes plantas magnis conſimiles arboribus, quarum „ ipſae ſunt germina, & quibus ipſe diſciplinis inſtitutus es atque imbu„ tus, alios tu iis erudias atque informes; certumque habe, vivere adhuc „ B. Patrem noſtrum, & videre, & regere filios ſuos, & habere in dex„ tera flagellum, quo corrigat contumaces. Quod ad me attinet, oro te, „ ut me inter novitios tuos connumerare, atque, ubicumque opus fuerit, „ emendare libere velis. O utinam hunc in modum iterum in ſenectute „ juveneſcerem, atque in me illud vere impleretur, quod per Prophetam „ dicitur: *Renovabitur ut aquilae juventus tua*. Id mihi proprie ſpirituali „ ſenſu deſignare videtur Abiſag dormiens cum ſene David, dum videli„ cet fervor ſpiritus cum ſenectute conjungitur. Bene quidem cum S. Pa„ tre noſtro Abiſag dormiit, qui adeo in ſenectute fervebat, ut vere ſe „ comburi ſentiret. Non calefaciunt purpurae ſenes, neque veſtes pelli„ ceae, ſed tantummodo Abiſag. Utinam in hac mea jam gelida ſene„ ctute tali me Deus ſocietate dignetur. Id quaeſo pro me ora, nam & „ ideo hanc ad te miſi. Deus te conſoletur, & ſanctum faciat. Ferrariæ „ xix. kalendas Septembris MDXCVIII. „ Praeterea ab aliis admoneri, ne quid erraret; ſi quando erratum admitteret, emendari ac corrigi ſummopere cupiebat; quippe ſatis intelligens, quam exiguum locum habeat veritas in aulis Principum, qui ſi forte caeteris abundare videantur bonis, hoc tamen plerumque deſtitui ſolent & optimo, & neceſſario. In humanis laudibus ſepeliendis, vel ad Deum ipſum illico revocandis, tantam mentis attentionem adhibebat, ut non modo de praeſtantis eruditionis fama inaniter non intumeſceret, quod libro ſuperiore notavimus, ſed neque de purpura gloriari, ut vidimus, & in ſequentibus latius patebit, neque, quod

Digitized by Google

majus eſt, pro Chriſtianae pietatis & ſanctimoniae celebritate quippiam ſibi ſuperbe tribuere omnino videretur, ſed in ſui ipſius intimae imbecillitatis contemplatione defixus haereret. Cujus rei, ut aliqua ex ejus litteris deſumpta teſtimonia proferam, haud exiguum illud videri debet, quod clariſſimo viro Stanislao Reſcio, ejus virtutes commendanti, hiſce verbis expreſſit „Dum legerem tuas litteras de me adeo ſublime tractantes, ſententia illa Gregorii Nazianzeni occurrit menti: *Amor impoſturam facit*. „ Ita plane tibi accidit, Reſci, dum amor vehemens, quo me proſequeris, „ neſcio quam tuae menti de me formam giganteam impreſſit, quum, „ ſi recto judicio perſpexiſſes, me homuncionem aſpexiſſes, & deſpexiſſes. „ At ego dum me proxime intueor, amicos laudantes nonniſi cum faſtidio audire poſſum, & amaritudine plurima ex alto corde ingemiſcere, „ & in me ipſum jacula iſta verborum convertere, atque dicere: Caeſar, „ qui te beatum dicunt, te decipiunt: ne plus aliis, quam tibi, de te ipſo „ credas. Tu intus habitas, anguloſque ſingulos domus oppletos ſordibus „ intueris & immunditiis: es vir videns intus paupertatem tuam in amaritudine abſynthii & fellis prae multitudine peccatorum tuorum. Vident „ alii quae foris ſunt, & ab exornato limine viridis folii mox opulentos „ ibi habitare homines, dieſque laetos ducere interpretantur. Tu homo „ prudens noli ſecundum faciem judicare; nam habitatores ſi interrogas, „ quae intus latent mala, plane Augiae ſtabulum eum eſſe locum addiſces, „ quem Priami regiam ab Homero deſcriptam eſſe putabas„ Sed haec hactenus. Erat inſuper a doctrina oſtentanda maxime alienus, laudum ac nominis hoſtis acerrimus, atque in ſemetipſo deſpiciendo omne ſtudium curamque ponebat; ideoque ſaepe in epiſtolis congreſſuque familiari ſermonis urbanitatem, & officiorum elegantiam conſulto negligebat ac repudiabat, quod homo inſulſus, ineptus, atque ignarus haberi vellet, omneſque idcirco res a ſe praeclare geſtas, ſanctae cujuſdam ſimplicitatis aſperſione omnino obſcurare conabatur. Quam conſuetudinem cuidam amico commendare ſolitus, eum monebat, ut rerum vilium & abjectarum ambitione teneretur, & rebus ſuis ſimplicia quaedam identidem admiſcere non erubeſceret. Et ipſe quidem, incredibile eſt, quantam animi oblectationem caperet cum hominibus ſimplicibus; praeſertim vero cum aliquibus Congregationis noſtrae Presbyteris, aut etiam Laicis ejuſdem Congregationis, quibuſcum ad menſam frequenter invitatis volebat accumbere, & familiares miſcere ſermones, & quorum manibus frontem ſibi aqua luſtrali reſpergi, & cruce conſignari pie ſubmiſſeque flagitabat, quod etiam a proprio famulo, antequam ſomnum caperet, ſemper expoſcebat. Quid plura? Uſque eo deſcendit ejus modeſtia, qua tamen nihil eſt ſublimius, ut S. Martini exemplum imitatus, non modo ſibi ipſe ſedens, ſed proprio famulo calceamenta ſuis exſolveret & extraheret manibus, quum tamen ipſe a nemine veſtiri, aut expoliari unquam permitteret. Denique ſic erat animo comparatus, ut verbis, factis, habituque corporis ſinceram Chriſtianae mentis ſubmiſſionem omnibus praeſeferret. In quo tamen illud erat animadverſione dignum, quod, quum haec abjecta & humilia perageret, nihil tamen in eis indecorum, aut leve appareret: idque ſane non tam nativae ejus vultus & corporis majeſtati, quam internae animi virtuti tribuen-

buendum, cujus quaſi quidam emicans ſplendor etiam in vilioribus officiis peragendis verſanti ſpeciem quamdam illuſtrioris dignitatis tribuebat.

CAPUT VI.

Ejuſdem de Cardinalatu dolor.

MAgnum ſane virtutis ſpecimen edidit Caeſar, quod oblatam Cardinalatus dignitatem tanto, ut vidimus, labore ſtuduit evitare; at majus fortaſſe in eo, quod & impoſitum cum dolore pertulit, & deponere ſemper optavit. Etenim quamquam facile quis gloriam contemnit, a qua longe abſit, arduum tamen eſt & praeſentis amore non allici, & quam habeat, faſtidire. Et Caeſar quidem non prius dolore animum exuit, quam ſe animus corporis vinculis; vitam dolore ſemper comitante, quo graviter oppreſſus ad ſingula ferme momenta ingemiſcere ac queri cogebatur: dignitatem, quae multis jucunda, ampla, & plane regia, & ſingularis videri ſolet, eam ſibi totam aerumnoſam, & plenam moleſtiis ducens. Id frequenter in ſuis etiam Annalibus fateri compulſus, dolebat laxiora illa fuſioraque purpurae ornamenta, quibus ſub honoris ſpecie tegebatur, aureos eſſe compedes, quinimo ferrea vincula, & graviſſima onera, quibus velut alter David regiis indutus armis incedere non valeret, non eo ſolum, quod, ut ille, conſuetudinem non haberet, ſed eo magis, quo ea dignitas ſuae erat incongrua voluntati, utpote quia votis nuncupatis & iteratis ſaepe ſtatuerat, ut in epiſtola nuncupatoria ad Clementem VIII. ſeptimo Annalium tomo praefixa, teſtatum reliquit, in privato ſimplicique vitae genere optime inſtituto, & jam hactenus feliciter ducto, bene praecinctus mundi contemptu, & expeditus uſque ad obitum permanere; una cum Job illa decantans: ***In nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies***: quae arbor inferiorum diminutione foliorum procera extollitur coelum verſus, dulcibus foecunda fructibus. Quod animi propoſitum illis quoque verbis ſatis expreſſit, cum ibidem collatam ſibi Cardinalatus dignitatem deplorans, quam Pontificis imperio ſubactus accepit „ Etſi, inquit, manus „ dedi, non aeque animum! ſi enim licuiſſet, retraxiſſem illas; ſicuti Zara „ olim, dum e materno utero progreſſurus, ubi ſe altera manu vinctum „ coccino ſenſit, primigenia non curans, eam retrahens, eumdem repetiit „ uterum, malle ſe non naſci ſignificans, quam vinctum purpura progre- „ di: ſed ſicut naturae tandem ille ceſſit imperio, qui ſupra naturam quid- „ dam admiratione dignum viſus fuerat operatus; ita ego legibus Chriſti „ obtemperare coactus, tanquam abortivus ſum projectus ex utero, illo „ videlicet; in quo ſemel conceptus ſpiritu, cupiebam formari in virum „ perfectum, nec exire, donec transferrer ad tumulum, ne oculus me „ videret. Maternum jure dixerim uterum domum illam, in qua poſt con- „ ceptionem illam meam coaleſcere cum fratribus meis, diemque extre- „ mum claudere abſque aliqua lucis uſura, fulgore videlicet cujuslibet di- „ gnitatis, in mentis firmo propoſito erat, ne illud audirem infauſtum: „ *Quare miſero data eſt lux? Lux enim*, inquit S. Gregorius, *miſeris da-*

,, *tur, quum & tolerare honoris munera compelluntur* ,, Quo honore quam
graviter ipſe ſe doleret affectum, haud erit incongruum atque moleſtum
ex ejuſdem verbis, quae in peroratione praedicti Annalium tomi haben-
tur, obſervare: Merito, inquit ibi, mihi lamentandum, illudque lugubre
,, dicendum: *Quare egreſſus ex utero? quare exceptus genibus? cur lactatus*
,, *uberibus?* Nunc enim dormiens ſilerem, & ſomno meo requieſcerem
,, cum Regibus illis, & Conſulibus terrae, qui aedificant ſibi ſolitudines.
,, Haec dum mecum verſo, laudare non deſino ſenem ſapientiſſimum il-
,, lum Berzellajum, qui a rege licet ſanctiſſimo invitatus in regiam ad
,, quietem, ad ſecuritatem, ad gloriam: *Non indigeo*, inquit, *hac viciſ-*
,, *ſitudine, ſed obſecro, ut revertar ſervus tuus, & moriar in civitate mea,*
,, *ut ſepeliar juxta ſepulcrum patris mei, matris meae*: jure praeferens au-
,, lae regiae patriam ſepulturam; atque regium apparatum poſthabens vi-
,, tae ruſticae hactenus feliciter ductae. Sed & quem ſapientem praedico,
,, non deſino beatum terque felicem dicere, & invidere, dum, quod ro-
,, gavit, eſt conſequutus, nec fuit juſſu regis retentus invitus, ſed per-
,, miſſus laetus ad propria remeare, atque in pace vitae curſum abſolve-
,, re. Aſt quum a quiete & tranquillitate, aliiſque bonis abſtrahar vio-
,, lenter, atque invitus abripiar, unum dumtaxat reliquum eſt, quod pe-
,, tam; ut quum haec adeo inquieta, triſtia, aerumnoſa, metu plena,
,, atque periculis, nonniſi te curante, Dei Genitrix, mihi contigerint; tu
,, ipſa per lubrica gradienti, in ſummo verſanti diſcrimine, deque aeter-
,, na ſalute ad ſingula momenta periclitanti feras opem aſſidue, & flu-
,, ctuanti praeſidium afferas; alioquin perplexos reſolvas laqueos, atque
,, moleſtae, & invitae vitae fila diſrumpas, ne ob inanem gloriolam
,, iſtam miſer incaute verae perennis gloriae diſpendium patiar ,, Quibus
omnibus teſtimoniis alia etiam haud minora addi poſſunt ex ejus litteris
deprompta, in quibus conceptum de Cardinalatu dolorem ſignificabat.
Scribens igitur ad Antonium Talpam ,, Ego vero, inquit, meam crucem
,, fero, quae quum ſit aurea, videtur fortaſſe cuipiam, nihil in ſe oneris
,, habere; ſed, fateor, oneroſior mihi eſt, quam ſi ferrea eſſet ,, Atque hoc
animi deſiderium diu intra ſe conceptum, & ingentibus incrementis quo-
tidie auctum, tandem quaſi foetus in lucem emittendus majores, quam
antea, gemitus excitare coepit, quibus coactus conſilium, atque opem ef-
flagitans, eumdem Antonium de re tota his litteris certiorem facit
,, Quod de rebus meis adeo ſolicitus es, tibi quidem plurimum debeo,
,, & multas ago gratias, quod tantis beneficiis tuis me tibi magis obſtrictum
,, ſentio. Quaeſo te, patienter accipe, quod jamdiu ad te ſcribere cogita-
,, ram, ſed hactenus me continui, incertus quonam ſpiritu res ageretur,
,, quemadmodum nunc etiam dubius ſum atque anceps. Rem ſecreto
,, dicam ea cum fiducia, quae mihi cum B. PHILIPPO interceſſerat.
,, Procido ad pedes tuos, ut gravem tibi cogitationem patefaciam, quam
,, ſaepe veluti tentationem ab animo propulſavi; ſed quum videam, eam
,, diutius perſeverare, augerique in dies, venit mihi in mentem, fortaſſe
,, illam divinitus immiſſam cogitare. Ex quo creatus ſum Cardinalis, tan-
,, tum ex ea re dolorem ſentire coepi, ut extraordinario animi moero-
,, re conficerer, moleſtiaque inexplicabili. Quamquam una illa me ſpes
,, con-

Google

„ conſolabatur, fore aliquando, ut hoc onere, periculoque voluntaria
„ abdicatione liberarer; atque ita ſemper temporis opportunitatem expe-
„ ctavi. Huc uſque rem diſtuli, & adhuc ea me remoratur cogitatio,
„ quod vereor, ne caeteris occaſionem praebeam ſuſpicandi, id a me id-
„ circo fieri, quod doleam, non eſſe mihi a Pontifice eos reditus attribu-
„ tos, qui & hunc ſtatum decent, & ab aliis vel Regularibus haberi conſue-
„ verunt. Haec, inquam, cogitatio tanquam froenum validiſſimum me
„ inhibuit, ne prorſus deliberarem. Ad hoc accedit, quod certum habeo,
„ magno Pontificem dolore fuiſſe afficiendum, qui fortaſſe in eamdem
„ ſuſpicionem venire poſſet, ſuſcepiſſe me hanc deliberationem ea indi-
„ gnatione animi concitatum. Hae duae res hactenus me retardarunt:
„ quibus addo tertiam, quae non minorem vim habet; nimirum vereor,
„ ne ingentes de me rumores excitem, & nihilominus, quod velim, non
„ aſſequar, atque, ut dicitur, grandem me in foro venditem, atque oſten-
„ tem, quumque ſermonum materiam dederim, obtinere quod cupio, non
„ poſſim. En animi mei ſtatus aerumnis plenus, in quo manere quidem
„ dolor eſt intolerabilis, & a quo diſcedendi nullus patet aditus. Ideo
„ rem totam conferre tecum decrevi. Nolo reſponſum & deliberatio-
„ nem feſtines, ſed multarum precum maturitate perſicias, & ab huma-
„ nis affectibus omnino abſtractus, ex divinis precibus conſilium expromas.
„ Si hanc gratiam conſequi potero, tibi promitto atque confirmo fore,
„ ut Romam illico relinquam, & ad veſtram iſtam domum me conferam,
„ egregium in ea tyrocinium incepturus, ubi expectata mors, quae certe
„ non longe abeſt, imparatum me non offendat. Noſti quanti referat hos
„ reliquos paucos dies pie ſancteque traducere, & pro aeternis bonis
„ iſtbaec fluxa & caduca contemnere. Quaeſo mihi conſilium des, ut
„ verum amicum decet, virumque ab humanis affectibus abſolutum, &
„ ſpiritualibus rationibus omnia metientem. Hanc latentem animi mei co-
„ gitationem nemini adhuc cognitam feci, quamvis verbulum aliquod
„ joco dixerim, quod & qui audivit, ut jocoſe dictum accepit: quam-
„ quam, ut verum fatear, ex abundantia cordis non poſſum non aliquid ſal-
„ tem interrupte loqui, quemadmodum is, qui tenetur in carcere, dice-
„ re quandoque ſolet: Heu quando egrediar? Denique his addo, quod
„ ad dignoſcendum vocationis ſtatum ea ſolet regula adhiberi, ut, ſi in eo
„ quis pacem inveniat, indicium ſit, illam eſſe opportunam ſui ipſius vo-
„ cationem: quo argumento vere mihi videor affirmare poſſe, vocationem
„ hanc neutiquam mihi eſſe propriam & conſentaneam, cum in ea nun-
„ quam, nunquam, animi pacem, & quietem invenerim. Haec omnia,
„ quae ſcripſi, tu velim recte examines; quumque diligenter conſidera-
„ veris, atque perpenderis, tum videlicet mihi, quod ſentias, per litte-
„ ras expones. Omnia ſecreto agantur. Deus tibi praeſto ſit. Romae
„ pridie idus Martii MDXCVIII. „ Non multo poſt, alias eidem miſit epiſto-
las, quibus ſignificabat optare ſe quotidie magis ex hujuſce dignitatis pe-
riculis, atque anguſtiis liberari, uſque adeo, ut proximam ſibi mortem
expeteret, qua ex illis ereptus, tutus in coelum emigraret; interim ve-
ro, quum optata quies abeſſet, vitam ſibi effici in dies amariorem: qua-
propter ardentiores ad Deum effundebat preces, ut ſibi opem dignaretur
affer-

afferre. Verum Deus, qui hanc Caeſari dignitatem publico Eccleſiae bono tradiderat, ut majus ſcilicet purpura ab eo ornamentum, quam ipſe a purpura acciperet, hanc Antonio mentem dedit, illum ut moneret, nequaquam ſibi rejiciendam eſſe eam dignitatem, quam & ſola Pontificis auctoritate compulſus acceperat, & in cujus oneribus patienter tolerandis major ſibi meritorum cumulus accedere poſſet, quum interim ab honoris cupiditate longiſſime illius animus abhorreret. Quod conſilium a Franciſco etiam Maria Cardinali Tauruſio, aliiſque viris optimis ſibi traditum quum accepiſſet Caeſar, non abjecit quidem, uti volebat, eam dignitatem, ſed quam retinere monebatur, veluti domeſticum inimicum ſemper habebat, cujus ne ſpeciem quidem poterat intueri. Quam ob rem neque ſacellum, neque lectulum, neque domus parietes purpureis ornamentis obtegi volebat; quin frequentiſſime ſolo purpureae veſtis moerebat intuitu, tantumque ex accepta dignitate animi dolorem capiebat, ut ſemel atque iterum ipſum purpureum pileum manu arreptum adſtanti praebuerit, rogans atque obſecraus, ut illum ad Pontificem exportaret, ne ſibi amplius prae oculis obverſaretur. Atque haec ad eumdem pileum deponendum paratiſſima illius animi voluutas, inde & fuit plane cognita atque perſpecta, quod Clementis tempore quum ſumma rei frumentariae inopia civitas laboraret, illeque commiſeratione commotus Pontificem admoneret, populo ut proſpiceret; reprehenſus a primario viro, quod in ſe Pontificis animum, a quo multam gratiam, atque ipſum purpureum pileum acceperat, concitaſſet, reſpondit, ſe id quidem non ei diſplicendi animo, ſed populo conſulendi ſtudio feciſſe. Caeterum velle ſe conſcientiae ſuae bono ita perfrui, ut ipſum purpureum pileum ſibi nullatenus quaerenti, ſed potius renuenti collatum, paratiſſimus eſſet & re ipſa deponere, & in priſtinam cellulam ſuam, cujus ſecum ipſe clavem ad latus gerebat, libentiſſime, ut ſaepe optaverat, remigrare. Quinimo pluries Pontificem ipſum inſtantiſſime flagitare nou dubitavit, ut quam olim ab ipſo initio Cardinalatus abdicationem meditatus fuerat, benigne admittere vellet, tandemque hac in re morem ſibi gereret. Verum Pontifex nunquam illum audire voluit ob eam maxime rationem, ne inde haeretici occaſionem arriperent ſuſpicandi, Cardinalatus dignitatem cum morum integritate ſtare minime poſſe. Igitur voti expers factus vitam duriter acerbiſſimeque agebat, dum continue inter luctum moeroremque verſabatur. Clariſſime id oſtendit, dum aliquando cum duobus Cardinalibus familiariter colloqueretur, & eorum alter de alio quodam narraret, eum, autequam Cardinalis eſſet, infirmo corpore, gracili, pallidoque fuiſſe, mox vero Cardinalem renunciatum, validum, firmumque evaſiſſe, idque Cardinalis alter rubri galeri viribus id jocoſe tribueret; Caeſar ad ſe ipſum animum ſerio convertens, pileumque capite violenter detrahens, altoque cum gemitu ſuſpirans, ait: *Infelix ego, quem pileus iſte conſeneſcere coegit, ac pene moerore conſumpſit*. Nec abſimili ratione quondam paucis ante obitum menſibus maxime contriſtatus, quum Jacobum Abbatem Creſcentium, virum ſibi & pietate & ſtudiorum ſimilitudine conjunctiſſimum, familiariter alloqueretur, eumque rogaret, quanam ratione id aſſequi valeret, ut ne illa dignitate implicitus vitam finiret, quumque Creſcentius feſtive ac lepide

pide illi reſponderet, *curandum ſibi eſſe, ut quando Cardinalis emori nollet, Pontifex fieret;* Caeſar graviter ſuſpirans ait,, Miſerum me! ex eo die,
,, quo ſum e ſinu Congregationis abſtractus, ad hanc horam nihil unquam
,, quietis habui, & nunc illud unum me conſolatur, quod propediem ad
,, Vallicellam rediturus ſum, & in cubiculo meo ſomnum capiam, ibique
,, moriar, ubi jam ſimplex Sacerdos multos annos tranſegi: atque utinam
,, exutus hac purpura in meo illo priſtino ſtatu brevem hujus vitae cur-
,, ſum abſolvam,, Alia multa, quae illius animum ab ea dignitate retinenda alieniſſimum oſtendunt, omittimus hoc loco recenſere, ut brevitati conſulamus.

CAPUT VII.

A Pontificatu appetendo quam eſſet alienus.

IGitur Caeſar quum ad Cardinalatus gradum evectus jurejurando Deo pollicitus eſſet, nihil ſe unquam facturum, quo ſibi ad ſummum honorem aditum aperiret, ita promiſſo ſtetit, ut non ſolum a captanda Principum gratia penitus abſtineret, ſed in ea declinanda ita ſe gereret, ut etiam impedimenta conſulto ſibi injicere non dubitaret. Quum enim poſt Clementis obitum Cardinalis unius ſtudio atque opera, cujus perilluſtris cum inter Patres, tum inter omnes gratia auctoritaſque erat, & aliorum Cardinalium in Caeſarem animus jam egregie propenderet, ipſe tamen, quod ab ea dignitate longe abhorrebat, illum quidem debito ſemper honore ac benevolentia proſequebatur, caeterum ſingularem hanc illius erga ſe animi propenſionem & gratiam non modo non excipiebat officioſe, ſed & ſtudioſe evitare ſatagebat. Quapropter factum eſt, ut Pontificia dignitas, quae ultro illi occurrere videbatur, ab eo repulſa, ad alium devoluta pervenerit. Hoc eodem arcendi a ſe Pontificatus conſilio, quamquam in primis veritatis ſtudio, & zelo tuendae Eccleſiaſticae poteſtatis adductus, nulla habita ſuarum rerum ratione, de Sicula Monarchia tractationem inſtituit, non ignorans quantum ex ea ſcriptione odium eſſet reportaturus. Verum Caeſar omni humana ratione ſubmota, ea potiſſimum de cauſa ad ſcribendum animum appulit, quod intelligeret, eo pacto aditum ſibi ad ſupremam dignitatem intercluſum iri, quemadmodum ipſe data occaſione cuidam profiteri non dubitavit, atque Antonio Talpae his litteris aperte ſignificavit, quas Latine redditas heic exhibemus:
,, Hebdomada ſuperiore nihil ad te litterarum dedi, reditu e Tuſculano
,, impeditus. Nunc quod attinet ad meam de Sicula Monarchia ſcriptio-
,, nem, ſcias velim, Cardinalem Alexandrinum hanc ob cauſam a Pio V.
,, in Hiſpaniam miſſum, & Gregorium XIII. per Nuncium Fachinettum,
,, qui fuit Innocentius IX. Pontifex, hoc idem negotium egiſſe, nec un-
,, quam ad exitum potuiſſe perduci, Rege praedeceſſore verbis & polli-
,, citationibus illud uſque differente, atque procraſtinante: quas omnes
,, relationes penes me habeo. Itaque præter hanc ſcriptionem meam mul-
,, ta de hac re litteris tradita, atque in Hiſpaniam ſunt perlata, nec quid-
,, quam

Digitized by Google

„ quam profuere. Nunc quoniam ad hanc materiam tractandam neceſſaria „ occurrit occaſio, optimum factu exiſtimavi in ea omne ſtudium atque „ induſtriam ponere, & aculeatum ſtyli genus adhibere, eo quod ita pla- „ ne deceat S. R. E. Cardinalem, cujus eæ ſunt partes, ut non timide „ interrupteque, ſed animoſe ac libere loquatur „ Et paucis interjectis „ „ Equidem, inquit, id facio perlibenter, ſperans fore, ut, ſi nihil aliud, certe „ hanc non mediocrem utilitatem ad animi mei ſalutem conſequar, ut me „ in humili gradu conſervem, hanc Hiſpanis occaſionem praebens adver- „ ſarios ſe mihi in conclavibus oſtendendi; ſi tamen eo ventum fuerit. „ Quae res non parum momenti habet. Verum hoc animi mei conſilium „ ſecreto accipe, ac tecum habeto, ad quem haec me ſcripta miſiſſe vo- „ lui, ut quonam modo Neapoli, atque in univerſo Regno recipi poſſint, „ intelligam, non ut me ab eorum abſtineam promulgatione, quae Pon- „ tificis voluntate, eoque jubente perficitur. Romae VII. idus Novem- „ bris MDCIV. „ Ex his profecto non obſcure intelligitur, quam ſolutus ac liber eſſet Caeſaris animus ab honoris Pontificii cupiditate. Verum inde clarius patuit, quod poſt Clementis obitum, quum Petrus Cardinalis Aldobrandinus Caeſari affirmaret, daturum ſe omnino operam, ut aliquis ex Cardinalibus a Clemente ejus patruo creatis in illius locum ſubſtitueretur, ideoque optare ſe diceret, ut omnes inter ſe ſuffragiorum conſenſione jungerentur, quod ita ſperaret, rem optatum exitum habituram; ſin minus, ea infecta, Alexandro Mediceo, Cardinali Florentiae nuncupato, ſuffragium daturum: hoc audito, Caeſar, quod exiſtimaret facili patere ſibi aditum ad Pontificatum, ſi taceret, praeſertim quum ingens de illius electione rumor per urbem vagaretur, ſtatim Paulum Teggium familiarem ſuum ſecreto miſit ad Sfortiam Cardinalem, eum ut moneret de Cardinalis Aldobrandini conſilio, & voluntate, hortareturque, ut una cum aliis in ſuo animi propoſito firmiter adhaereret: ita namque fore, ut Alexander Cardinalis Florentiae, quo ipſemet Sfortia velis, ut ajunt, remiſque contendebat, Pontifex eligeretur. Interea Baronius caeteros Cardinales, quibuſcum major ſibi neceſſitudo, & conſiliorum communicatio intercedebat, ſecreto adibat, rogabatque, ut ſibi pollicerentur, ſe in ipſius electionem nequaquam adituros, precibus addens minas, fore, ut, ſi ſecus facerent, eos facti poeniteret. Pridie vero quam in conclave ingrederetur, quum illi quidam Cardinalis maximae auctoritatis hominem miſiſſet, qui ſuo nomine haud dubie illum Pontificem Maximum renunciatum iri diceret, reſpondit Caeſar „ Ego „ vero magnopere miror, haec tibi illum ad me referenda commiſiſſe. „ Ego quippe Pontificatum nolo; nihil enim ſum, & ignarus, & mihi „ ipſi, & domui meae praeeſſe neſcio. Itaque meis verbis eum roga, ne „ quaeſo ullam in hac re operam interponat; ſin minus, illi ſuccenſebo: „ quinimo aliorum animos a me avertat, &, ne Pontifex efficiar, enitatur. Si „ hoc egerit, tibi profiteor, me ſuam hac in re induſtriam maximi be- „ neficii loco accepturum, nec unquam pro ejus incolumitate Deum orare „ defuturum „ Ad haec nuncius, Caeſari praeſentem Salvatoris noſtri in crucem affixi ſimulacrum oſtendens: *Si te*, inquit, *Dominus iſte Eccleſiae ſuae paſtorem eſſe decreviſſet, quinam poſſet divinae ejus obſiſtere voluntati?* Ad quem Caeſar: *Si ita Deus*, inquit, *ſtatuiſſet, ad ipſum me* con-

converterem, & te, Domine, obſecro, dicerem, Eccleſiam tuam rege, mihi vero tantum oneris ne, quaeſo, imponas. Quapropter quum ingentes in conclavi rumores de eo in Pontificem eligendo rurſus excitarentur, primum quidem Deum precibus exoravit, ut imminentis oneris magnitudinem a ſe depelleret; cui oranti Deus tantum ſuperni luminis, & rerum humanarum deſpicientiam impertivit, ut non modo Pontificatum, ſed & univerſa terrarum orbis imperia, ut ipſe poſtea affirmavit, vel pro minimo quadrante reliquiſſet: mox vero, quum aliquando multis Cardinalium ſuffragiis Pontifex expoſceretur, ſicuti ſe tanto periculo expoſitum doluit, ita omnem operam adhibuit, effecitque omnino, ut ea dignitas, a ſe rejecta, ad Alexandrum Cardinalem Medicem, qui poſtea Leo XI. dictus eſt, perveniret. Ex qua re quantam ipſe animo laetitiam perceperit, ex his litteris, quas facta electione ad Antonium Talpam miſit, facile intelligetur „ Legi tuas litteras, quibus felices mihi feſtos dies deprecaris: quos ego „ viciſſim tibi, caeteriſque majori caritatis & pacis incremento cumulatos „ exopto. Omnibus multas debeo gratias, quod per me Deum exoraverint in hac difficili & turbulenta tempeſtate, in qua praeſentiſſimam divinae gratiae opem ſum expertus, id contemnens, fugiens, ac perhorreſcens, quod mundus ſummam aeſtimat felicitatem. Deo laus. Agnoſco, id, non meis viribus, ſed ſolo divinae gratiae munere fuiſſe factum. „ Si ſingula quaeque narrare vellem, multae mihi paginae complendae eſſent; ſed nimium temporis non habeo: quamquam, ut verius dicam, „ ſcrupulus mihi moram facit, quum valde periculoſum ſit de ſe ipſo loqui, etiamſi rebus in omnibus ad Deum ipſum gloria referatur. Si quando animi gratia coram inter nos loqui contigerit, potero fortaſſe te de „ rebus omnibus facere certiorem. Nunc autem hoc unum reſtat, ut te „ orem, innumeras pro me gratias Deo agas. Quod ad novum ſanctum „ Paſtorem attinet, de hoc libere in Domino bonorum omnium auctore „ gloriabor, quod quum ante comitia de me provehendo frequenter agetur, ego quaſi per cuniculos ſecreto agere coepi pro Illuſtriſſimo Florentiae Cardinali, ut aliorum animos a me averterem, ea via negotium dirigens, per quam deinde ad optatum finem perventum eſt: voluitque Dominus, ut in eo poſtea perficiendo meam ipſe operam adhiberem, atque Petrum Cardinalem Aldobrandinum, etiam tunc non parum haerentem titubantemque, impellerem ac confirmarem, qui, ita „ Deo volente, eadem ipſa hora deliberationem ſuſcepit: & ſic res tota „ finem habuit. Haec nunc breviter ad te ſcribere volui. Deo agamus „ gratias: quippe meo, & aliorum judicio in univerſo noſtro Collegio hic „ optimus omnium eſt habitus, in quo multae inſunt dotes, quae non „ ita facile in aliis reperiuntur. Gloria & honor Deo, qui vos ſemper ſuo „ patrocinio protegat ac tueatur. Romae ſeptimo kalendas Maji MDCV. „ Abſolutis igitur comitiis, ubi ſe Caeſar periculo ereptum ac liberum vidit, mirum in modum exhilaratus, atque in cubiculum reverſus, nunquam Deo, beataeque Virgini gratias agendi finem faciebat. Quumque illum Cardinalis quidam inviſeret, diceretque, patienter eſſe ferendum, quod nonnulli Cardinales ſua illi ad Pontificatum ſuffragia denegaſſent, ad ejuſdem Dei genitricis imaginem converſus: *En illa eſt*, inquit, *quae mi-*

bi

Digitized by Google

bi Pontificatum dabit: nimirum, non hujus vitae caducum & fragilem, a quo longe abhorrebat, ſed aeternum & immobilem, quem in coeleſti regno Chriſtus Dominus ſuis fidelibus praeparavit. Verum vix Caeſar ex Pontificii oneris periculo ſe ſe emerſum ſenſerat, maximum inde gaudium voluptatemque concipiens, quum iiſdem iterum fluctibus luctari cogitur. Leo enim XI. magnae expectationis Pontifex, tam cito Chriſtianae reipublicae ereptus eſt (nondum enim menſis tranſierat), ut oſtenſus a Deo potius, quam datus, certe viſus fuerit. Quamobrem quum de novis comitiis cogitandum eſſet, atque haud diſſimili ratione ſibi certandum Caeſar intelligeret, ardentioribus, quam antea, precibus Deum coepit implorare, ut iterum a tantae dignitatis periculo eum eripere vellet. Itaque annuens ſupplicanti Deus, quo conferendi ſibi beneficii magnitudinem gratior agnoſceret, ſaepius illi ſalutis ſuae detrimentum, quod a Pontificia dignitate accepiſſet, etiam in ſomnis ſignificavit. Quater enim, aut quinquies, antequam conclave ingrederetur (ut ipſe poſtea data occaſione narravit Franciſco Zazzarae, noſtrae Congregationis Preſbytero, quocum familiariſſime utebatur), varia illi ſubinde per noctem objecta pericula, prolapſiones, ruinae, quibus variis illis rerum imaginibus a Deo ſe ſe admoneri putavit, ut maximam omnium dignitatem maxime fugeret: modo enim per anguſtum pontem, ruinam minitantem, incedere ſibi videbatur; modo ſuper celſiſſimi montis verticem extolli, indeque ſubito praeceps dari; modo alia hiſce ſimilia loca pervadere, quae ſibi periculum oſtenderent, ac metum injicerent. Quadam vero nocte deduci ſibi videbatur per amoeniſſimum collem, mira florum varietate diſtinctum, atque in medio cujuſdam prati elevatum; ubi quum amoenitate loci oblectaretur, ecce repente rapidiſſimus fluvius pratum alluit, qui primum quidem collis radices lambens, mox circumfluentibus undequaque aquarum fluctibus intumeſcens, paullatim ſic attollebatur, ut tandem collis faſtigium, cui ipſe inſiſtebat, attingens, ejus pariter occuparet pedes. Itaque ingenti metu perculſus, ac tremens, veritusque, ne violento aquarum inundantium impetu praeceps in profundum raperetur, omnia undique luſtrare oculis, ſi quid forte inveniret, ad quod manu prehenſum adhaereſceret, imminenti ſalutis periculo praeſidium quaerens. Quod quum nuſquam ſibi praeſto eſſet, mox gravior in ejus praecordiis metus gliſcere, animo totus conturbari, contremiſcere: atque inter haec ſomnus abrumpitur. Igitur ex his viſis quum aperte Caeſar intellexiſſet, Pontificiam dignitatem, tanquam rem curis periculiſque obnoxiam, ac plenum, ut dicitur, opus aleae, longe ſibi eſſe fugiendam, tanta repente in ejus animum inducta eſt ab illa alienatio atque averſio, ut in eadem contemnenda fugiendaque nihil omnino magnum ab ſe praeſtari affirmaret; neque enim ejuſmodi honorem a ſe pluris fieri, quam aliquod putre ac vile pomum, fatebatur. Quare factum eſt, ut, quum jam de novo Pontifice eligendo ageretur, pluresque Cardinales, quibus illum in Petri Cathedram collocare in animo erat, vehementer ab eo contenderent, ut nonnulla, quae in Siculae Monarchiae tractatu ſcripſerat, mutare vellet, ſuamque de iis ſententiam declarare, qua ratione quaecumque illi ad Pontificatum obſtabant, tollerentur, nunquam adduci potuit, ut eorum iteratis precibus acquieſceret, mira animi conſtantia ſem-

per

per obſiſtens, reſpondenſque, S. Heliam ſuper holocauſtum igne comburendum aquam imponi voluiſſe, illudque nihilominus igne mirabiliter e coelo delapſo fuiſſe conſumptum. Nolle ſe quidquam facere, quod ad Pontificiam dignitatem obtinendam conferre poſſet. Deo eligente, nullo ſibi impedimento fore quicquid vel egiſſet hactenus, vel tunc etiam ageret, etiamſi plurimum obſtare videretur; Spiritum namque ubi vult ſpirare, & cor regis in manu Domini quocumque voluerit illud flectere: ita plane oſtendens, quam egregie illius animus eſſet ab ambitionis nexibus expeditus. Quum autem in conclavi jam ventum eſſet, multorumque ſuffragio Pontificem ſe deſignari intelligeret, imminentis periculi terrore conturbatus, tantum cepit animo dolorem, ut ſalutis ſuae praeſidium fuga quaerere niteretur: quam quum ſibi a ſociis praecluſam agnoſceret, Deum rogare, atque implorare non deſiſtebat, ut a ſe Pontificatum avertere, & in alium optime meritum, ei corporis animique viribus praeſtantiorem, conferre vellet. Interea accidit, ut multorum Cardinalium voluntates iu certi cujuſdam electionem conſpirarent, quem Baronius minus illi oneri idoneum exiſtimaret certis de cauſis, non illis quidem graviſſimis, ſed quae viro inculpato ac ſevero haud leves videbantur. Quum vero jam pene in id adducta res eſſet, ut is, quem minime, ut dixi, aptum ipſe putabat, in Petri ſolio collocatus, Pontifex ſalutaretur; reſtitit Caeſar, & clara voce ſe nunquam ſuffragio ſuo tantum illi honorem delaturum dixit, nec niſi coactum illorum electioni aſſenſionem ſuam praebiturum; atque, ut ejus rei memoria teſtatior poſteritati foret, non recuſare, quominus in Annales Eccleſiaſticos referretur, ſe omnium poſtremum, quoniam aliter fieri non poſſet, ſuam cum caeteris Cardinalibus voluntatem conjunxiſſe. Verum quum jam animadverteret, eo jam negotium proceſſiſſe, ut illo etiam contradicente perfici poſſet, ad preces confugit, & S. Gregorium Neocaeſarienſem, Thaumaturgum dictum, hiſce verbis invocare coepit: *O Sancte Gregori, miraculorum patrator, nunc virtutem tuam oſtende, mibique id roboris & conſtantiae concede, quo reſiſtere poſſim huic electioni, quam tibi ingratam eſſe puto.* Et tanquam altera Judith audax facinus aggreſſurus, ac fiducia in Deum ob juſtitiam cauſae plenus: *Confirma me*, inquit, *Domine Deus, & reſpice in hac hora, ut, ſicut promiſiſti, Jeruſalem civitatem tuam* (hoc eſt Eccleſiam) *erigas, & hoc quod credens per te fieri poſſe cogitavi, perficiam*. His aliiſque precibus Deum exorans, quum aliquot Cardinales, in quos inciderat, eum reprehenderent, quod adeo tardus & invitus ad Pontificis electionem accederet: *Scribantur*, ait, *haec in generatione altera, & populus qui creabitur, laudabit Dominum*: atque interim iis, quae paullo ſuperius attulimus, magna gravitate repetitis, tanta continuo rerum commutatio facta eſt, ut nonnulli Cardinales hominis conſtantiam admirati, ad caeteros converſi exclamarint: *Quin virum hunc ſanctum, nunc pro Pontifice non adoramus? Agite quaeſo, eligamus hunc omnes*. Ad quae verba videns Caeſar omnium pene ſtudia momento in ſe converſa, Deum Optimum Maximum obſecravit, ut ingruentem hanc procellam a ſe depelleret, nullumque non movit lapidem, ut eorum voluntates a ſe omnino alienaret, donec poſt multas contentiones diſceptationeſque, repente ac inopinato ſua Patres ſuffragia in Camillum Cardina-

Digitized by Google

lem Burgheſium contulerint, eumque Pontificem Maximum Pauli V. nomine declaraverint. Qua ex re tantam inde Baronius concepit animo laetitiam, quantam ipſemet ad calcem tomi duodecimi Annalium omnibus teſtatam in hunc modum reliquit „ Abſolutus eſt praeſens tomus, quum
„ poſt menſem Pontifex Romanus creatus eſt Paulus, cui ipſe dicandus
„ pro tanto munere Deo immortali perennes gratiarum contineat actio-
„ nes; quae & acceſſionem accipiant tanquam ex inundante torrente ma-
„ jorem, quod in his a Deo ingentia valde ſim beneficia conſequutus,
„ ereptus e ſummis periculis imminentibus; nam e profundo maris abyſ-
„ ſo horribili tempeſtate jactati, quum jam incidiſſemus in dithalaſſum,
„ ipſa adhuc naufraga ſpe, Dei ope ad optatum litus una cum Paulo in
„ ſalutem urbis, & orbis evecto, ſalvi tandem emerſimus; quamobrem
„ partus hic ipſe noſter praeſens Annalium tomus, qui ob multiplices pa-
„ rientis aerumnas pene interitu pereuntis, Benoni filius doloris mei fue-
„ rat nuncupandus, ſubita rerum mutatione in contrarium facta, mutato
„ quoque nomine, ſicut & rebus, erit Benjamin dexterae filius nomi-
„ nandus, Paulo noſtro jam in dextera collocato. *Quis loquetur potentias*
„ *Domini? auditas faciet omnes laudes ejus? Mirabiles vidimus elationes*
„ *maris, mirabilis & apparuit in altis Dominus*. Qualis tunc rerum facies,
„ quam tetra, horrida, & formidabilis; quum & praeter tumentes flu-
„ ctus illos, adhuc ex improviſo tam vehementi eſt concuſſa Eccleſia ter-
„ rae motu, atque terrifico ſimul tonitru, excuſſo fulmine, perturbatae, &
„ interceptae, atque inverſae ſunt mentes hominum, ac pariter actiones?
„ Qui tunc aeſtus mei, quum adeo violentis, licet amicis ſtatibus abre-
„ ptus ferrer in ſyrtes, e quibus haud facilis eſſet emergendi facultas?
„ *Laboravi clamans, raucae re ipſa factae ſunt fauces meae*, exclamans ad
„ Omnipotentem Davidicum illud: *Mitte manum tuam de alto, libera me*
„ *de aquis multis*. Quaerebam anxius, ſi quo modo, ut Jonas, dedens
„ me fluctibus, honeſta jactura mei ſolius poſſem caeteris periclitantibus
„ eſſe ſalus; ſed judicio ſapientum Fratrum, qui aderant, damnoſum exi-
„ ſtimatum eſt hujuſmodi conſilium, eo quod, non ego, ſicut ille, fuge-
„ rem a facie Domini, ſed potius pro Domino ſtarem, atque perſiſterem
„ pro domo Iſrael, utcumque debiles vires ferrent, murus oppoſitus: fir-
„ miter iiſdem aſſeverantibus, loco non cedendum, ſed firmiſſime ad fi-
„ nem uſque perſtandum infractum, immobilem, atque conſtantem. Sic
„ igitur Fratrum ſententia intercluſus, cunctiſque evadendi remediis deſti-
„ tutus, taedio vitae gravatus ſupra modum ultra vires, in illa aerumno-
„ ſa cum Jeremia erupi ſaepe lamenta: *Vae mihi, mater mea, quare me genui-*
„ *ſti, virum rixae, virum diſcordiae in univerſa terra?* Quum vero his tene-
„ rer vallatus anguſtiis, & a Deo tantum, qui eſt ſolus omnipotens, prae-
„ ſtolarer auxilium; ecce ſtatim ex inſperato cataſtrophe facta eſt rerum re-
„ pentina, ſicut & admiranda mutatio. Excitatus namque tanquam dor-
„ miens Dominus clamore ſuorum, qui laborantes erant in remigando,
„ feſtinus exurgens, *imperavit ventis, & mari, & facta eſt tranquillitas ma-*
„ *gna*: atque dicto citius, miro conſenſu omnium, ecce provehitur Pau-
„ lus tanquam e maris ereptus tempeſtate ſalvus in Cathedram Petri,
„ cui una cum univerſa Eccleſia Catholica feliciter acclamamus: Paulo

„ PAPAE

„ PAPAE V. A DEO ELECTO SALUS ET VITA „ Hoc poſtremo loco non eſt praetereundum, quod ſolutis comitiis domum reverſus, quum amicorum nonnulli ſibi dolerent, quod praeter ipſorum expectationem Pontificatum non eſſet adeptus: *Ego vero*, inquit, *magnopere miror, vos in ea re dolorem capere, in qua & mihi gratulari, & divinae bonitati gratias agere deberetis*. Et Franciſcus Cardinalis de Joyoſa, ſacri Collegii Decanus, in relatione hujus conclavis, quae eſt in ejus actis apud Auberium, & in Commentariis Cardinalis Perronii, vel ex hoc ſolo audaci & magnanimo facinore, his verbis Cardinalem noſtrum laudare non dubitavit „ Dum haec agerentur, „ advenit *magnus Baronius* (videtur enim mihi ex hoc actu talis cenſeri, „ & denominari debere ac poſſe), in quo agnovimus zelum honoris divi„ ni ferventiſſimnm, remque rariſſimi exempli, ut unicus Cardinalis, in „ ipſo proximae adorationis momento, caeteris de futuro Pontifice con„ venientibus, tanta cum libertate loqui auſus fuerit „ Quae omnia hactenus enarrata ad veram illius animi humilitatem, mundique gloriae contemptum intelligendum, nec obſcura eſſe poſſunt, nec exigua argumenta. Sed jam reliqua ab eo in Cardinalatu praeclare geſta proſequamur.

C A P U T VIII.

Ejus paupertatis amor, & divitiarum deſpicientia.

TAnto honorum neglectui ſtudium paupertatis, & divitiarum deſpicientia in Caeſare haud impar fuit. Etenim paupertatem, cujus ſe voto olim Sacerdos obſtrinxerat, quamquam deinde a Pontifice ſolutus, ſemper quoad potuit, ſibi retinendam putavit. Itaque, licet pro Cardinalis munere ac dignitate facultatibus carere non poſſet, eas tamen adeo infra ſe ducebat, ut plane nihil ad ſe ipſum pertinere viderentur; quippe quum illis & ad ſuas neceſſitates parce, & ad aliorum utilitates liberaliter uteretur. Ut primum Cardinalis eſt renunciatus, quamquam illi Pontifex in Vaticano aedes parari juſſerat ſupellectili, quae recentem Cardinalem decebat, inſtructas, ille tamen ſuae priſtinae paupertatis memor, exiguam ſibi cellulam componi voluit rudibus compactam tabulis, quae tantum caperet, quantum ſociae congrueret paupertati; nempe lectulum ferreis ſuffultum pedibus, quo olim utebatur, rudem, ac ſimplicem, nullo cultu ornatum, & quieti minus aptum, quippe duabus tabulis, & unica ſubſtratum culcitra lanea, adeoque anguſtum, ut quatuor palmorum latitudinem non excederet, & quieſcentis corporis longitudini quod impar eſſet, illud capere vix poſſet, ad cujus caput ferrea Crux infixa eminebat, ut feretri potius, quam lectuli ſpeciem praeſeferret. His addidit ſedeculas aliquot ligneas cancellatim fabrefactas, armariola item nonnulla ex ligno rudi atque impolito, in quibus libri reponebantur, tabulam ſcriptoriam, ſcabellum geniculatorium, catillum terreum, atramentarium fictile ac rude, quo uſque ad extremum vitae tempus in ſcribendo uti voluit, atque alia hujuſmodi, quae religioſo cuique viro, & quidem pauperrimo, ad inſtruendam cellulam vix ſufficerent. Per annos duodecim, quibus Cardinala-

dinalatum geſſit, veſtes Cardinalitias, quas a Clemente initio acceperat, longo licet uſu vetuſtateque detritas retinuit ſemper, neque unquam adduci potuit, ut, iis relictis, novas indueret, etſi aliqui interdum eidem objicerent, eas interpolari amplius non poſſe. Dicebat enim pro certo habere uſque ad obitum duraturas, & pecuniam, quae in iis comparandis ſumi deberet, melius in pauperum uſum ſubſidiumque converti. Unde extremo tantum vitae tempore & precibus amicorum, & magis ipſa neceſſitate cogente, aegre tandem nova indumenta violacea fieri permiſit, veteribus ad lecti tentorium conſarcinandum adhibitis. Quod vero ad interiora indumenta pertinet, induſia quidem, & lectuli lintea rudioribus atque aſperioribus, quam antea, in Cardinalatu uſus eſt. Thorace & femoralibus coriaceis, eiſdemque vetuſtis, ac obſoletis, & quibus crebra pannorum fruſtula eſſent aſſuta, omnino uſque ad obitum uti voluit: ut propterea Juvenali Ancinae paupertatem ſibi ſuadenti merito in haec verba reſponderit „ Quod „ paupertatem ſuades, optime quidem facis; ſed ſcito, me eſſe pauperri- „ mum: quod ſi forte brevi ſim moriturus, nullam aliam habeo quam „ meis relinquam haereditatem, niſi ipſam paupertatem; ac proinde ne- „ minem puto fore mihi haeredem, quum deteſtentur hanc omnes. Tu „ quum veneris, videbis; videbiſque ſub purpureis indumentis latere pan- „ noſum „ Itaque talem ſe in mediis dignitatibus, & in aulis Principum, in ſplendore atque gloria gerebat, ut potius pauper Sacerdos, quam Cardinalis eſſe videretur. Quamvis autem initio Cardinalatus tenues admodum haberet reditus, & qui ad eam ſuſtinendam dignitatem minime ſufficerent, nunquam tamen adduci potuit, ut a Pontifice quidquam peteret, ſed paupertate ſua contentus erat. Abbatiam in Hydruntino ſatis opulentam a Clemente Pontifice oblatam libere recuſavit, quia Epiſcopali juriſdictione gauderet. Quod animi conſilium litteris ad Antonium Talpam Ferraria datis die 3. Novembris anno MDXCVIII. in hunc modum ſignificavit „ Sanctiſſimus, inquit, Pontifex haec Ferrariae loca aliqua ex parte viſitavit, meque ſibi comitem adjunxit. Per hos dies Abbatiam mihi conferre voluit Hydrunti ſitam; verum, quia juriſdictionem habet Epiſcopalem, „ accipere recuſavi, quod ejus, ut mihi libitum foret, inviſendae non ha- „ berem poteſtatem. Et quidem longe mihi jucundius eſt parum quid ha- „ bere, vel nihil, quam animarum cura onerari. Quid acturus ſit, ignoro. „ Ego pedes animumque firmavi, ſtatuique, nolle quidquam poſtulare, „ ſed a divini Numinis providentia uſquequaque pendere, ne vel exiguo „ pungar ſcrupulo, quod aliquid vel minimum Eccleſiaſticae facultatis exqui- „ ſiverim. Amicorum multi reprehendunt me. Sed abundet unuſquiſque in „ ſenſu ſuo. Id quidem & mihi tutius, & aliis melioris videtur exempli „ Licet autem Eccleſiaſticis petendis facultatibus Caeſar abſtineret, Clementis tamen Pontificis liberalitatem ita eſt expertus, ut quem in ſua ad Cardinalatum aſſumptione veluti parentem habuerat, eumdem poſtea in omnibus patronum ac tutorem agnoverit. Etenim non modo illi honorum titulos auxit, quippe quem & Apoſtolicae Sedis Bibliothecarium, & ſacrorum Rituum Congregationi adſcripſit, & in graviſſimis Eccleſiae negotiis ſemper adhibuit, ſed & paullatim annuum illi cenſum tantum attribuit, quantus & illius neceſſitati & dignitati conveniret. His autem omnibus

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiaſticis ſaculatibus, non ad inanis gloriae faſtum, neque ad domeſticum luxum, & famulorum apparatum, ſed ad pauperum inopiam ſublevandam, ad Eccleſiarum cultum, Deique honorem amplificandum utebatur; & contentus ipſe exiguo, caetera omnia libentiſſime referebat in commune omnium bonum, a cumulandis opibus uſque adeo abhorrens, ut & ſibi oblatas ſaepe repudiaret, & quaſi violenter illatas in aliorum manus tranſmitteret. A muneribus autem quantum ſemper Caeſaris animus abhorruerit, haud facile explicari poteſt. Quapropter quum illi ab Henrico IV. Galliae & Navarrae Rege Chriſtianiſſimo, cui nonum Annalium tomum obtulerat, ſupellex elegantiſſima ex auro argentoque conſtructa, ad domeſticum inſtruendum Sacellum dono eſſet tranſmiſſa, eam Caeſar, laudata Regis munificentia, non modo recuſavit, ſed ſemel atque iterum ab ejuſdem Regis Oratore ſibi delatam rejecit; denique, Pontifice jubente, quaſi violenter illatam invitus accepit, ea tamen conditione, ut ſtatim in Vallicellani Templi uſum poteſtatemque tranſiret. Nec multo poſt cryſtallinam Crucem eleganter elaboratam, a Rodulpho II. Caeſare, cui decimum Annalium tomum obtulerat, ſibi miſſam, atque aegre acceptam, Capuccinorum familiae, quam in patriam ſuam recens deduxerat, dono tranſmiſit. Hanc in recuſandis Principum donis conſuetudinem initio Cardinalatus acrius retinuit, qua paupertatis amator, qua cuſtos Chriſtianae & Apoſtolicae libertatis, quum eam ſciret iſtiuſmodi muneribus plerumque labefactari, & ſaepe divinum illud uſurparet effatum: *Non accipies perſonam, nec munera; quia munera excaecant oculos ſapientium, & mutant verba juſtorum*. Verum poſtea, ne nimiae ruſticitatis vitium incurreret, utque aliorum offenſionem evitaret, hunc in ea re adhibendum cenſuit modum, ut non quidem ex omni parte oblata reſpueret, ſed ea tantum admitteret, quae magis ad benevolentiae ſignificationem, quam ad opes cumulandas pertinerent. Etenim optime noverat, nihil ab amico velle ſuſcipere, inculti, aut elati quandoque animi vitium eſſe, qui vel offerentis donum negligat, vel eidem gratiam debere, & referre recuſet. Igitur Caeſar amicorum benevolentiam non reſpuens, eorum munera modeſte ſuſcipiebat, eiſque non modo parem referebat gratiam, verum etiam quoad vires ferrent cumulatiorem; ſimulque, ut ſuae paupertati, & liberalitati conſuleret, quaecumque ſibi dono offerebantur, ea protinus ſumma animi alacritate vel pauperibus, vel ſacris locis dilargiebatur.

CAPUT IX.

Ejuſdem vitae aſperitas.

CUm divitiarum contemtu vitae quoque aſperitas in Caeſare jungebatur, quam a teneris, ut Graeci ajunt, unguiculis ſuſceptam, perpetuo ſibi retinendam duxit. Quapropter etiam in Cardinalatus dignitate conſtitutus, & ad ſenium vergens, nihil de priſtina in ſe ipſum ſeveritate remittens, menſam quidem nequaquam apponi ſibi volebat, niſi valde tenui, & communi, & parabili cibo inſtructam, eum adhibens in victu modum,

quo

quo antea in Congregatione uti conſueverat. Quin potius, ut per noctem orationibus, ſtudiiſque tempus reſtitueret, quod per diem publicis negotiis tribui officii ſui ratio poſtulabat, mane quidem cibum ac potum ſumebat ſolito tenuiorem, veſpere autem jentaculo contentus exiguo cubitum ibat. Quo factum eſt, ut deficientibus paullatim viribus in tantam ſtomachi aegritudinem inciderit, ut nonniſi medicorum iteratis ſaepe perſuaſionibus, paullo melioribus uti cibis tandem compulſus ſit, quamquam & pro languenti ſtomacho valde modicis, & invito animo maxime injucundis; tum quod delicias abhorreret; tum quod eorum ſumptus, ſibi licet neceſſarios, pauperum beneficio mallet impendi. Quamobrem quum aliquando ita aegrotaret, ut propter ſtomachi imbecillitatem vix cibum capere poſſet, & Bernardinus Caſtellanus, quo medico utebatur, juſſiſſet, ut quotidie conſumti pulli gallinacei juſculo reficeretur, nunquam medici mandato voluit acquieſcere. Cilicio frequenter utebatur aſperrimo, praeſertim quum ad Conſiſtorium, aut ad Pontificium Sacellum ſe ſe conferret, quod tum ad affligendam carnem, tum ad humilitatem ſpiritus fovendam utile eſſe dicebat. Quum vero ſibi peccatorum memoriam, & internae compunctionis ſtimulos excitaret, flagellis adeo graviter in ſemetipſum animadvertebat, ut e corpore ſanguinem eliceret, veſteſque cruore reſpergeret. Laboribus fere ſupra modum ſe ſe exercebat: ſiquidem, ſpatio ad relaxandum animum nunquam dato, quidquid a publicis curis negotiiſque ſibi dabatur otii, totum in legendo, ſcribendo, meditandoque conſumebat.

CAPUT X.

Quomodo ſe geſſerit in domeſticos.

DOmeſticos, & familiares paterno pietatis affectu complectebatur, eoſque in primis ad aeternam ſalutem ſibi comparandam, non ſolum exemplis, ſed etiam crebris admonitionibus, quammaxime poterat, excitare conſuevit. Et quidem in eis morum honeſtatem, modeſtiam, caeteraſque virtutes adeo diligebat, ut, ſi quid forte deprehenderet, quod non ita pietati conſonum, rectumque videretur, confeſtim adhibita animadverſione objurgationeque emendaret. Qua in re etſi interdum paullo durior auſteriorque videretur, omnem tamen iracundiae motum vel ab ipſo fervido ſubitoque ingenio, vel ab ſtudiorum aſſiduitate, quotidianarumque occupationum tumultu excitatum, adeo virtus ipſa reprimebat, & moderabatur, nihil ut diceret, ageretque, quod offenſionem, atque injuriam ſaperet; &, ſi quod erat naturae vitium, id ipſum vel poenitentiae dolor emendaret, vel etiam virtutis zelus abſumeret, quo domeſticos ſuos & in officio continere, & ad majorem Chriſtianae probitatis obſervantiam acrius promovere cupiebat. Nec ſane fruſtra: quum enim prae caeteris omnibus optatiſſima illi eſſet animorum ſalus, quod ad Chriſtianae pietatis cultum pertinet, tota ipſius domus coenobii potius imaginem, quam palatii, aut curiae ſpeciem praeſeferebat; quod ubique morum honeſtas, ubique pietas eniteret, & ad ejus exemplum tota familia componeretur: ſatagentibus ſingu-

ſingulis tales coram eo ſe gerere, quales eximia illius dignitas, virtuteſque poſtulabant. Quapropter Juſtus Calvinus, vir clariſſimus, qui beneficio Annalium ex haeretico Catholicus factus, Baronii fidem, & nomen accepit, caeteris ejus virtutibus hanc quoque non ultimam laudem adſcribit, aitque „ Ambulat inter ſuos, non quaſi dominus, ſed parens. Eminet, excellit tum virtute, & gravitate elatior aliis & excelſior; in caeteris par „ omnibus, & hoc ſaltem major, quo melior: juxta eum maxima quies, „ tantum ubique ſilentium, & tam altus pudor, ut ad parvos penates „ & larem anguſtum ex domo Principis modeſtiae & tranquillitatis exem„ pla referantur „ Mos illi erat, ut unoquoque menſe domeſticis omnibus rite peccata confiteri juſſis ſacrum Chriſti Corpus in Miſſae ſacrificio ſuis manibus traderet, illiſque ſingulis hebdomadis die ſabbatho ſermonem de divinis rebus vel interdum haberet ipſe, vel utplurimum ab aliquo noſtrae Congregationis Sacerdote faciendum curaret. Qua in re praeter hoc pietatis officium non exiguam quoque adhibebat ipſe animi modeſtiam: ſiquidem Sacerdotes, qui ad id muneris mittebantur, ſumma benignitate hilaritateque excipiebat, eiſque dicentibus non modo ipſe aderat, ſed ita attentus etiam praebebat aures, ut ab illorum ore totus pendere videretur. Itaque accidit aliquando, ut in uno eodemque ſermone ſemel atque iterum ab ipſo Pontifice, qui haud longe ab ejus cubiculo aberat, accitus, ſolus aſſurrexerit, aulicis fere omnibus in auditorio relictis, ad Pontificem advolarit, & morae omnis impatiens, quamcitiſſime ſe expediens, ſtatim ad eumdem ſermonem audiendum redi verit. Praeterea quotidie inclinato in occaſum die cum ſuis omnibus in domeſticum Sacellum convenire ſolebat; ibique unanimes *Litanias*, aliaſque pias ad Deum preces recitabant. Porro ex hoc pietatis erga domeſticos ſtudio factum eſt, ut menſam cum eis ſibi communem eſſe voluerit. Optabat autem, ut in ea ſemper aliquis ex noſtris ſive Presbyteris, ſive Laicis adeſſet. Alios etiam religioſos viros, praeſertim advenas Epiſcopos ſemper invitabat. Et ne hac in re quidem a Congregationis noſtrae more inſtitutoque diſcederet, lectorem etiam adeſſe volebat, qui ſacros libros, ſanctorumque Patrum monumenta, atque alia pii cujuſdam auctoris opera vulgari ſermone conſcripta legeret. Lectionis autem tempus ultra dimidium prandium minime extendebatur; ideoque, eo tranſacto, aliquid ex ſacris litteris, aut ex morali diſciplina proponi ſolebat, ad quod ſinguli diſcumbentes reſponderent. Denique ſicut in iis, quae ad excitandam, vel augendam in ipſorum animis pietatem pertinebant, ſtudioſus erat ac diligens, ſic eorum, quae ad corpus ſpectabant, habita, ut par erat, ratione, non modo bene valentes ſuis alebat ſtipendiis, ſed etiam aegrotantes, ut omnia paternae caritatis expleret officia, & inviſebat frequenter, & benignis verbis ſolabatur, curabatque diligenter, ut adhibitis medicorum remediis ad optimam valetudinem reducerentur. Quibus omnibus efficiebat, ut ab iis non ſolum in honore haberetur ſummo, ſed etiam magnopere diligeretur.

Digitized by Google

CAPUT XI.

De ejus pietate in Deum.

ANtequam ad caeteras Baronii virtutes referendas delineandaſque animum applicemus, operae pretium erit, aliquid breviter hoc loco dicere de eximia ejus pietate in Deum, quae in ipſo incepta a parvis, eum aetate accrevit ſimul; quandoquidem ex hac ſola tanquam a fonte omnium proveniant ornamenta virtutum. Et ſane tanto Caeſar in ſummum bonum amore flagrabat, ut nunquam a Domini ſui praeſentia divelli poſſe videretur. Sive enim ſolus eſſet, ſive cum aliis, ſemper ubique domi foriſque, In Templo, in menſa, inviſibilem Deum tanquam praeſentem intuebatur; adeo ut interdum quamquam in profunda ſtudiorum ſuorum cogitatione verſaretur, facere tamen non poterat, quin ex imo pectore ſuſpiria duceret, ac ſubmiſſa voce propheticum illud pronunciaret: *O Iſrael, quam magna eſt domus Domini, & ingens locus poſſeſſionis ejus!* Alias identidem breves precationes, quas *jaculatorias* vocant, ad Deum per intervalla dirigebat, quarum nonnullas in exigua membrana ſua ipſius manu deſcriptas in hunc modum eſſe comperimus: ***Statuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos. In petra exaltavit me, & nunc exaltabit caput meum ſuper omnes inimicos meos. Confitebor tibi in directione cordis. Portio mea, Domine ſit in terra viventium. Portio mea, Domine, dixi cuſtodire legem tuam. Portaſti ab utero, portaſti in juventute, portaſti in ſenectute, porta uſque ad finem.*** His aliique precantiunculis internum divini amoris ignem enutriebat, tantamque in aſſidua coeleſtium rerum contemplatione ſumebat voluptatem, ut, quum jam Cardinalis renunciatus rheda per urbem veheretur, adductis ex omni parte velis, tota mente in divinum Numen intentus, ſanctiſſimum Jeſu nomen invocaret, ac ſaepe illud repeteret: *O aeternitas! O aeternitas!* Quum autem intra domeſticos parietes ſolus orabat, ita a ſenſibus abſtrahebatur, ut ſaepe famuli cubiculum ingreſſi, toto corpore humi proſtratum invenerint, immobilemque reliquerint. Porro ejus orationis ſpecies tam varios multiformeſque internae pietatis exprimebat affectus, ut modo manantibus per ora lacrymis totus in gemitu confici, modo ex ore atque oculis flammas ſpirare videretur. Quamobrem ejus animus licet adhuc corporis vinculis adſtrictus, ita tamen ab humanis omnibus rebus ſejunctus, diviniſque addictus erat, ut jam corporis integumentis exutus, purus ac liber inter coelites poſitus collocatuſque videri poſſet. Quum autem in Tuſculano valetudinis cauſa morabatur, egredi ſaepe ad meditandum in agro ſolebat, atque in ſylvas & nemora ſe ſe abdere, ut divinis cogitationibus libentius in abſcondito vacaret. In hiſce autem mira quadam coeleſtique dulcedine captus, modo eum vidiſſes in ſuſpiria gemituſque reſolvi, modo hac illac diſcurrere, quercus fagoſque amplexari, modo in terram ſe ſe proſternere, divinumque auxilium enixe ferventerque implorare. Qui quidem divini amoris impulſus tantam in eo vim habebant, ut illis vel ſuſtinendis, vel occultandis interdum non eſſet ſatis.

Digitized by Google

tis : Hanc autem eximiam in Deum dilectionem non modo Baronius, quotieſcumque ſacroſancto Miſſae ſacrificio operam daret, oſtendebat (faciebat id autem quotidie, nec niſi graviſſimo implicitus morbo intermittebat), ſed etiam in caeteris actionibus, ac praeſertim dum in divinis laudibus recitandis, publiciſque in Eccleſia ſermonibus habendis verſabatur. Quibus in rebus tantum ipſe Deo plenus ubique ſpirabat ad Chriſtianam pietatem amplectendam fovendamque ardorem, ut adſtantium animos a terrenis rebus avocatos, ad coeleſtium bonorum deſideria mirifice ſublevaret. Verum licet aſſidua divinarum rerum meditatio magnum in eo fuerit divini amoris indicium, quod eo plerumque rapiatur mens hominis, quo voluntas ipſa propendeat ; inde tamen ſe verus Chriſti amor maniſeſtius prodidit, quod, ut jam diximus, pro amplificanda ejus nominis gloria partim hominibus ſalutarium frequentia ſermonum, & optimis virtutum exemplis ad pietatem excitandis, partim Eccleſia Catholica ipſa Annalium ſcriptione ab haereticorum injuriis teliſque defendenda, aetatem ſuam omnem, ingenium, vireſque conſumpſerit. Sed jam ad alias praecipuas tanti viri virtutes enumerandas progrediamur.

CAPUT XII.

De ejus erga omnes, ac praecipue in egenos caritate.

INcenſae divini Numinis dilectioni ſummum etiam proximi amorem adjunxit Caeſar, non immemor illius ſententiae Joannis Apoſtoli, nimirum : *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum*. Quamobrem non modo omnium ſalutem vehementer optabat, ſed ita diligenter curare ſatagebat, ut aliorum neceſſitates quodammodo in ſe transferre, & magis alienis, quam propriis malis ſolicitari videretur. Tantam vero in publicis Eccleſiae calamitatibus partem ſumebat, ut aſpertimo indutus cilicio Deum pro iiſdem avertendis nunquam orare ceſſaret. Annus erat MDXCVII. quo quum Alphonſus Ferrariae Dux extremum diem obiiſſet, cujus morte Ferraria ad imperium Romanae Eccleſiae redibat, a qua Eſtenſes Principes beneficiario jure acceperant, & Caeſar Ateſtinus licet ab eo excluſus dominatu, quia injuſto ortus eſſet matrimonio, tamen audacter ſe Principem ac Ducem Ferrariae appellaſſet, ſumptiſque Principatus inſignibus ipſam urbem circumiſſet ; Clemens VIII. Pontifex vere maximus, quoniam aliter Eccleſiae jura repetere tuerique non poſſet, ad eam oppugnandam repetendamque egregium exercitum ſumma ſolicitudine comparaverat. Baronius autem etſi non ignorabat, quam juſtum neceſſariumque bellum Pontifex ad Ferrarienſem ditionem recuperandam parare cogebatur, incredibile tamen dictu eſt, quantum hac de re dolorem moeroremque conceperit, quum potius emori ſe velle diceret, quam Eccleſiae pacem tranquillitatemque bellorum tumultibus agitatam videre. Qua de re ad Antonium Talpam ſcribens „ Deus, inquit, notas „ tibi faciat curas, quae me ſolicitum atque anxium tenent ob novam „ hanc rerum Ferrarienſium turbam : alterum enim ex his conſilium da-

„ re cogor, aut bona & jura Eccleſiae dimittenda, ut bellum vitetur; „ aut certe bellandum, ut eadem recuperentur, quae quidem aliter „ obtineri non poſſint: atque inter haec duo extrema nullum reperitur me- „ dium. O Pater, o Pater, quorſum ego ad hanc dignitatem evectus ſum „ tanto cum diſcrimine infelicis animae meae? Quae vero intus in men- „ te agito, litteris conſignare non auſim: verum ſi ſecreto tecum agere „ liceret, nae illa magnam apud te commiſerationem excitarent. Etenim „ omnium fere Cardinalium ſuffragiis decretum eſt bellum. Itaque toto „ pectore laborandum, & Deo precibus contendendum, ut imminentia „ mala prohibeat: ſatis enim exploratum eſt, quantum malorum impor- „ tet bellum. Deum rogo, rogaboque ſemper, ut iram ſuam in me con- „ vertat, dum bene conſultum ſit paci Eccleſiae. De his hactenus. Ore- „ mus, oremus, oremus „ Hanc ipſam curam ac ſolicitudinem oſtendit, dum de reconciliandis inter ſe Mantuae, ac Parmae Ducibus agebatur; quorum animos vehementer exaſperatos aſſiduis apud Deum precibus deliinivit, & ad pacem concordiamque revocavit. Id ex ipſius ore Baronii narrat Joannes Juvenalis Aucina ex Romana Oratorii Congregatione a Clemente VIII. ad Epiſcopalem Salutiarum Cathedram promotus. Neque Eccleſiam ſolum univerſam Caeſar noſter, & principes viros, ſuoſque in ſpiritu filios, ſed quoſcumque homines etiam ex primo ad ſe acceſſu notos vaſtiſſimo illo caritatis ſuae ſinu complectebatur, omnibus ſe promptum facilemque exhibebat: neque (ut fere apud aulicos in more poſitum eſt) verba dare noverat, aut ſe rogantes inani ſpe lactare; verum juxta Chriſti diſciplinam inſtitutus, *diligebat, non verbo atque lingua, ſed opere & veritate*. A Clemente VIII. Pontifice, cujus confeſſiones uſque ad illius obitum audivit, quamquam pro ſe quidem nihil, pro aliis tamen multa poſtulavit, impetravitque; ſiquidem tantum ea in re ſtudium diligentiamque adhibebat, ut Clemens nunquam ejus poſtulatis non ſatisfaceret. Quapropter permultos ſpectatae virtutis doctrinaeque viros ab eodem Pontifice majoribus in Eccleſia dignitatibus cumulandos exornandoſque curavit: inprimiſque ei auctor fuit, ut horum nonnulli in ſacrum Cardinalium Collegium adſciſcerentur; inter quos nominari merito poſſunt Hieronymus Pamphilius Innocentii Papae X. patruus, & Alphonſus Vicecomes, qui poſtmodum ipſi purpurae ornamento fuere, maxime vero Ven. Robertus Bellarminus. Quamvis enim, ut in ejuſdem Bellarmini Vita teſtatum reliquit Petraſanctius, nonnulli extiterint, qui inter eos ſemel atque iterum prava aemulationum atque controverſiarum ſemina ſpargere conati fuerint, nihilominus magna ſemper inter Caeſarem noſtrum, ac Robertum, propter ſtudiorum voluntatumque ſimilitudinem, conjunctio fuit. Quare Baronium eidem Clementi Pontifici propoſuiſſe ferunt, ut in locum demortui Cardinalis Toleti e Societate Jeſu, Bellarminum ejuſdem Societatis lumen egregium, in ampliſſimum Collegium ad Catholicae Eccleſiae ſplendorem utilitatemque ſubrogaret: ipſiuſque Bellarmini poſtea Cardinalis aſſumptionem ad Capuanum Archiepiſcopatum ſuis Annalibus Eccleſiaſticis cum laude inſeruit. Hinc viciſſim Bellarminus & Baronium noſtrum mirifice colebat, & ejus virtutes magnopere admirabatur; eumque *magnum pomparum mundi contemptorem* appellare, atque ejus judicio conſilioque prope in

omni-

omnibus uti conſueverat. Unde ad Cardinalatum evectus domum familiamque ſuam ad Caeſaris familiae normam modumque compoſuit; laboranteque eo in extremis, quotidie ad illum officii cauſa veniebat, ac deinde adeo moleſte ejus mortem tulit, ejuſdemque deſiderium tam effuſis lacrymis praeſetulit, ut illas ne in publico quidem funere continere potuerit. Verum, ut ad eumdem Caeſarem revertamur, alios praeterea aliis beneficiis pro eorum meritis exornare non deſtitit. In his Joſephum Caſtalionem, Juris utriuſque doctorem, humaniorumque litterarum ſcientia percelebrem, nonnullis civitatibus cum juriſdictione imperioque regendis praeficiendum curavit. Quanta autem benignitate, quantiſque officiis homines ab haereſi ad Eccleſiae ſinum confugientes reciperet atque proſequeretur, ſatis in Juſto Calvino, de quo ſuperius verba fecimus, oſtendit. Hic quum ex Annalium lectione ad haereticorum errores abjurandos, Catholicamque fidem amplectendam excitatus eſſet, Caeſaris opera a Clemente Papa VIII. liberaliter eſt habitus: quumque in Baſilica Lateranenſi ab ipſomet Pontifice ſacro Chriſmate ſolemni pompa confirmaretur, Baronium habuit in hoc Sacramento ſuſceptorem, quem paullo ante Fidei magiſtrum habuerat: a quo poſtea in familiam adoptatus, ex Calvino Baronius dictus eſt, ut ex ejus pluribus ad Caeſarem datis epiſtolis, a nobis nunc primum evulgatis, patebit, necnon ex funebri ejuſdem oratione, qua Cardinali noſtro parentavit, quamque etiam nunc primum a nobis publici juris factam, inferius poſt Vitam collocabimus. Neque diſſimilis enituit Caeſaris noſtri erga Gaſparem Scioppium, doctiſſimum virum, paterna pietas, qua illum ſimili ratione ad Fidem revocatum, atque a ſe in Chriſto genitum multis quoque beneficiis eſt proſequutus. Sunt & alii etiam innumeri, qui licet ipſius aperti eſſent inimici, tamen ejuſdem caritatis fructus ſuaviſſimos perceperunt: a quibus enumerandis, ut brevitati conſulamus, libenter hoc in loco ſuperſedemus. Verum enimvero fervens illa in Deum, & proximum Caeſaris caritas in egentibus ſublevandis potiſſimum enituit. Qua de re etſi nonnulla a nobis ſuperius dicta ſint lib. I. cap. 10. nihilominus, quum jam Cardinalis renunciatus magis ejus in pauperes ſtudium enituerit, quod facultatum copia acceſſiſſet, aliqua etiam hoc loco de eadem dicere operae pretium erit. Excurrens igitur per latiſſimum miſericordiae campum Caeſaris effuſa liberalitas, praecurrentis voluntatis deſiderium, opus ipſum ſi non conſequi poterat, at certe totis viribus ſequebatur. Namque & religioſorum coenobiis ea, quae ad victum neceſſaria erant, abunde ſuppeditabat, & aliis pauperum familiis ſingulis quibuſque menſibus certum pecuniae numerum elargiebatur. Viduarum, & pupillorum patrocinium libentiſſime ſuſcipiebat, eiſque variis calamitatibus oppreſſis & benignas praebebat aures, & earum vices commiſeratus, ſermonibus officiiſque opem ferebat. Praeterea virginibus honeſtis, inopia laborantibus, vel Deo dicandis, vel nuptui tradendis, congruam ſaepe pecuniae ſummam impertiebat. Pluribus adoleſcentulis, ut litterarum ſtudiis operam darent, ſtipendia atque alimenta praebebat. Si quando per urbem vectus miſerum aliquem viribus corporis prae aegritudine deſtitutum offendiſſet, exiliebat e curru, in eumque jacentem imponi, atque in noſocomium deportari jubebat. Nec iis ſane juvandis erat contentus, qui ſe ultro offerrent, ſed aliorum quoque

que

que neceſſitates, qui pudore a mendicando prohibebantur, inquirebat & indagabat quamdiligentiſſime.

CAPUT XIII.

Qualis fuerit erga propinquos.

QUamvis autem propinquitate ſibi conjunctos ea qua decet pietate juxta Apoſtoli conſilium Caeſar proſequeretur, eorumque curam habere minime praetermitteret; quia tamen optime noverat, magna quaedam eſſe, & occulta naturae, ac conſanguinitatis vincula, quibus interdum vel ii, qui ſapientes alioquin ſunt, irretiti, ad ea, quae minus decent, miſere pertrahuntur, in ea re ſummopere cautus & circumſpectus incedere viſus eſt. Itaque etſi divinae caritatis praecepto ad eorum inopiam ſublevandam praeſto erat, tamen, ne qua ſibi fortaſſe cognationis affectio internum animi robur ſenſim enervaret, adeo ab iis locupletandis cohoneſtandiſque alienum habebat animum, ut eorum paupertatem, nonniſi quantum neceſſitas ferret, ſublevandam putaverit. Idcirco, quamvis ſaepe rogatus, nunquam tamen adduci potuit, ut ſuae ipſius conſanguineae cum viris principibus connubio jungerentur; quum dicere ſoleret, ſe ſe, quamvis Cardinalem, pauperem civem Soranum eſſe, atque in ſuo ſtatu permanere decreviſſe: quod Antonio Talpae his litteris declaravit „ Quod, inquit, „ ad meas neptes in matrimonio collocandas pertinet, ſatis quidem aperte „ animi mei conſilium me tibi cognitum feciſſe exiſtimabam; nimirum nolle „ me, etſi Cardinalis ſim, affines vel honoribus augere, vel facultatibus; „ ſed in eo ſtatu relinquere, in quo eos reperi, ipſorum dumtaxat neceſſitatibus auxilium ſubminiſtraturum. Quapropter, quum paupertate laborent, „ ſatis me illis facturum cenſeo, ſi feminis nuptui tradendis, quum tempus „ opportunum advenerit, mille nummos aureos pro ſingularum dotibus „ attribuam: qua dotis aſſignatione mihi non eſt dubium, quin Soranis „ civibus ſint nupturae, quibus etiam nobilioribus tantum dotis tribui plus „ minuſve conſuevit. De reliquo mihi nemo moleſtus ſit. *Nolo ambulare in magnis, neque in mirabilibus ſuper me*. Hoc igitur nunc, atque „ in perpetuum dictum velim. Quod ſi aliam mentem voluntatemque „ ſuſcepero, tanquam hominem ſtultum, & catena dignum me corripe. „ Sed, ut ſpero, id facto non erit opus. Deus vobis adſit. Roma v. kal. „ Septembris MDXCVII. „ Neque vero hanc ſuam animi firmitatem Caeſar unquam immutavit, niſi quod eamdem dotem, quam neptibus in matrimonio locandis jam deſtinaverat, iiſdem, ut in ſacrarum virginum monaſteriis abdi poſſent, eo libentius eſt dilargitus, quo eas ſanctiore vidit loco repoſitas & conſecratas. Quod vero ad alios propinquos attinet, illis quidem in neceſſariis opitulari non defuit; ſed valde tamen difficulter, & duriter, veritus occultos naturae dolos. Itaque rogatus aliquando ab Auguſtino Manno noſtrae Congregationis Sacerdote, ut uni ex ipſius propinquis ope indigenti ſubſidium ferret: *Ne quaeſo*, inquit, *Pater*, *hac dere mecum loquaris; etenim moleſte audiam*. Tum ad Franciſcum Zazzaram

Digitized by Google

ram ſe ſe convertens, rogavit eum inſtantiſſime, ut omnes Congregatio-
nis Presbyteros ſingillatim obteſtaretur, ne de cognatis & affinibus ſuis
illi unquam in poſterum verba facerent, ſi ipſius animi ſalutem exopta-
rent, ſique incolumem ac ſanum vellent; ſatis enim intelligere ſe,
quemadmodum cum illis agendum. Matrem ſuam inter alia hoc illi mo-
nitum reliquiſſe, ut, ſi Sacerdos fieret, caveret diligenter, ne ſibi a pro-
pinquis oculi, ut dicere mos eſt, eruerentur. Itaque & dolere ſe, &
magnopere vereri, ne rationem Domino eſſet redditurus, quod in Octa-
vianum patruelem ſuum Abbatiam quadringentorum aureorum annuo red-
ditu locupletem tranſtuliſſet, quamquam id egerat, nonniſi multa illius,
ac ſuorum inopia, & Presbyterorum precibus pene coactus, addita opti-
ma ſpe, quam tunc de ſe juvenis egregia doctrina, & honeſtis moribus
inſtructus concitarat. Ad haec, quam eſſet illius animus a propinquorum
commodis procurandis alienus, illud etiam argumento eſſe poſſet, quod
amicorum conſilio & perſuaſione quum in Tuſculano fundum emiſſet,
ut in eo domum affinibus ad habitandum extrueret, ut ea ratione obor-
tas inimicitiarum cauſas, in quibus Sorae verſabantur, averteret, admo-
nitus a ſapienti viro, ſuſceptum conſilium terreſtre quippiam ſapere, neque
illud a divino ſpiritu excitatum, ſed a carnis ac ſanguinis affectione pro-
fectum, continuo abſque ulla vel minima repugnantia ad hominem conver-
ſus: *Cogita*, inquit, *quem in uſum divinae gloriae accommodatum praedium
hoc converti poſſit; equidem in terris aedificia, & habitationes nolo*: atque
ita poſſeſſionem illam in varia ſacra loca ſtatim diſtribuit, cujus praeci-
puam partem pro conſtruendo ſacrarum virginum monaſterio ejus civita-
tis Archipresbytero aſſignavit. Porro quemadmodum a locupletandis con-
ſanguineis longe abhorrebat, ſic iiſdem, ne ad honorum gradus aſpirare
poſſent, omnem ſpem atque aditum praecludere ſemper in animo habuit;
quos propterea ante conſpectum ſuum raro apparere patiebatur, & acce-
dentes, non blando & placido vultu, ut fieri ſolet, ſed potius ſeveriore
excipiebat. Et aliquando uni eorum, egregiae quod ad rem militarem
pertinet aeſtimationis viro ſe inviſenti, & cum aliis nobilibus viris currum
conſcendenti: *Tu vero*, inquit, (noviſſimum locum manu deſignans) *ibi
ſede. Equidem nolo, ut me affines in interitum trahant*. Quibus verbis ut
illi modeſtiam humilitatemque perſuadere voluit, ita ſe ab propinquo-
rum ſuorum augendae dignitatis conſilio ſatis alienum declaravit: qui ſi
eo nomine gloriari poterant, quod affinitate ſibi conjunctum haberent Cae-
ſarem Cardinalem, inde tamen nihil ſuperbe ſapere, ſed de ſe ipſis de-
miſſe ſentire monebantur, quod viderent in eadem priſtina ſe eſſe opum
& honorum conditione conſtitutos, perinde quaſi Caeſarem Cardinalem
non haberent: quos ille ut ad humilitatem retinendam hortabatur, ſic
& humiles habebat ipſe, & ab aliis, ut pluris aeſtimarentur, minime re-
quirebat. Quin eodem tempore quum audiret a nonnullis amitam ſuam
Martiam viduam *dominae*, ac *illuſtris* titulo appellari: *Quid*, inquit, *illu-
ſtrem ac dominam dicitis? Martiam ſimpliciter vocitate*. Quumque eidem ami-
tae multas a femina quadam nobili injurias illatas fuiſſe intellexiſſet, nul-
lum commoti ea de re animi ſignum praebuit Caeſar; ſuoque exemplo
propinquos docuit, non altum ſapere, ſed in omnibus de ſe modeſte de-
miſſeque ſentire.

CA-

CAPUT XIV.

Ejus in ſacro Eccleſiarum cultu profuſa liberalitas.

MAxima autem extitit in ſacrarum aedium cultu Caeſaris pietas, & liberalitas; qui ſimul ac in ampliſſimum Cardinalium Collegium eſt cooptatus, nihil antiquius habuit, quam ut Eccleſiaſticas facultates in Eccleſiarum reſtaurationem, ornamentumque conferret. Itaque, quum novis renunciatis Cardinalibus, Eccleſiarum, ut nunc vocant, *tituli* eſſent aſſignandi, optaretque Pontifex, ut eorum aliquis locupletior *titularem* Eccleſiam SS. Nerei & Achillei ſibi ſumeret, offerente ſe nemine (erat enim Templum vetuſtate dirutum, ac pene deletum), unus Caeſar a Pontifice, ut ſibi illud concederet, petiit. Quae petitio, ſpectata Caeſaris hinc paupertate, inde ad ſacros faciendos ſumptus prompta magnanimitate, & a Pontifice libenter, & a multis Cardinalibus honorifice comprobata eſt. Caeſar autem, ſuſcepto ejus Eccleſiae titulo, qui per longam annorum ſeriem, etſi nemini datus, attamen nunquam extinctus, peculiari Dei providentia ſibi viſus fuerat reſervatus, miram quamdam cepit animo alacritatem; ſperans fore, ut quamprimum deſiderio ſuo ſatisfaceret, quod paucis ante diebus, quam Cardinalis renunciaretur, de illius inſtauratione conceperat, & quaſi animo praeſagierat: etenim, quum aliquando ad ſeptem urbis Eccleſias religionis cauſa progrederetur, atque prope dictum Templum nonnullis comitatus tranſiret, conſpiceretque, vix aliqua illius antiquiſſima extare veſtigia: *Ecce*, inquit, *quo tandem SS. Martyrum Nerei, & Achillei Templum nobiliſſimum redactum eſt! Erat olim Cardinalium titulus, Faſciolae appellatus. Quid haeretici Romam quotidie venientes obloquentur? Tu ſcis, Domine, ſi poſſem, quid eſſem facturus*. Itaque ſtatim ac Caeſar illius ſuſcepit adminiſtrationem, licet nullis adhuc a Pontifice facultatibus donatus, ingentem pecuniae ſummam, mutuam acceptam, in ejus inſtaurationem totam conſumpſit, tanta urgens opus ſolicitudine & celeritate, ut unius anni ſpatio ad exitum perfectionemque reduxerit. Erat Templum, ut diximus, pene dirutum, ac ſolo aequatum, cujus pauca quaedam relicta parietum veſtigia illius aliquam formam vix referebant: extabat in eo prope altare primarium ſupra chorum fornix opere muſivo elaboratus; caetera vero adeo proſtrata, disjecta, atque in rudera pene redacta, ut vix ulla Templi facies appareret. Mox vero Caeſaris ſumptibus, ſeptem circiter millia aureorum attingentibus, illius baſes undique ſolidatae, erecti ad ſummum uſque parietes, faſtigium, ac tectum impoſitum, & Templum omne non ſolum in antiquam formam reſtitutum, ſed ſacrorum quoque ornamentorum varietate, Sanctorumque depictis imaginibus honorifice exornatum eſt: in quod etiam ipſa corpora SS. Martyrum Nerei, & Achillei, & Flaviae Domitillae, quae olim ob Templi ruinam in Eccleſiam S. Hadriani ſub Gregorio IX. translata fuerant, ejuſdem Caeſaris opera, & Clementis Pontificis auctoritate, ſolemni pompa atque apparatu ſunt reportata v. idus Maji anno MDXCVII. qui dies ſacer eiſdem SS. Martyribus ſingulis annis in eadem Eccleſia ſolemni ritu celebrari rurſus coeptus eſt; eoque tempore & Miſſæ ſacrificium, ac Veſperas idem Caeſar ſaepe decantavit, & aliquan-

do

do homiliam Latino ſermone ad populum habuit. Ad haec anniverſarias eidem Templo peccatorum indulgentias a Pontifice impetravit; ut, dum confluentis populi pietas augeretur, ipſis quoque SS. Martyribus major fieret honoris acceſſio. Harum autem rerum haec iu eodem Templo extat memoria:

SS. NEREI ET ACHILLEI FRATRVM
FORTISSIMOR. CHRISTI MARTYRVM
QVI A S. PETRO BAPTIZATI SVNT
TITVLVM HVNC AB ANTIQVISS. TEMPORIBVS
IN EORVM HONOREM ERECTVM, VBI ET
S. GREGORIVS MAGNVS PP. CONCIONEM HABVIT
A S. LEONE PP. III. INSTAVRATVM
ET AB ALIIS ROMANIS PONTIFICIBVS ORNATVM
QVVM VETVSTATE PENITVS COLLAPSVS ESSET
CAESAR BARONIVS SORANVS
EJVSDEM TIT. PRESB. CARD. ET BIBLIOTHEC. AP.
IN HANC FORMAM RESTITVIT
SACRAQVE ILLORVM CORPORA, VNA CVM CORPORE
S. FLAVIAE DOMITILLAE VIRG. ET MART.
CVJVS AMBO EVNVCHI LONGVM CVM EA
PRO CHRISTO EXILIVM IN INSVLA PONTIA
DVXERVNT
EX DIACONIA S. HADRIANI ACCEPTA
IN HVNC EVNDEM TITVLVM VBI OLIM CONDITA FVERANT,
RITV PROCESSIONIS SOLEMNI REDVXIT
ALIASQVE COMPLVRES SS. RELIQVIAS ADDIDIT
CVNCTA BENIGNE DECRETIS SVIS CONCEDENTE
CLEMENTE VIII. PONT. MAX.
QVI HVIC ETIAM ECCLESIAE JVS PERPETVVM
STATIONIS CVM SACRIS INDVLGENTIIS ATTRIBVIT
AN.SAL.MDXCVI.IIII.ID.MAJI PONTIF.VI.

PRESBYTER CARD. SVCCESSOR QVISQVIS FVERIS
ROGO TE PER GLORIAM DEI
ET PER MERITA HORVM MARTYRVM
NIHIL DEMITO, NIHIL MINVITO, NEC MVTATO
RESTITVTAM ANTIQVITATEM PIE SERVATO
SIC TE DEVS MARTYRVM SVORVM PRECIBVS
SEMPER ADJVVET.

Non multo poſt quum ab eodem Clemente oblatam ſibi S. Gregorii Magni Abbatiam ad clivum Scauri accepiſſet, liberalitatem ſuam ad inſtauranda,

Digitized by Google

da, augendaque illius loca, vetuſtate quidem fere conſumpta, ſed tamen religionis & pietatis plena, convertit. Nam ſubito, antequam ex illius redditibus quidquam acciperet, duo fere millia aureorum, ſcilicet biennii redditus, inſumpſit; quibus addidit etiam tria millia: cujus univerſae pecuniae vi ſacras illius aedes egregie renovavit, atque auxit: in quarum una ejuſdem S. Gregorii ſtatuam marmore exculptam erexit ante tabulam marmoream, in qua S. Pontifex pauperibus menſam praebere ſolitus fuiſſe legitur: ut ſequens ibidem appoſita indicat inſcriptio:

S. GREGORIO MAGNO
PAPAE
ET ECCLESIAE DOCTORI
PATRONO SVO
CAESAR BARONIVS
TIT. SS. MM. NEREI ET ACHILLEI
S. R. E. PRESBYTER CARDINALIS
LOCORVM ANTIQVITATE RESTITVTA
SACRAM STATVAM POSVIT
ET POPVLO FIDELI
VENERANDAM PROPOSVIT
CLEMENTE VIII. PONT. MAX.
ANNO MDCII.

In cujus rei memoriam, atque imitationem, ipſe quoque Caeſar ſingulis annis die eidem S. Gregorio ſacra tot pauperibus menſam apponi volebat, quot eadem tabula capere poſſet, ac caeteris eleemoſynam petentibus integrum panem cum certa leguminum portione diſtribui. In altera vero aede S. Sylviae, ejuſdem S. Gregorii matris, marmoreum ſimulacrum conficiendum erigendumque curavit, ſtudioſus videlicet cuſtos, & reparator piae antiquitatis, cum hac inſcriptione:

S. SILVIAE
S. GREGORII MAGNI PP.
MATRI
CAESAR BARONIVS S. R. E. PRESB. CARD. P.

Ubi obiter notandum, quod in eodem S. Sylviae Sacello Caeſar noſter amitae ſepulcrum erexit, hoc adpoſito monumento:

MAR-

MARTIAE BARONIAE
VIDVAE RELIGIOSISSIMAE
AMITAE SVAE
CAESAR BARONIVS
PRESB. CARD. POSVIT
VIXIT ANN. LXXXIII.
OBIIT KAL. DECEMB.
ANNO DOM. MDCV.

Martia quae dicor, tres hortos ſubegi:
Non obii; ut peterem praemia terna, abii.

FAMILIAE BARONIAE.

Ad haec proximam ſacram aedem altaribus, columnis, imaginibus egregie exornavit, & coemeterium ab ea longe non diſtans amplificavit, apteque diſpoſuit. Sed & Sorae, quae illius Patria erat, Minorum Capuccinorum ordini monaſterium a fundamentis erexit; quibus praeter multam ſacrarum imaginum, & librorum copiam, Crucem pretioſiſſimam, & paſſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti myſteriis elegantiſſime ornatam, quam ei Rodulphus Imperator dono miſerat, elargitus eſt. Denique, ut Caeſaris miſericordiam, liberalitatemque paucis concludam, hoc ipſius erat firmum animi propoſitum, hoc ſummum ſolatium, ut quas haberet pecunias & facultates (vix ſibi neceſſariis exceptis) in pauperum ſolatium, & Eccleſiarum cultum, alioſve pios uſus libentiſſime effunderet; idque liberalitate tanta, ut, ſubductis calculis, pecuniarum ſummam, quas Cardinalis minime locuples pauperibus, ſacriſque locis erogavit, ad ſexaginta millia aureorum perveniſſe compertum ſit. Quo factum eſt, ut non aliam ſuis affinibus haereditatem reliquerit, niſi ipſam paupertatem; uſque adeo, ut vel pronepti virgini Deo conſecrandae vix congrua pecuniae ſumma ſuperfuerit.

CAPUT XV.

Ejus erga Servos Dei obſervantiae ſtudium, & religionis cultus in Sanctos.

CUM nihil magis ad amicitias conjungendas vim habet, quam ſtudiorum, voluntatum, morumque ſimilitudo, tum nihil facilius ad uniuſcujuſque ingenium, ac vitae rationem dignoſcendam, quam ex ſtatutis eorum moribus, quibuſcum ille conjunctiſſime vivit. Quamobrem, quamvis Caeſar noſter ſua ſponte multis atque praeclaris rebus geſtis ſatis ſi-

gni dederit probitatis cujuſdam eximiae, ſingulariſque pietatis; attamen ex amicis, quibus ille deditus erat, manifeſte apparebat, qualis quamque egregie ineſſet homini indoles ad omnium ornamenta virtutum adamuſſim effecta. Longum eſſet ſingillatim omnes optimos, atque opinione ſanctitatis florentes viros recenſere, quos ille complexus amicitia fuerat, & quorum familiaribus colloquiis, conſuetudineque, tanta afficiebatur voluptate, ut nihil ſupra. Satis ſit uno verbo ponere, tot eos fuiſſe, quot illius aetas extulit. Horum autem preces atque conſilia, in iis praeſertim, quae ad animum ſpectant, & flagitabat humiliter, & facillime exequebatur. Hinc confluentes omnes ad ſe religioſos, etiam pauperes peregrinos, & eremitas non ſolum excipiebat honorifice, ſed & quibus poterat officiis libentiſſime adjuvabat; dumque vel eorum vitae ſtatum commendaret, vel ſanctitatem ſuſpiceret, iis ſe ſimilem praebere ipſa virtutum imitatione vehementer optabat. Denique ſanctis viris tantum honoris & reverentiae tribuere conſuevit, ut licet talis ac tantus eſſet, cui propter aetatem, purpuram, doctrinam, pietatemque honor non exiguus deberetur; ipſe tamen non contentus ea quam gerebat in animo reverentia, ſaepe etiam genibus in terram flexis vel ab eis benedictionem flagitaret, vel pedes multa corporis ſubmiſſione deoſcularetur, praeſentiſſimum in eis divinae majeſtatis Numen agnoſcens. Ex quo facile quivis intelligat, quanto religionis cultu & veneratione Sanctos in coelis poſitos, eorumque ſacra lypſana, & nomina proſequeretur. Et quidem de illius erga B. Virginem Dei Genitricem Mariam pietate atque obſervantia vere ſingulari non pauca ſuperius diximus, & ipſius Annales ſatis ſuperque teſtantur; ut non immerito ſe illius obſequiis totum deditum & conſecratum in ſchedulis, libris, imaginibus, & tabulis hac veluti ſtigmatica nota ſexcenties deſignaret

C M
M C

cujus litterae, ut idem poſtea multum ab aliquibus amicis rogatus expoſuit, hunc ſenſum reddunt: CAESAR SERVUS MARIAE. Quamquam autem erga coelites omnes eximia illius pietas eluceebat, Sanctos tamen Apoſtolos Petrum, & Paulum, Gregorium Magnum, aliumque Thaumaturgum, Nereum, & Achilleum, Theclam, Flaviam Domitillam, & veluti praecipuos habebat patronos, & ſingulari honore proſequebatur; ad quorum etiam corpora preces effundere, atque humiliter oſcula terrae defigere viſus eſt. Erga beatos viros, ſed in album Sanctorum Apoſtolica auctoritate nondum relatos, etiam pietatis ſtudio afficiebatur, eoſque gloria & honore in militanti Eccleſia coronari, Deumque in ipſis admirabilem praedicari, & vehementer optabat, & quoad poterat, ſatagebat. Certe S. Caroli Cardinalis Borromaei Archiepiſcopi Mediolanenſis, viri ſanctitate & miraculis praeclariſſimi, quem alterum Ambroſium nuncupare ſolebat, publicam, ut ajunt, *canonizationem*, quam Pauli V. auctoritate ſummo cum totius Eccleſiae gaudio & exultatione celebratam ſcimus, olim Caeſar a Leone XI. ut perficeretur, inſtantiſſime flagitavit; a quo & reſponſum accepit, ſe id quidem plurimum optare, &, ſi vita ſuperſtes foret, re ipſa perfecturum. Ejuſdem S. Caroli etiam vitae hiſtoriam, ut Petrus Juſſanus, nobilis civis Mediolanenſis, idemque doctrina & pietate inſignis, copioſe luculenterque conſcriberet, ut re ipſa factum eſt, ipſe inter caeteros & diligens hortator, & auctor fuit. B. Ignatium Lojolam Socie-

tatis

tatis Jeſu Inſtitutorem, virum vere ſanctum, & ſingularibus Dei donis admirabilem, non modo coluit ipſe, ſed qua valebat in ſacris ritibus auctoritate, depictam ejus imaginem publicae venerationi in Eccleſia Jeſu colendam ſuis manibus propoſuit, temporis difficultati, quam infra referemus, nequaquam cedens. Sanctum quoque Aloyſium Gonzagam, ejuſdem Societatis alumnum, aetate quidem juvenem, ſed morum gravitate ſenem, & magna vitae ſanctitate ac miraculorum gloria conſpicuum, adeo egregie reveritus eſt, ut ad ejus ſepulcrum ſingulis ſaltem menſibus ventitare, ejuſque ſacra lypſana multa cum animi pietate, externaque corporis demiſſione venerari, eumdem beatum ac ſanctum praedicare, ejuſque vitae hiſtoriam ſuper menſam audire non jucunde minus, quam pie conſueverit. Beatum PHILIPPUM Nerium noſtrae Congregationis Oratorii Fundatorem, tanquam virum ſanctitate & miraculis glorioſum, ſuumque optimum in Chriſto parentem ac praeceptorem praecipuo ſemper honore, benevolentia, atque obſervantia coluit; meritoque teſtatum reliquit, quidquid in ſpiritu ac litteris profeciſſet, id totum illius precibus, & meritis acceptum eſſe referendum. Itaque ſicut eum viventem in terris tanto honore proſequebatur, ut ſaepiſſime quamquam ſenex ſubmiſſis humi genibus illius pedes exoſcularetur; ita deinde in coelos evectum, & miraculorum fulgore latius coruſcantem, majoribus colendum pietatis & religionis obſequiis exiſtimavit. Quapropter quum ad illius ſepulcrum accederet (accedebat autem ſaepiſſime), priſtinae illius paternae caritatis memor, ſeque degenerem filium agnoſcens, tanquam ſi eum viventem cerneret, procumbens in genua, aut etiam toto provolutus corpore, multo cum gemitu & lacrymis auxilium expoſcebat in ea prodigi filii, ſed poenitentis verba prorumpens: *Pater, peccavi in coelum, & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus*. Unde & accidit aliquando, ut ejuſdem S. PHILIPPI amplexibus, ut paullo poſt dicemus, divinitus dignatus ſit. In anniverſario autem illius obitus die, poſt Veſperas ſolemniter decantatas, de laudibus ejus vitae, deque morum ſanctitate publicum in Eccleſia ſermonem coram multis Cardinalibus habere ſolebat. Quod quum faceret, contineri omnino non poterat, quin identidem dulcis illa amiſſi Patris recordatio, & in eum ſui grati animi affectus, lacrymas ex ejus oculis eliceret teſtes cum doloris, tum etiam eximiae dilectionis. Sed & in privatis ſaepe amicorum congreſſibus, praeſertim vero domeſticorum, S. PHILIPPI memoriam pie jucundeque recolebat; neque praetermittendum putabat, quin etiam publicis litterarum monumentis tanti viri ſanctimoniam non viventibus modo, ſed etiam poſteris notam faceret, oſtenderetque, & merito ab omnibus ut beatum praedicari, & honoribus illius ſanctitati debitis jure optimo eſſe decorandum. Id autem oblata ſibi occaſione, quam mox ſubjiciam, apertiſſime declaravit. Etenim quum ingens apud nonnullos oborta eſſet quaeſtio de cultu ac veneratione beatorum, inprimiſque Caroli Borromaei, Ignatii Loyolae, ac PHILIPPI Nerii, aliorumque, qui ea praeſertim aetate cum inſigni ſanctitatis opinione deceſſerant, num videlicet, antequam in publicum Sanctorum catalogum Pontificis auctoritate referrentur, accenſis ad eorum ſepulcris luminibus, ſuſpenſis votivis tabellis, aliiſque hujuſcemodi ſacris honoribus eſſent afficiendi; rem ad Pontificem detu-

detulerunt, qui in re graviſſima nihil inconſulte ſibi decernendum ratus, habito non parvo Cardinalium, ac religioſorum virorum conventu, rem totam illis diſcutiendam tradidit. Qua ſuper quaeſtione quum variae tam ſcriptis, quam verbis prodüſſent hinc inde ſententiae, die quadam unus inter caeteros praeclarae doctrinae ac magni nominis concionator prolixam ſatis orationem habuit, qua pium hujuſmodi cultum non ſolum impugnare, ſed ab Eccleſia quodammodo eliminare videbatur. Quae quum audiſſet Caeſar, qui praeſens aderat, perſpecto hominis in dicendo nimio vel fervore, vel potius licentia, ſua ipſe fretus ſpiritus libertate, abſoluta oratione, hiſce Prophetae verbis eum compellare coepit: *Pater mi, ſi dixero, narrabo ſic: ecce notionem filiorum tuorum reprobavi*. Quibus verbis indicavit, illum perperam fuiſſe loquutum, qui ea diceret, quibus & ejus religio, & natio filiorum Dei, videlicet univerſa fidelium congregatio reprehenderetur, quam beatis viris nondum *canonizatione* decoratis ſimilem ſemper cultum ac venerationem exhibere ſolitam fuiſſe, manifeſte patet: atque alia deinde ſubjecit, quibus & adverſarii dicta prorſus evertit, & ſuam ipſe ſententiam validiſſime confirmavit. Quum vero major in dies ſuper ea controverſia rumor in urbe percrebreſceret, Caeſar quod videret, rem adeo certam & uſitatam, Deo, Sanctiſque honorificam, & populis ſaluberrimam, tam vehementer in dubium revocari, non leviter quidem angebatur animo; verum quia rem totam magis a Deo expectandam, quam in ſua, vel aliorum induſtria collocandam eſſe cenſebat, ſtatuit nullum omnino ea de re Pontifici ſermonem facere, ſed totam divini Numinis providentiae velle committere. Quinimo admonitus a quadam eximiae ſanctitatis moniali, ut nonnulla ſuper ea re ſuo nomine Pontifici deferret, tandiu hoc facere diſtulit, donec die quadam illius verba ſecum animo reputans, in eam deliberationem venit, ut, ſi quidem de illius ſententia a Pontifice requireretur, eam illi palam aperteque diceret; ſin minus, reticeret. Quum autem divino inſpirante Numine eadem ipſa die a Pontifice vocatus rogatuſque eſſet, quidnam illa in ejuſmodi controverſia ſentiret, reſpondit: *Illa quidem, Beatiſſime Pater, in hoc re nullo modo progrediendum eſſe cenſet; ſin aliter, ingens Sanctitati Tuae periculum imminere praeſentit*. Conqueſtus autem Pontifex, quod eouſque rem hanc tacitus ipſe occultaſſet, reſpondit, ſe nonniſi interrogatum eam illi revelare ſtatuiſſe. Porro tantum haec Caeſaris denunciatio apud Pontificem valuit, ut confeſtim toti negotio ſilentium indictum fuerit, omniſque rumor ex eo die prorſus evanuerit; tantumque abſuit, ut cultus beatis illis viris debitus imminueretur, ut potius majus in dies incrementum, Deo rem ſuam juvante, ſuſceperit: ſiquidem jam unum ex illis Carolum Borromaeum in Sanctorum numerum adſcriptum tota veneraretur Eccleſia; reliqui autem in album Sanctorum brevi ab ipſa Apoſtolica Sede relati ſunt. Ut autem ad S. PHILIPPUM redeamus, quem Caeſar praecipuo amore atque honore proſequebatur, non eſt hoc loco praetereundum, mutuam illum ſuam in eumdem Caeſarem benevolentiam, etiam poſt obitum, ſingularibus indiciis declaraſſe. Etenim anno MDXCVIII. Caeſari una cum Clemente VIII. Ferrariae commoranti idem S. PHILIPPUS divino ſplendore collucens per viſum apparuit, eique obitum Auguſtini Cardinalis Cu-

ſani,

ſani, qui Mediolani aegrotabat, hiſce verbis ſignificavit: *Extingue illam lampadem*. Quorum verborum ſenſum ſibi non ſtatim cognitum, ideoque precibus a Deo requiſitum, paucis interjectis diebus idem Sanctus denuo apparens aperte declaravit, affirmans, Cuſanum e vita migraſſe: cujus obitum Caeſar eadem hora contigiſſe, qua ſibi fuerat a B. PHILIPPO ſignificatus, ex aliorum poſtea litteris clarius intellexit. Sed illud ejuſdem Sancti in Caeſarem amorem vere paternum manifeſtius indicat, quod anno MDC. quum aliquando poſt prandium ſolus in cubiculo quietis cauſa maneret, vixque horologium arenarium, quo certum quietis ſpatium metiretur, invertiſſet, ac ſuper aream ligneam collocaſſet ſe ſe, ecce illi adhuc vigilanti B. Pater apparuit, ejuſque caput, ut ſaepe etiam vivens in terris ſolebat, ſtricte amplexatus, eique jucundiſſime blanditus eſt; ſed quum illum Caeſar manibus complecti ac tenere vellet, illico ex illius oculis ſublatus, ſuo quidem aſpectu deſtitutum, ſed coeleſtibus deliciis plenum reliquit. Et quoniam in hujuſmodi viſionum mentionem incidimus, non videtur praetereundum, quod ipſemet Caeſar olim teſtatus eſt, Sylvium Cardinalem Antonianum, cujus vitam Chriſtianis moribus & pietate conſpicuam Joſephus Caſtalio breviter eleganterque conſcripſit, eadem nocte, qua exceſſit e vita, viſum ſibi fuiſſe in ſomnis candida indutum veſte ſacerdotali, quaſi Miſſae ſacrificium cum Diacono & Subdiacono celebraturum, pulcherrimoque aſpectu refulgentem; mox vero ſe experrectum, & de amici obitu cogitantem, miſiſſe, qui rem diligenter cognoſceret, atque deprehendiſſe, ea ipſa hora Sylvium e vita migraſſe, qua ſe illi per viſum oſtenderat.

CAPUT XVI.

Ejus in catholica Fide, & Eccleſiaſtica poteſtate tuenda zelus & ardor.

TAnto Sanctorum cultui par extitit in Caeſare zelus & ardor catholicae tuendae veritatis; cujus deſiderio uſque adeo tenebatur, ut eam non modo viribus, & ſcriptis quamſaepiſſime teſtatam faceret, verum etiam ſuomet optaret ſanguine manifeſtiſſime comprobare. Quapropter etſi Romae tanquam in pacis domicilio procul ab infidelium incurſibus verſabatur, ſtrenui tamen inſtar ducis, ſimul ac ab aquilone, vel ex Anglia, vel ab aliis orbis partibus buccinae ſentiebat reſonare clangorem, illico totus fervens, ac fremens ſpiritu, *Vah*, proclamans, & exurgens ad praelia Domini, non ſolum veriloquo vocis ſonitu terrorem Fidei hoſtibus incutiebat, ſed de certo victoriae triumpho audacter exultans ſemetipſum pro ejuſdem Fidei defenſione in apertum capitis diſcrimen offerre vehementer optabat. Quod paratiſſimum animi propoſitum illis inter caetera verbis ſatis expreſſit, quum zelo Fidei plenus in peroratione tomi noni Annalium: *Dixi, Domine*, inquit, *& dicam ſemper: ecce venio teſtaturus tua gratia ſi liceret multo melius ſanguine, quam ſcriptis, catholicam veritatem; ſiquidem voce ſanguinis nulla potentior, quae jugiter de terra clamans auditur*

Digitized by Google

ditur in coelo. Atque huc etiam ſpectat, quod, quum recentiores haeretici catholicos homines *Papiſtas* appellent, ſicut eos olim Ariani *Romanos* vocitare conſueverant, ipſe ſublimi gloriae titulo haec ſibi ducens: *Sint*, inquit, *nobis viventibus haec ſemper praeconia laudum*, *& poſt mortem tituli ſepulcrales*, *ut Romani ſic ſemper dicamur*, *atque Papiſtae*. Atque ea catholicae Fidei profitendae conſtantia nihilo inferius fuit ejus animi ſtudium, ac robur in ejuſdem ſanctae Romanae Eccleſiae catholicae auctoritate, dignitateque tuenda, defendendaque ſuprema illius, ac Romani Pontificis in rebus tum ſpiritualibus, tum temporalibus poteſtate: quam ſi quis leviter tangere, ac laedere tentaſſet, eo cruciabatur animi dolore, ut contineri nullo modo poſſet, quin ad eam injuriam repellendam, quam ipſi Chriſto mundi Domino ſciebat illatam, quanta poſſet animi contentione, ſcriptis, ac voce conſurgeret. Hinc illa indefeſſis viribus vibrata acuta fulmina verborum, quibus haereticorum capita validiſſimis ictibus percutiebat, eorum peſtilentiſſima commenta infinitis dilacerans invectivis, ac ſempiternis inſequens maledictis; quorum tamen animos a ſuprema tremendi Judicis exprobratione, aeternoque ignis inextinguibilis incendio eruere non ſine maximo cordis gemitu, & lacrymis ſitiebat, perfecto ſcilicet odio habens illos, & ſuper eorum iniquitatem contabeſcens, quorum aeternam ſalutem flagrantiſſimis deſideriis anhelabat. Neque diſſimili cordis affectu adverſus quoſcumque Eccleſiaſtica jura infringentes, auſuque temerario ea ſibi uſurpantes invehebatur, in ea terroris & comminationis verba prorumpens: *Timeo*, *timeo*, *inquam*, *iſtis*, *ne quando*, *ſi iſta facere perſeverant*, *quod abſit*, *Deus vindex tandem exurgens virga furoris ferrea ſecundum illud Davidicum*, *tanquam vas figuli confringat eos*. *Unde & ob imminens quod adſtat periculum aeque cum eodem ipſo ex alto corde vociferor*: *Nunc Reges intelligite*, *& erudimini qui judicatis terram*: *& exemplo diſcite*, *Caroli Magni ſcilicet Imperatoris*, *ex obedientia & obſervantia erga Apoſtolicam Sedem regna*, *& imperia propagare*, *atque firmiter ſtabilire*. Similiter dolens vehementer, quod in electione Romanorum Pontificum immiſcere ſe aliquando ſeculares Principes auſi eſſent, hac Cardinales oratione compellans. „ Ob id, inquit in undecimo Annalium tomo, declamavi ſaepius, & exclamare non deſinam, & commonere praeſentes, ac „ poſt futuros fratres meos S. R. E. Cardinales, ut pro viribus ad ſanguinem uſque certare laborent, quo omnem principibus aditum ad „ electionem Romanorum Pontificum obſtruant, quum nihil hoc funeſtius „ pati Romana Eccleſia conſueverit, & pluribus ſummo ipſius damno contigerit demonſtrare, quum eos, non principes adjutores, ſed tyrannos „ perſequutores in electione Pontificum eſt experta. Quid potuit Romanae Eccleſiae durius ac luctuoſius contigiſſe, quam ut qui tyrannide „ lupi ſunt, de Paſtore creando decernant, & curent? Quorum illud unum „ ſtudium ſit, ut praeficiatur ovibus Paſtor ignavus, quo ipſis liberum „ ſit, quum velint, in oves irrumpere. Nunquam audiatur amplius tyrannis iſta in Eccleſia Dei, ut Pontificem cogatur accipere a principibus „ Atque, ut alia quamplurima omittamus praeclariſſima illius ardoris animi in Eccleſiaſtica poteſtate defendenda, amplificandaque teſtimonia, illud dignum laude viſum eſt, quod non multo ante Clementis Ponti-

Pontificis obitum geſſit adverſus *Siculam Monarchiam*, quam ſuper depravatum Urbani Papae II. diploma magno Apoſtolicae Sedis detrimento fuiſſe fundatam, toto integro tractatu oſtendit. Qua quidem in re graviſſima, & quae multorum in ſe principum odia concitare poterat, tanta ſuo more uſus eſt Apoſtolica libertate dicendi, ut plane oſtenderit, tum nihil ſibi fuiſſe antiquius veritate, quam ut integer hiſtoriae ſcriptor exulantem poſtliminio cuperet reſtituere, & obſcuratam tenebris in lucem apertiſſimam vindicare; tum vero ita Romanae Sedis Apoſtolicae jura a Catholicis omnibus, praecipue vero a Cardinalibus eſſe tuenda, ut eos ab hoc munere, quo tenentur, neque ulla principum ſeducere debeat ſpes gratiae, neque ullus mortalium timor retardare. Et quidem Caeſar, neque teneri ſe amicorum blanditiis, neque vultum potentium formidare, ſed contra adverſarios quoſcumque pro ejus Sedis poteſtate defendenda ſtare firmiſſimum, non leviter etiam oſtendit in quadam ſacra Collegii Cardinalium Congregatione, quae anno MDCV. VII. idus Martii poſt Clementis obitum, ante novi Pontificis electionem, habita eſt in Palatio Ptolomaei Gallii Cardinalis Novocomenſis, ubi quid actum fuerit, veluti jam vulgo notum, breviter enarrabo. In ea igitur Congregatione quum duae epiſtolae eſſent in medium prolatae Proregis Siciliae nomine, altera quidem Clementi VIII. altera vero Cardinalium Collegio directa, quibus Baronii adverſus *Siculam Monarchiam* inſtitutus tractatus magnopere reprehendebatur, in eoque haud levem jactabatur temeritatis notam Baronium incurriſſe, ideoque ſe ab illis vehementer expoſcere, ut idem tractatus, tanquam emendatione dignus, prohiberetur; lectis hujuſcemodi litteris Cynthius Cardinalis Aldobrandinus, vir in rerum experientia apprime verſatus, deliteſcentem veritus fraudem, ad Cardinales converſus: *Mihi vero*, inquit, *Patres, non videtur rationi conſentaneum opinari, haſce litteras in vivis agente Pontifice fuiſſe conſcriptas, tum quod eae citius fuiſſent allatae, tum quod nulla adpareret ratio, cur alia ad Cardinalium Collegium eadem de re epiſtola data fuerit*. Perculit haec ſuſpicio caeterorum animos: quumque ad rei notitiam inveſtigandam eſſet accerſitus is, qui eas attuliſſe dicebatur; interrogatuſque, reſpondiſſet, nequaquam ſe iſtiuſmodi litteras apportaſſe: perſpecto dolo, graviores coeperunt in Cardinalium animis ſuſpiciones excitari, variique de *Sicula Monarchia* in medium proferri ſermones atque ſententiae: affirmantibus nonnullis, oportuiſſe Baronium debitum honorem ac reverentiam ipſi Regi, a quo multa etiam beneficia acceperat, exhibere; aliis contra inſtantibus, Sedis Apoſtolicae, & ejuſdem Baronii unius ipſorum fratris habendam eſſe rationem, eamque caeteris omnibus merito anteferendam. Interea dum variae in hac re a Cardinalibus dicuntur ex ordine ſententiae, Hieronymus Cardinalis Pamphilius veritus, ne Baronius in reſponſione ferenda nimis fortaſſe animo commoveretur, eum amice admonuit, ut, quid ipſe ſentiret, breviter, placideque loqui vellet. Verum, ubi ad Baronium ventum eſt, tantum illi Deus in loquendo ſpiritum gravitatemque ſubminiſtravit, & verborum, & ſententiarum, ut univerſum Cardinalium Collegium non modo ingenti admiratione compleverit, verum etiam magno fere omnium plauſu, illius rationum fuerint ſuſcepta momenta. Et ille quidem orationem ſuam altius exordiens, in illa Prophetae verba prorupit: *Deus, laudem*

Digitized by Google

meam ne tacueris, quia os peccatoris, & os doloſi ſuper me apertum eſt. Tum illud Apoſtoli dictum uſurpavit: *Expedit mihi magis mori, quam ut aliquis evacuet gloriam meam*. Quibus & alia hiſce ſimilia ſacrae Scripturae loca ſuo more ſubtexuit, atque illa praecipue: *Quoniam dies mali ſunt*: in quibus ſemel, iterum, ac tertio pronunciandis tanta uſus eſt ſpiritus vehementia, & vocis ſono, ut terrorem audientium animis incuteret. Mox vero ſui de *Sicula Monarchia* tractatus defenſionem auſpicatus, primum quidem oſtendere coepit, ſcriptionem illam non ab aliis quibuſdam compoſitam, ſibique traditam, ut nonnulli obtrectatores dictitabant, ſed omnino ſuae eſſe induſtriae & laboris opus, ex vetuſtis codicibus qui in bibliotheca Vaticana, atque in archivo arcis S. Angeli diligentiſſime aſſervantur, expromptum: qui ſane codices neque ad illorum manus unquam pervenerant, neque ab aliquo videri poterant, niſi ab ipſo Baronio, utpote Annalium ſcriptore, aut cui fortaſſe a ſuperioribus eos videndi facultas per ſummum beneficium & gratiam concederetur. Tum vero eorum, quae in ea ſcriptione continebantur, breviter dilucideque rationes expoſuit; adjecitque, non modo ſummi Pontificis auctoritate rem totam a ſe fuiſſe elucubratam, verum etiam illius, & aliorum Cardinalium judicio adeo diligenter examinatam, probatamque, ut ipſe Pontifex ſemel iterumque typis imprimendam promulgandamque praeceperit. Itaque ex his apparere, quam rationi incongruum, minimeque conſentaneum eſſet, ſecularis principis arbitrio iterum judicari, quod fuerit jam ab Apoſtolica Sede comprobatum, & ejuſdem auctoritate typis editum ac divulgatum; quum nihil hoc eſſe aliud videretur, quam eidem Apoſtolicae Sedi traditam a Deo ſcientiae clavem per inſignem temeritatem velle ſubripere. Ad ultimum tanta cum verborum, ſententiarumque copia, & invicta ſpiritus libertate loquutus eſt, ut omnes ad admirationem, plurimos ad ſui defenſionem excitarit. Et jam quidem ſermones ea de re longius proceſſiſſent, niſi Alexander Cardinalis de Florentia, qui poſtea Pontifex electus, Leo XI. dictus eſt, ab hujus negotii diſcuſſione ſuperſedendum hac demum lepida & acuta ratiocinatione Cardinalibus perſuaſiſſet: quod litteras quidem ad Pontificem jam mortuum ſcriptas nullus hominum perferre vellet; ipſi vero cum Pontifice vita functo negocium agere nullo modo poſſent: quocirca novum expectandum eſſe Pontificem, qui rem totam gerere, ac definire deberet. Ita ſermonum finis habitus, ac coetus dimiſſus eſt. Neque vero Caeſar minorem adhibuit in defendenda ejuſdem ſanctae Sedis Apoſtolicae auctoritate conſtantiam, quum a quodam egregiae eruditionis Cardinali ejus ſcribendi ratio in eodem de *Sicula Monarchia* tractatu, quaſi imponentis animi indicium improbaretur, atque inſuper per evulgatam epiſtolam publice reprehenſus eſſet, quod, etiamſi verum dixiſſet, modum tamen in dicenda veritate minime ſervaſſet, nimiſque arroganter imprudenterque diſſeruiſſet; probe ſciens Baronius, id non modo ſibi injurioſum fore (quod homo demiſſe nimis de ſe ſentiens minime curabat), ſed multum ea re Apoſtolicae Sedis dignitati, atque ipſae veritati detractum iri, ſcripta ad Philippum III. Hiſpaniarum Regem Catholicum apologia, ita in tuenda veritate ſe ſe geſſiſſe oſtendit, ut quum errorem falſitatemque ea, quae Cardinalem decet, libertate dicendi damnaverit atque ſuſtulerit, ipſum tamen Regem

Regem Catholicum nulla quidem in re debito honore, obſervantiaque fru-
ſtraverit. Quae ut melius intelligantur, placet nonnulla ejuſdem apo-
logeticae reſponſionis verba heic in medium proferre ,, Habeo, inquit,
,, quem magiſtrum imiter Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, de cu-
,, jus dicendi modo haec habet Evangeliſta: *Erat docens, tanquam poteſta-*
,, *tem habens, non tanquam ſcribae*: nempe quod Chriſtus eſſet magna liber-
,, tate (ut omnes docent interpretes) in veritate praedicanda; ſcribae au-
,, tem Herodi regi adulantes, omnia pararent ad guſtum ipſius. Abſit, ab-
,, ſit (iterum dico), ut ſicut ſcribae ſcribam, & non, ſicut Chriſtus, annun-
,, tiem libere veritatem. Habeo poſt Chriſtum ſanctiſſimos Patres, quo-
,, rum in ſcribendo ſequar exemplum, qui infracta animi conſtantia pro
,, tuenda veritate adverſus eam impugnantes, non humili, enervato, mol-
,, lique ſtylo ſunt uſi, ſed grandi fortique; miſcentes etiam reprehenſio-
,, num acrimoniam, in eos ſententias aculeatas inſtar fulminis intorſerunt.
,, Sunt innumera horum exempla annis ferme ſingulis in ipſis Annalibus
,, Eccleſiaſticis recenſita: quorum ex uſu, dum lego frequenter, & deſcri-
,, bo, idem mihi dicendi genus inhaeſit, quod haud deſpiciendum putavi;
,, probe ſciens, illud dono ſpiritus potius, quam humana induſtria compa-
,, ratum: ſed ea menſura diſcretionis adhibita tunc ſum uſus eo ſcribendi
,, genere, quum ſive adverſus novantes haereticos, ſchiſmaticoſque agen-
,, dum fuit, aut in principes jura Eccleſiae labefactantes, & in ſervitutem
,, eamdem Eccleſiam redigentes; vel quum dicendum adverſus diſciplinae
,, Eccleſiaſticae corruptores, tuba coeleſti auribus meis importune nimis il-
,, lud propheticum perſonante: *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam,*
,, *annuntia populo meo ſcelera eorum*, & quae ſequuntur. Ad hanc nempe for-
,, mam compoſitos eſſe debere, qui ſunt eligendi S. R. E. Cardinales, S. Ber-
,, nardus Eugenium Romanum Pontificem monet: nempe ut tales ſint, qui
,, regibus, inquit, Joannem exhibeant, Aegyptiis Moyſem, fornicanti-
,, bus Phinees, Heliam idololatris, Eliſaeum avaris, Petrum mentienti-
,, bus, Paulum blaſphemantibus, negotiantibus Chriſtum: nimirum ut
,, zelo ſemper in delinquentes armati, perdant ubique & quoſcumque ope-
,, rantes iniquitatem. Haec eſt forma noſtra Spiritus Sancti penicillo deli-
,, neata, ut qui hujuſmodi non ſumus, deformes eſſe convincamur ,,
Porro apologeticam hanc Baronii reſponſionem quum idem Rex Catholicus ab Antonio Cardinali Zapata ſibi miſſam accepiſſet, perlegiſſetque ſemel atque iterum diligenter; non modo in ea magnopere Caeſaris virtutem ingenuitatemque eſt admiratus, ſed ejuſdem etiam innocentiam facile perſpexit ac comprobavit.

C A P U T XVII.

De egregiis ejuſdem operibus, ac laudibus.

INter innumera Caeſaris immortalitatis gloria digna opera ac geſta, quibus magnum poſteritati nomen ſibi comparavit; qualia ſunt bibliotheca Apoſtolica Vaticana ab eo recta atque aucta; deterſa vetuſtate ac ſitu Templa ornata, vel reſtituta; ſacrae congregationes litteratorum, a ſuo parente ſic dictorum, Clericorum Matris Dei, authore venerabili Joanne Leonardo, ſpectatiſſimae pietatis viro, ſub Clemente VIII. ac puellarum S. Euphemiae, quae vulgo *diſperſae* appellantur, ab eodem noſtro Cardinali cura, conſilio, patrocinio, auctoritate, omnique ſubſidii genere adjutae, promotae, exornataeque; aliaque permulta, a quibus enumerandis libenter hoc in loco ſuperſedemus: potiorem procul dubio ſibi locum vindicat Annalium Eccleſiaſticorum conſcriptio, quae illi tantam apud omnes gentes gloriam atque exiſtimationem peperit, ut multi ex remotiſſimis orbis partibus ad urbem venirent hac una de cauſa, ut Baronium viderent: habuitque majorum noſtrorum aetas inauditum omnibus ſeculis celebrandumque miraculum, ut aeternam urbem ingreſſi, aliud ab ipſa urbe quaererent, &, quod olim de Tito Livio dixit S. Hieronymus, *quos ad contemplationem ſui Roma non traxit, unius hominis fama perduxerit*. Equidem non ignoro, & noſtro, & ſuperiori ſeculo plures fuiſſe ex heterodoxis praecipue, qui non pauca in Baronii ſcriptis reprehenderint, & oſcitantias quaſdam pro erroribus graviſſimis objecerint: ſed hi erunt fortaſſe, qui quum veneranda Eccleſiaſticae antiquitatis monumenta vix a limine ſalutaverint, & ſi quid ex ea delibatum ab ipſis fuerit, id totum forte a Baronio didicerint, ipſius tamen ſcripta cenſoria virgula notare non verentur, atque hac ratione nodum, ut eſt in adagio, in ſcirpo impudentiſſime quaerunt. *Puerilis certe jactantiae eſt*, ait S. Hieronymus in epiſtola ad D. Auguſtinum, *quod olim adoleſcentuli conſueverant, accuſando illuſtres viros, ſuo nomini famam quaerere*. Et in eumdem ſenſum Cardinalis Sadoletus ſcriptum reliquit, *eſſe nonnullos, qui ut aliquid ſibi inanis gloriolae aucupentur, inutilibus diſputationibus, tanquam gladiatoriis libellis, laceſſunt ampliſſimos viros*. Cui autem non conſtat, quod *quandoque bonus dormitat Homerus*? Difficile ſane eſt, ne dicam impoſſibile, in tanta rerum copia, tantaque ſeculorum a Baronio percurſorum caligine aliquid non irrepſiſſe minus examinatum elaboratumve, quod ſcriptoris quamvis accuratiſſimi aciem ac diligentiam effugerit. Quinimo naevi in formoſo corpore ejus venuſtatem augent, & umbrae pictis tabulis decorem, ſplendoremque adjiciunt: unde Joſephus Scaliger in ſuis ad Canones Iſagogicos prolegomenis, licet in illud vitium inciderit, quod in aliis reprehendit, quum fuerit ipſe unus ex praecipuis Baronii criminatoribus, haec tamen non incongrue animadvertit „ Ventoſiſſima & futiliſſima omnium, qui litteras tra-
„ ctant, graculorum criticorum natio, non ſolum liberalium artium, ſed &
„ omnis civilitatis & humanitatis expers, nullum librum inſtituere poteſt,
„ niſi

„ niſi eum a contumelia incipiat, & in contumelia terminet: hoc ſatis „ eſt novo libro conſcribendo, tanta inſolentia, ac contumeliarum ſtrepi- „ tu, ut neque perſonarum, neque loci, neque ordinis ratio habeatur „ Scimus equidem optime, atque ultro fatemur, Caeſarem noſtrum in duodecim praegraudibus Annalium tomis interdum erraſſe, nec rem uſquequaque acu tetigiſſe, quum juxta Terentianum illud homo eſſet, & humani a ſe nihil alienum putaret. Sed vir revera ſanctus, & humilitatis non minus, quam doctrinae laude praeſtans, D. Auguſtinum imitatus, minime dubitavit in appendicibus ad calcem plerumque tomorum adnexis errata ingenue fateri, atque ea addere, elucidare, retractare, emendareque, quae ex ſecundis curis cogitationibuſque, aut aliorum ſeu amicorum, ſive inimicorum monitis, emendanda eſſe judicavit; ut ipſemet hiſce verbis in praefatione appendicis tomi decimi Annalium (quae etiam a Poſſevino in Apparatu ſacro refertur) teſtatum reliquit „ Prima illa cenſeri debet „ ſcriptorum felicitas, ſi a veritate nunquam pedem efferre contingat: „ ſed iſtud divinis dumtaxat libris eſſe conceſſum, ut nullum penitus in „ eis ſit reperire mendacium, graviſſimi Eccleſiae Doctores affirmant; „ quamvis nec cum eis ita feliciter actum ſciamus, quin librariorum in- „ curia, vel interpretum imperitia, aliquod mendum irrepſerit, quod cor- „ rigatur. Secunda vero felicitas illa debet exiſtimari, ſi quae humana im- „ becillitate errata noſcuntur, eadem cognita emendare; quam nos aſſe- „ qui quum exoptamus, ita comparati ſumus, ut monitores noſtros tan- „ quam inſignes colamus benefactores; a quibus nec etiam ſeparemus eos, „ qui ſe ipſos adverſariorum loco conſtituunt, dum noſtra infenſo animo „ carpunt, & tanquam harpyiae, ubi ſunt laute epulati, quae ſuperſunt, „ putore detractionis inquinant, & ut muſcae in corpore ſano ſaniem, „ ſicubi ſit, avide quaerunt. At quod a detrahentium dicacitate nullus im- „ munis ſit (inquit S. Hieronymus) niſi qui nihil ſcripſit, convertamus in „ noſtrum lucrum aliena diſpendia; &, ſi quid vane objectum, confutemus; „ ſi quid erratum, corrigamus; ſi quid obſcurum, elucidemus; inſuper &, „ ſi quid ſuperaddendum venerit in manus, pariter adjiciamus. Nihil, quum „ oritur, ſtatim perfectum eſt; neque in longa & perdifficili via, illaeſo „ ſemper incedere pede conceditur; atque, ubi multae vigiliae, non levem „ ſaltem irrepere ſomnum haud pariter humana conditio „ Quamobrem vir clariſſimus Antonius Pagi, Ord. Min. Convent. decus egregium, in praefatione ad Criticam Hiſtorico-Cronologicam in Annales, illa in Baronio, ejuſque epitomatore Henrico Spondano illuſtrandis ſemper prae oculis habuiſſe profitetur, *quae Melchior Canus, vir rei criticae apprime doctus lib. 11. de locis Theologicis cap. 6. de hiſtoria Eccleſiaſtica Bedae, & Gregorii Turonenſis ſcribit* „ Quoniam modeſte & circumſpecto judicio de tantis viris „ pronunciandum eſt, ne his quidem duobus rejicienda ſunt plurima. Pau- „ ca enim in iis poſſis arguere, quamquam hiſtoriam Eccleſiaſticam revo- „ care ad ſeveriora judicia contendas: ac, ſi neceſſe eſt in alteram peccare „ partem, omnia eorum probari legentibus, quam multa reprobari, malo. „ Neque enim exiſtimandum, eorum doctiſſimis elucubrationibus fidem „ eſſe denegandam, quod nonnulli in iis errores irrepſerint, quum erro- „ res illi, non fallentium auctorum fuere mendacia, ſed ignorantium. Ne- „ que

Digitized by Google

,, que ob unum, aut alterum peccatum, cujus ſemper probabilis eſt ex-
,, cuſatio, tantorum virorum volumina debent improbari. Si enim ita agen-
,, dum eſſet, pretioſiſſimae omnium fere Eccleſiae Doctorum lucubratio-
,, nes contemnendae eſſent, & proculcandae; quum vix eorum quem-
,, quam invenias, qui in aliquo, ſi non ad fidem, ſaltem ad rerum ge-
,, ſtarum hiſtoriam pertinente, non erraverit „ Et idem Pagius, paucis in-
terjectis, haec iterum de Baronio, Spondanoque conteſtatur,, Tantum abeſt,
,, ut Baronium, & Spondanum minus habendos putem, quod illum, dum
,, Annales conderet, huncque, dum eos abbreviaret, notaſque aliquas ad-
,, jiceret, multa fugerint; ut e contra magis temporum noſtrorum feli-
,, citati, quam propriae induſtriae, attribuendum arbitrarer, quod res nunc
,, magis apertae & manifeſtiores ſint, quam eo tempore, quo ambo ſcri-
,, pſere &c. „ Omnes igitur illi, qui Baronium Cardinalem pravis judi-
ciorum aculeis confixere, probriſque cumularunt, vel aperti Eccleſiae ho-
ſtes ſunt, vel Heroſtrato ignaro ſceleſtoque homini comparandi, qui quum
nihil haberet, aut agere poſſet, quo immortalem ſibi nomen compararet,
celeberrimum illud Dianae Epheſiae templum incendit. Omnes autem
probi veraeque eruditionis laude inſignes viri, alii pro Baronio ſteterunt,
ejuſque adverſariis multiplices omnis generis apologias oppoſuere; quos in-
ter eminent ſuperioris ſeculi Theologi Jacobus Gretſerus, & Andreas Eu-
daemon Joannes ex Societate Jeſu; quorum ille Goldaſtum Helvetium,
hic vero Caſaubonum Delphinatem, Calvinianos, confutandos praecipue ſu-
ſcepit; necnon Henricus Spondanus in praefatione ſuae Baronianorum An-
nalium epitomes, notiſque ad eamdem apologeticis, quas in poſterioribus edi-
tionibus adjunxit: alii autem in Caeſaris Annalibus explicandis illuſtran-
diſque juxta exactas verae critices regulas operam navarunt ſuam; inter
quos egregiam quidem ſupra caeteros laudem meruit cl. Antonius Pagi
Ord. Min. Conventualium paullo ſuperius a nobis laudatus. Et ea quidem,
quae in Baronium ſcripta ſunt, jam pene in hominum oblivionem vene-
runt, eorumque ſimul auctores Caſauboni, Goldaſti, Montacutii, Hottii,
aliique: Baronii vero diligentiam, fidem, eruditionem, atque judicium
nulla unquam aetas celebrare conticeſcet. Quapropter certatim ſe ſe in ejus
laudibus enarrandis effundunt quicumque de viris illuſtribus ſuae aetatis
ſcripſere: ex quibus Petramellarius illum vocat *humanarum divinarumque
litterarum ſublimem interpretem, & antiquitatum Eccleſiaſticarum clariſſimum
indagatorem*: Joannes Baptiſta Villalpandus, *bene de univerſa republica Chri-
ſtianà meritum, & ob praeclara ſcripta toti orbi notiſſimum*: Nicolaus Or-
landinus Hiſtoriae Soc. Jeſ. p. 1. lib. XVI. num. 136 *virum pariter animo, do-
ctrina, & pietate magnum & acrem*: Aubertus Miraeus, *omni laude majo-
rem*: clarus Cardinalium Nomenclator, *priſci & integri moris Cardinalem,
virtutum omnium, & pietatis exemplar abſolutiſſimum*: Famianus Strada,
virum eruditione & ſanctitate clarum: Joannes Chappeauville in brevi Cro-
nico ad calcem tom. III. de Epiſcopis Leodienſibus, eum vocat *Eccleſiae
Polyſtorem*, & pium ejus obitum notat ad annum Chriſti MDCVII. Petrus
autem Arcudius in libro de Concordia Eccleſiae Orientalis & Occidentalis
ait, eum *cum omni antiquitate de gloria eruditionis poſſe contendere*. Praeter
citatos auctores, laudarunt eum ex ſuperioris ſeculi ſcriptoribus, grandi-
bus,

bus, ac ſpecialibus elogiis, Filliucius, Julius Caeſar Capaccius, Antoniu Sanderus, Hilarion a Coſta, Carolus Zonvellus, Henricus Albi; ſed & Cardinales Ven. Bellarminus, Oſſatus, Perronius: ut praeteream Antonium Poſſevinum in Bibliotheca & Apparatu ſacro, Laurentium Begerlink in Cronico, Joannem Marquiſium in Appendice ad Chronologiam Genebrardi, Florimundum Raemundum de ortu, progreſſu, & interitu haereſeos, alioſque innumeros; ut merito Anaſtaſius Germonius Urbini Ducis apud Clementem VIII. orator, qui antea ſacros canones Auguſtae Taurinorum multos annos docuerat, doctiſque illuſtraverat commentariis, interrogatus quid de Baronii Annalibus ſentiret, reſponderit, *ſe Baronianam hiſtoriam quaſi coeleſtem facem ſuſcipere ad arcana Pontificum & Conciliorum*; & Staniſlaus Reſcius in quadam epiſtola de iiſdem Annalibus loquens, *commentarios* vocaverit *apice Apoſtolico digniſſimos*; Ludovicus vero Donius d'Attichy Epiſcopus AEduenſis in Floribus Hiſt. Cardinal. tom. III. affirmaverit, *Baronianorum operum theſauro nihil habere ſanctam Dei Eccleſiam, poſt Evangelii libros, ſacrorum Conciliorum acta, ſanctorumque Patrum volumina, pretioſius*. Verum & ipſi heterodoxi, quamquam ut perpetui veritatis hoſtes, illius aſſertorem Baronium probris plerumque conviciiſque laceſſiverint, non potuerunt tamen ita oculos luci claudere, quin ejus ſplendorem claritatemque fateri ſe agnoviſſe coacti fuerint, ac proinde Baronium variis exornaverunt elogiis: quorum illuſtriora, Iſaaci ſcilicet Caſauboni, Montacutii, & Gulielmi Cave, inferius poſt Orationes funebres proferuntur; iiſque haereticorum teſtimoniis alia item catholicorum de Baronio elogia atque judicia praecedunt, inter quae praecipuum obtinent locum, quae de eodem Henricus Spondanus Epiſcopus Apamiarum, & Janus Nicius Erythraeus in Pinacotheca ſcriptis conſignarunt.

CAPUT XVIII.

De ejus ad Vallicellam reditu, aegritudine, & obitu.

QUUM autem Caeſar tot tantiſque ad Dei gloriam & Eccleſiae utilitatem perfunctus laboribus, exhauſtuſque viribus, & jam ſenio confectus, vicinam ſibi mortem adeſſe intelligeret, ex Palatio Apoſtolico ad aedes Vallicellanas, quo ſaluti ſuae diligentius vacare poſſet, veluti columba Noe ad arcam, redire ſtatuit; ut, ubi primitias ſpiritus hauſerat, ibi ſpiritum Deo redderet; & ſi, quod tantopere optaverat, purpuram deponere non licuiſſet, ſaltem, dum ſibi vita ſuppeteret, veteris inſtituti onera, quantum dignitatis conditio ferret, quaſi unus e noſtris reſumeret, & pro viribus exerceret. Quapropter daturum ſe dixit operam, ut Pontifex ſibi licentiam faceret, praeter ſolemniores dies, quibus ad populum verba faciebat, etiam ſemel in hebdomada ad populum habendi ſermones, in quibus S. Gregorii Magni Dialogos narrandos ſibi ſuſcipere cogitabat. Igitur poſtulata a Presbyteris venia, traditae illi ſunt libentibus animis aedes ad habitandum: quas ſtatim acceptas, ut familiae potius commoditati, quam ſuae conſuleret, paullo ampliores fieri, aptiuſque diſponi cu-

Digitized by Google

ni curavit ; miram in ea re adhibens celeritatem , inſtans operi , urgens illud , quotidie cupiens quamcitiſſime ad priſtinas ſuas aedes commigrare. Interea autem dum locus pararetur, & die quadam communi noſtrae menſae accumberet , contigit , ut ex libro Job xxix. capitis verba legerentur , ubi vir ille ſanctus poſt multa enumerata divina quae acceperat ab ineunte aetate beneficia , inter alia ſubjungit : *Dicebam , in nidulo meo moriar , & ſicut palma multiplicabo dies* . Ad quae verba mirum in modum Caeſar exhilaratus , abſoluta tandem lectione „ Ego vero , inquit , Pa-
„ tres, jure mihi videor,ea,quae lecta ſunt,aptiſſima quadam accommodatio-
„ ne mihi poſſe tribuere , dum mente recogito priſtinos illos dies , *quibus* in
„ Congregatione *poſitum Deus cuſtodiebat me* , *quando ſplendebat lucerna*
„ *ejus ſuper caput meum* , illam ſcilicet B. P. PHILIPPO nobis praeferen-
„ te , *& ad lumen ejus ambulabam in tenebris* , *ſicut fui in diebus adole-*
„ *ſcentiae meae* , *quanda ſecreto Deus erat in tabernaculo mea* , *quando erat*
„ *Omnipotens mecum* , *& in circuitu meo vos* , *fratres mei* , *quando lavabam*
„ *pedes meos butyro* , prae abundantia videlicet coeleſtium conſolationum ,
„ quibus in ſpiritualium rerum exercitatione una vobiſcum affluebam . *Et*
„ *petra fundebat mihi rivos olei* , illa nimirum petra , a qua exciſi ſumus,
„ Beatus , inquam , Pater ; cujus & ex ore ſuaviſſimo documenta ſalutis ,
„ & e ſacro pectore amoris pleno copioſa fluenta benignitatis hauriebamus. *Dicebam* tunc ſane & ipſe : *In nidula meo moriar* , *& ſicut palma*
„ *multiplicaba dies* . Sed ab eo violenter eductus , & quaſi columba ex ar-
„ ca Noe turbulentis ſeculi fluctibus expoſitus , quum nuſquam invene-
„ rim , ubi requieſceret pes meus , ad arcam reverti ſemper optavi , at-
„ que hoc extremo tempore , quo ad occaſum vita feſtinat , ſummopere
„ exopto . Quumque equidem ſperem id me divino beneficio conſequ:tu-
„ rum , ut in hac ipſa Congregatione tanquam in nidulo meo tandem
„ moriar ; oro obteſtorque vos , Patres , ut me tot diu fluctibus procelliſ-
„ que jactatum , ſed jam , Deo gubernante ad portum redeuntem , eo amo-
„ re ſuſcipiatis , quo me hactenus , licet indignum , ſemper eſtis proſequuti .
„ Quo ſane beneficio ut nullum mihi gratius in vita poteſt obtingere ,
„ ita me vobis ſummopere fateor fore devinctum „ Commotis hac oratione mirum in modum Presbyterorum animis , non modo hilariter humaniterque Caeſari aedes ad habitandum , verum etiam & ſe ipſos ad ejus obſequium obtulerunt , quum ſummi beneficii loco aeſtimarent illius optata praeſentia & |ſocietate perfrui . Igitur ſtatim ac ad paratas Congregationis aedes , atque adeo ad priſtinam ſuam cellulam , quam ampliſſimis principum aulis longe praeferebat , laetus & alacer commigravit , ut facilius omnium vultus agnoſceret , & eorum familiari colloquio frueretur , ſingulis diebus unum ex eadem Congregatione , ordinata ſucceſſione a primo uſque ad noviſſimum , ad prandium invitari , ac venire volebat . Verum , quod omnium animos de ſuſcepto ob illius reditum gaudio deturbavit , poſt paucos dies , quaſi ipſe morti tempus praefiniſſet ac locum , in lethalem morbum incidit , qui poſtea glorioſum illi ad aeternam vitam aditum patefecit . Jam multis ante menſibus grave ciborum omnium faſtidium patiebatur ; nunc autem uſque adeo , ut nihil ſumere poſſet , niſi modicum quid liquatum , & id ipſum admodum renuente ſtomacho . Quocirca corporis vires ſum-

mopere

mopere extenuari, ac pene deficere coeperunt; cujus tamen aegritudine invictus animus nihil omnino debilitatus, ſed ſe ipſo quotidie fortior factus, ad propoſitam ſibi coeleſtium bonorum aeternitatem ardentius feſtinabat. Etenim ſepoſitis jampridem caeteris omnibus cum negotiorum curis, tum etiam ſtudiorum, totus ad divinarum rerum contemplationem, amoremque converſus, nihil aliud, quam felicem ex hac vita in coelum migrationem cogitabat; ut propterea, quod multos ante annos facere conſueviſſe diximus, quotidie ſpiritum ſuum Deo precibus ab Eccleſia inſtitutis eo vehementius commendaret, quo propiorem ſibi mortem imminere ſentiret. *Portaverat* jam ille quidem, ut ipſius verbis utar, *ab hora prima conductus ad vineam pondus diei & aeſtus*, & ſub ardentibus Solis radiis labore fractus, & calore jam fere conſumptus, expectabat, ut tandem faſce ſolutus ſub umbra illius requieſceret, quem ſemper concupiverat anima ejus. Et ſicut mercenarius praeſtolatur finem operis ſui, expectabat & ipſe, ut inclinata ad veſperam die mercedem acciperet a patrefamilias denarium diurnum, ejus imagine cuſum, & pretio auctum illius, qui dixit Abrahae patri credentium: *Ego ero merces tua magna nimis*. Quamobrem licet ex ſuorum recordatione peccatorum aliquid timoris acciperet, & vereretur omnia opera ſua, ſciens, quod Deus non parceret delinquenti, ſumpta tamen fiducia immenſae Dei miſericordiae, exire jam cupiebat in occurſum Patris, benignum illius ſperans amplexum, & oſculum pacis, necnon ſtolam primam ſuſcepturus, & anulum, caeteraque amoris ſigna, & honoris ornamenta, & nomen filii conſequuturus, Dei haeres, Chriſti vero cohaeres in coelis inſtitui. Videbatur jam illius animus ab humanarum rerum cogitatione divulſus, in immenſa illius coeleſtium bonorum magnitudinis contemplatione defixus, & quaſi jam a terra penitus receſſiſſet, ingreſſuſque fuiſſet pelagus vaſtiſſimum aeternitatis, totus in admirationem ſtuporemque raptus, identidem exclamabat: *O aeternitatem! O aeternitatem*

Interea Patres imminentis mortis periculum & metuebant, & condolebant. Sed vel exterae nationes audita Caeſaris aegritudine ſic lamentabantur, ut quas Romam ſcribebant litteras plenas doloris, non tam atramento exaratae, quam fluentibus & humentibus lacrymis conſcriptae eſſe viderentur. Ingraveſcente autem morbo, & ciborum omnium faſtidio, viſum eſt medicis non mediocriter illi profuturum, ſi in Tuſculanum ſe ſe reciperet, coelo ſalubriore fruiturus; quo alias divertere conſueverat tam ad aeſtivos calores, quam ad aulae tumultus evitandos: unde ibidem in Eccleſia S. Michaelis Archangeli hoc legitur monumentum:

CAESAR CARDINALIS BARONIVS
ANNALIBVS ECCLESIAE
PRAETEXENDIS
HVC SECEDERE SOLITVS
LOCVM MONVMENTO DIGNVM FECIT.

Medicorum igitur Caeſar audito conſilio, Auguſtinum Mannum Congregationis Sacerdotem, quo per id tempus ad confeſſiones utebatur, accer-

ſiri juſſit, eique medicorum ſententiam quum aperuiſſet: *Ego vero*, inquit, *ſatis ſcio, hanc coeli mutationem nihil mihi emolumenti allaturam: quippe jam inſtare mihi ſentio ſupremum vitae diem. Tamen, quia medicis obtemperandum eſt, parere non renuo. Gratum mihi vero fuerit, ſi te comitem adjunctum habeam, ut, ſi forte mors advenerit, auxilio mihi eſſe poſſis.* Annuit Auguſtinus Caeſaris voluntati, eumque in Tuſculanum proficiſcentem una cum Pompejo Paterio, aliiſque familiaribus comitatus eſt. Ibi Caeſar aeternae magis, quam caducae hujus vitae amantior, omne ſtudium atque operam in eo collocabat, ut animi ſalutem in tuto reponeret. Itaque frequeutes de divinis rebus miſcere ſermones, peccatorum veniam ingentibus ſuſpiriis implorare, mortis occurſum praeſtolari quotidie. Quippe, adveniſſe jam ultimum vitae tempus, & ſenectus annis gravis, & vires corporis aegritudine pene proſtratae, & multos annos viſio divinitus ſibi oſtenſa perſuadebat, quam equidem Auguſtino aperte declaravit ſciſcitanti, quidnam ſibi vellet numerus quidam ſexageſimus nonus, graudioribus litteris in hunc modum inſcriptus (LXIX.) quem in ſacris bibliis, atque etiam in pluribus aliis paginis ſua ipſe manu exaraverat ,, Quum jam eſſem, inquit, ſim-
,, plex Sacerdos in eo Congregationis cubiculo, in quod nuper Dei bene-
,, ficio remigravi, & tanta corporis aegritudine laborarem in lectulo, ut
,, brevi me moriturum ſuſpicarer; nocte quadam inter dormiendum vidi
,, in adverſo pariete numerum iſtum LXIX. nigris characteribus expreſſum.
,, Excitatus a ſomno, ac rei novitate motus, mecum ipſe cogitare coepi,
,, quid tandem haec viſio tam clare in ſomnis praemonſtrata portenderet.
,, Et ecce injectam animo mentem ſenſi, ut exiſtimarem, numerum an-
,, norum meorum hiſce litteris deſignari. In qua cogitatione quum ali-
,, quandiu perſtitiſſem, demum praecavens, ne quod mihi curioſitatis,
,, aut alterius tentationis periculum ſubreperet, animum averti, atque ite-
,, rum ſomnum cepi. Et ecce rurſus in eodem loco numerum eum-
,, dem aſpicio, litteris quidem grandioribus, non tamen nigris, ſed can-
,, didis, ac veluti ſolido ex gypſo efformatum. Evigilans autem, & ma-
,, jori quam antea admiratione correptus, in eamdem ſum deductus ſenten-
,, tiam, ut crederem, nihil aliud ea viſione, niſi certum annorum nume-
,, rum, ac determinatum vitae meae curriculum praemonſtrari. Verum
,, indubitatam viſo fidem praebere nolui, quod intelligerem, in ejuſmodi re-
,, bus non raro daemonis ſubeſſe fraudem, qua ſoleat incautis mentibus
,, longum vitae tempus polliceri, ut ſalutaris poenitentiae ſtudium, & bono-
,, rum operum exercitationem ſemper in craſtinum differendo nunquam
,, arripiant. Hic tamen numerus infixus ſemper animo meo haeſit, quam-
,, quam hunc fore vitae meae terminum non omnino perſuaſit; quin po-
,, tius & aſſiduam mihi mortis cogitationem, & majorem ſolicitudinem
,, injiciebat, ut ad eam paratior accederem. Tandem quum paullatim pro-
,, grediens per aetatum gradus ad hunc annorum numerum pervenerim,
,, & corporis aegritudine pene ad interitum opprimar; nimirum plane cre-
,, do, eſſe mihi hunc annum ut ſupremum vitae terminum conſtitutum, at-
,, que adeo velocem adeſſe depoſitionem tabernaculi mei ,, Haec Auguſtino Caeſar, quem jam mortis praeſcium, & verum aſſertorem ipſe rei eventus declaravit: quippe poſt paucos dies nuncia vicinae mortis fe-

bris

bris eum invadens, expectatum illi, ut dicemus, finem vivendi attulit. Interim autem ſalutem ſuam Deo, B. Virgini Mariae, Sanctiſque Apoſtolis Petro, & Paulo, quorum ſacro appropinquante die emori cupiebat, ardentioribus animi viribus commendabat; admonituſque a medico, ne tam crebris validiſque gemitibus ac ſuſpiriis excruciaret ſe ſe, quod metuendum, ne idcirco ſibi mortem arceſſeret, atque attraheret: *Quid vero*, inquit, *mortem extimeſcam, quam mihi tot annis veluti ſororem habui, ac quotidie alloquutus ſum? Equidem non eam timeo*. Ergo illius animus igne divinae caritatis exaeſtuans, quum in varios identidem raperetur Chriſtianae pietatis affectus, quorum aliquos eiſdem plane verbis, quibus utebatur, expreſſos haud inutile fuerit recenſere, in lectulo jacens, & ad Dominum converſus: *Miſerere*, ajebat, *Domine, miſerere mei. Ut quid timebo ego te, Domine Deus meus? Nunquid non diligis me, Domine? Beatus ille qui bene vivit, & ſervit Deo*. Mox vero ad adſtantes: *Num vos*, inquit, *Jeſum diligitis? Quaeſo vos illum amate*. Et rurſus ad Dominum: *Gratias tibi ago, Domine, qui me ad B. Patrem miſiſti. Tibi gratias, Tibi gratias*: quae verba frequentiſſime repetebat. Deinde ad eos qui aderant: *Servite*, inquit, *Domino, cui ſervire magis praeſtat, quam regem eſſe. Servite Deo; nam alioqui nihil invenietis in manibus veſtris*. Quumque illi Auguſtinus coeleſtium gaudiorum magnitudinem revocaret in mentem: *Beati*, inquit ille, *qui perveniunt ad illam gloriam. Cupio videre Dominum Jeſum meum. O amor, amor, Jeſus amor meus! O quam bonum eſt facere voluntatem Dei mei!* Mox vero ad Auguſtinum verſus: *Ecce*, inquit, *febris invaſit me. Eamus, & Romae moriamur; neque enim decet Cardinalem mori in agro. Cupio namque extremum diem claudere in Congregatione Patrum meorum*. Itaque in lectica poſitus, quam mutuam acceperat, medico, ſuiſque comitantibus, reditum acceleravit, moleſtum illum quidem atque difficilem tum ob lecticae brevitatem & anguſtiam, tum ob aeſtivi ſolis ardores, & morbi gravitatem, ſed nihilominus animi patientia fortiter toleratum. Tandem XIII. kal. Julii hora prima noctis Romam pervenit fere morti proximus, atque in ſuum lectulum comportatus eſt. Patres adeo triſti nuncio conſternati confeſtim ad Caeſarem confluunt, eumque quibus poſſunt caritatis officiis, & verbis ad conſolandum appoſitis ſublevare nituntur. Aderat tunc forte Franciſcus Cardinalis Tauruſius Caeſaris amantiſſimus, qui de re admonitus lacrymas prae dolore continere non potuit, & voluiſſet quidem ſenex optimus, quamquam valde imbecillis, abſque ulla cunctatione ad Caeſarem aſcendere, illum videre, alloqui, conſolari; verum revocatus a noſtris, quod jam ſero eſſet, & uterque quietis indigeret, caritatis officio ſuperſedere, atque illud in poſterum diem differre coactus eſt. Interea Patres Caeſari quieti tradito pervigiles adſtant. Sanctiſſimum Chriſti Corpus in ſacellum ejus cubiculo proximum deferunt, ut quum opus eſſet communicaret. Sub mediam noctem, quum evigilaſſet, admonitus adeſſe Chriſtum Dominum, rogatuſque, num illum libenter acciperet: *Ubi eſt*, inquit, *ubi eſt? Eja agite, illum ad me afferte*. Quumque ei conciliaſſet ſe ſe, & multa animi humilitate, ac pietate peccatorum ſuorum veniam clara voce poſtulaſſet, antequam Chriſtum ſumeret, ut mos illi erat, *Abrenuntio*, inquit, *Satanae, & ſatellitibus ejus, & ad-*

haereo tibi, Domine Jeſu Chriſte. Eoque pie ſuſcepto, una cum Sacerdote, qui aderat, alternis vicibus canticum Simeonis recitavit. Quo abſoluto, quum paullulum ſecum ipſe tacitus oraſſet, iterum ſomnum cepit. Poſtera vero dies quum illuxiſſet, ſtatim cubiculi feneſtras aperiri, lumen accendi, ac Miſſae ſacrificium parari juſſit; neque contineri potuit, licet ſummopere debilitatus, quominus e lectulo ſurgeret, atque in Sacellum ſe ipſe conferret divina ſpectaturus myſteria, quae ad ultimum uſque diem coram ſe peragi voluit. Non multo poſt Camillum Baldinum pronepotem ſuum ante conſpectum venire juſſit; quem, quum acceſſiſſet, ut ſuae primum paupertatis haeredem inſtitueret, hiſce verbis alloquutus eſt: *Fili mi, ecce jam ingredior viam univerſae carnis. Itaque tibi relinquo, tibi trado, tibi do, quod meus mihi Pater reliquit, nempe ipſam paupertatem. Audio, te nimium litteris operam dare. Incumbe, fili mi, ad mortificationem. Noli altum ſapere; ſed eſto humilibus conſentiens: terrenam ſubſtantiam pondus exiſtimato*. Tum paternam illi benedictionem impertitus moerentem ab ſe dimiſit. Convocatis vero familiaribus quum optima recte vivendi praecepta tradidiſſet, accedente Angelo Salutio Congregationis Sacerdote, qui in ejus curam ſumma caritate incumbebat, elata coepit voce exclamare: *Nihil eſt plane, nihil eſt, nihil, quod in vita majorem mihi dolorem attulerit, quam Cardinalatus. Notum hoc facite omni populo, notum facite. Cavete a daemonis inſidiis, cavete. Verus namque honor is eſt, ſervire Deo cum omni humilitate. Pudet me fuiſſe Cardinalem. Dignus non fui, qui eſſem vel ſimplex Sacerdos. O me iniquiſſimum! Quaerite Deum, quaerite Deum.* Mane inſequenti, quum interim morbi vis magis magiſque augeretur, iterum ſacri Corporis Chriſti ſuſceptione munitur. Interea quadragenarum horarum ſupplicatio in Eccleſia noſtra a Presbyteris indicitur. Populus re cognita undique tanti ad viri domum moerens confluere; qui ſe haberet, ſubinde ſciſcitari; illius mortem veluti communem omnium calamitatem metuere; longiorem illi vitam a Domino ſolicite deprecari. Verum, quod jam Caeſar Deo volente ſupremis appropinquaret, nulla in eo morbi ſequuta remiſſio; quin, deficientibus paullatim viribus, acrioribus quam antea ſtomachi doloribus cruciabatur. Quippe in ejus orificio tria quae contraxerat ulcera, ut poſt mortem a medicis inſpectum eſt, quum in eum cibus trajiciendus eſſet, acutiſſimum illi dolorem infligebant, & ſtomachus ipſe tenuis, ac ſolutus, & ob inediam jam pene conſumptus, nihil fere alimenti retinebat. Itaque quot cibi ſumptiones, tot vulnera, licet patienti animo tot praemia; qui ſi aliquando, natura doloribus ſuccumbente, *Non poſſum amplius*, ajebat, *fratres; quaeſo audite Caeſarem pauperculum; expectate quaeſo paullulum pro veſtra pietate*: ſe ipſo tamen fortior in omnibus, quae ſibi vel ab infimis famulis praecipiebantur, quamquam ea vilia erant, & permoleſta, ſumma demiſſione acquieſcebat, perpetuas illis gratias agens pro omnibus quae in ſe exequebantur caritatis officiis. Jam vero, quum ſupremus adventaret dies, ad Angelum Victorium medicum converſus: *Nihil jam*, inquit, *amplius facto eſt opus: his paucis diebus ut patiar neceſſe eſt*. Cui Angelus: *Ergo*, inquit, *ut cibum ſumas, oportet; in hoc enim graviorem, quam uſpiam alibi, moleſtiam pateris, atque hinc etiam vires accipies ad perferendum quoad libitum Deo fuerit*: adje-

adjecitque, valde ſe illi conqueri, quod in cibo ſumendo ab eo defraudaretur. Cui Caeſar: *Ego vero nemini unquam fraudem intuli, nec fallere quemquam volo: ſed, mihi crede, nihil eſt, quod de mea corporis ſalute ſpem habeas*. Quumque intelligeret, pro ſui ipſius valetudine recuperanda multas ad Deum ſupplicationes fieri: *Ne quaeſo*, inquit, *mihi corporis ſanitatem, ſed animi ſalutem, & felicem in coelum migrationem veſtris precibus impetrate. Mittite, qui a ſummo Pontifice Apoſtolicam mihi benedictionem, & indulgentiam obtineat*. Et ad Franciſcum Zazzaram: *Vellem*, inquit, *Patres hoc mihi pro ſummo beneficio concederent, ut me in Eccleſia SS. meorum Nerei & Achillei veluti pauperculum quempiam ſepelirent*: in ea enim Eccleſia juxta tutelares martyres ſibi ipſe antea ſepulturae locum praeparaverat. Sed quum intelligeret, difficile id a Presbyteris impetratum iri, qui ſe illius corporis pignore privari plurimum dolerent, tandem acquievit. Interea ingraveſcente morbo, viribus fere omnibus deſtitutus, dies nocteſque divinam implorabat opem, & accedentibus quibuſcumque humiliter commendabat ſe ſe, quum a laicis, ut ſibi aqua luſtrali benedicerent, & a Sacerdotibus, ut ſibi manus imponerent, aeternamque ſalutem deprecarentur, enixe flagitaret. Dicenti cuipiam, nihil ſibi eſſe de animi ſalute timendum, ſed laetandum magis & conſolandum, quod laborum ſuorum praemia accepturus eſſet in coelis; illico laudem repellens: *Nae tu*, inquit, *ſimpliciter es loquutus; equidem metuo, & contremiſco, & omnino demiſſos, humiles, ac trementes oportet nos eſſe: atque a Domino omnis eſt noſtra conſolatio expectanda*. Itaque quum jaceret in lectulo, & ardentiſſimis votis quaereret quem diligebat anima ejus, frequentiſſime ſucclamabat: *Ubi eſt? Ubi eſt?* Interrogatus autem quo indigeret, quid optaret, quid quaereret? *Jeſum meum*, inquit, *Jeſum meum volo. Deum meum diligere vellem*. Et ſublatis in coelum oculis, expanſis brachiis: *Ubi eſt*, inquit, *ſponſus meus? Date mihi ſponſum meum. Jeſum meum*. Et accepta Chriſti Crucifixi imagine: *O mi Jeſu*, ait, *quam bonus es! Tecum eſſe volo. O, ſi poſſem, quam libenter venirem ad te! In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum*. Atque alia his ſimilia ſecum ipſe animo, atque ore identidem repetebat. Haec inter P. Flaminius Riccius, eo tempore Congregationis Praepoſitus, Anxano Romam rediens, quum Caeſarem adeo graviter aegrotantem audiſſet, ſtatim ad illum advolat, jacentem amice ſalutat. Caeſar illius adventu mirifice exhilaratus (erat enim illi a confeſſionibus, eumque tanquam virum omnibus virtutum numeris abſolutum, diviniſque donis exornatum, magno amore atque honore proſequebatur) ut conceptae animo laetitiae ſignum daret, tintinnabulo, quod proximum ſibi aderat, manu prehenſo perſonare coepit; quamquam ſumma mali vis nec nova ſalutationis ſigna, nec longum ſermonem proſequi dabat. Ergo Flaminius Caeſaris vicem commiſeratus, conſolatuſque, precibus commendat Deo. Die vigeſima ſeptima circa horam noctis ſeptimam, quum S. Euchariſtiae Sacramentum ex illius manibus pro viatico accepiſſet, incredibili pietatis ardore inflammatus, ac totus laetitia geſtiens: *Dei ſum*, inquit, *Dei ſum. Quid melius, quam eſſe cum Deo?* Tum vero divinae contemplans magnitudinem majeſtatis, ſimulque memor vilitatis ſuae; tum illi gratias agens: *Benedicam*, inquit, *Dominum in omni tempore, ſem-*

per

per laus ejus in ore meo. Magnus Dominus, & laudabilis nimis. Haec autem quum diceret, ageretque, immerſam penitus habere mentem videbatur in ipſam aeternitatem. Morti vero proximus, ſacro, ut optaverat, inungendus oleo, quum illi numerus annorum ſuorum, quem olim viderat, in mentem veniſſet: *Vere*, inquit, *ſexageſimus nonus annus eſt. Domine, miſerere mei.* Et ad Patres converſus: *Quamnam*, inquit, *Patres, majorem gratiam conſequi poſſim, quam ut hoc ſacrum Oleum ſuſcipiam? Orate, obſecro, pro me omnes: etenim idcirco ad vos veni. Ecce miſerum hunc peccatorem: juvate me precibus, ut bene moriar. O quam bonus Iſrael Deus! quam bonus Deus!* Sacra unctione completa ad circumſtantes ſupplices expandens manus: *Salutem mihi poſcite, fratres, aeternam ſalutem; non aliud praeterea, non aliud.* Quumque ante lectulum hinc Domini Salvatoris noſtri, inde SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli imagines collocari juſſiſſet, crebros in eas defigens obtutus, ad majorem Dei fiduciam, amoremque concipiendum mirifice excitabatur. Neque vero praetermiſere Patres, quominus ſinguli per ſingulas etiam noctes ordinata ſucceſſione illi aſſiſtentes, ut omne munus caritatis explerent, ſacra paſſionis Chriſti myſteria, aliaſque preces, quibus eo tempore fideles juvari ſolent, identidem legendo inſinuarent. Sed jam migraturus in coelum animus ſenſim e corporis vinculis ſolvebatur. Ergo reliqui confeſtim admoniti accurrunt Patres, ſimul ut morienti opem ferrent, ſimul ut exemplum ex eo ſumerent, unde & ipſi ſanctius vivere, & pariter mori diſcerent morte juſtorum. Ambiunt igitur undique morientis lectulum moeſtiſſimi, & prae dolore vix gemitus & lacrymas continent. Flaminius illius animum precibus ab Eccleſia inſtitutis Deo Sanctiſque commendandum ſuſcipit. Quo cognito, Caeſar nondum extinctis corporis ſenſibus, mente vero vivida, & erecta in Deum: *Ergo*, inquit, *ecce nunc tempus exultationis, & laetitiae: moriamur.* Tum protenſis, junctiſque in unum pedibus, & complicatis ſupra pectus manibus, optatum ex hac vita exitum anhelabat. Quumque interim preces a Sacerdote abſolverentur, ſingulis ille licet intermortuis vocibus reſpondere, vel certe annuere nitebatur, oblatamque ſibi B. Mariae Virginis imaginem, ac thecam reliquiarum oſculabatur. Tandem, appropinquante jam exitu, quum bonum certamen certaſſet, curſum conſummaſſet, fidem ſervaſſet, repoſitam ſibi juſtitiae coronam a Domino accepturus, claros in coelum intendens oculos, ubi jam mentem penitus locatam ac fixam habebat, plenus dierum, & operum bonorum, inter adſtantium preces & lacrymas placidiſſime efflavit animam anno poſt Chriſtum natum MDCVII. pridie kal. Julii, quae dies memoriae S. Pauli Apoſtoli, & B. Mariae in Sabbatho ſacer extitit, quorum ſe patrociniis jam totum devoverat. Poſt aliquot horas, quamquam ille morti proximus, honeſtate, ac verecundia motus, ne id fieret, poſtulaverat, ejus corpus partim inſpiciendi, partim exenterandi cauſa diſſectum eſt. Sacris indutum veſtibus ad ſequentem uſque Dominicam diem, dum omnia ad funus de more celebrandum neceſſaria pararentur, domi ſervatum eſt. Manſit vultus ejus adeo ſerenus, ac laetus, ut coeleſtem ipſius animi beatitudinem indicaret. Manus caeteraeque corporis partes candidae, molles, ac tractabiles, quaſi pueri: ipſa totius corporis ſpecies adeo venerabilis, & majeſtate plena, ut jam tum ſpirare videretur intuentium oculis

Digitized by Google

lis ſanctitatem antiquorum Patrum. Erat Caeſar corpore quidem nec obeſo, nec gracili, ſed quadrato, itidem procero, & robuſto, ſed jam diuturnis laboribus extenuato. Caput ejus capillis plenum, natura quidem nigris, ſed ob ſenectutem & curas candidis. Frons ampla, & rugis exarata, oculi caerulei, denſa ſupercilia, naſus ad aquilinum vergens, barba plenior, & incultior: color faciei candidus, & illa honeſta, & liberalis. Totum denique illius corpus aptiſſimum quoddam erat excelſi animi domicilium; animus vero ſedes divinae ſapientiae, & ſanctitatis. Vulgata igitur illius morte, ingens confeſtim populi concurſus ad eum videndum excitatus eſt. Summi, medii, infimi, ſeculares, religioſi eum & inviſebant, & venerabantur, non tam memores ampliſſimae dignitatis, quam vel eruditionis eximiae, vel potius ſpectatiſſimae probitatis. Subibat intuentium animos eximia illius in Deum pietas, atque religio, Eccleſiarum cultus, invictum animi robur, zelus ardentiſſimus Catholicae tuendae Fidei, & Eccleſiaſticae libertatis, honorum & dignitatum deſpicientia, rerum humanarum, ac ſui ipſius mira contemptio, in victu & veſtitu parcitas, in perferendis laboribus conſtantia, prodiga fere liberalitas & miſericordia in pauperes, aliaque virtutum decora: quorum gratiſſima recordatione adeo tenebantur, ut ab illius intuitu divelli ac ſeparari vix poſſent. Accedebant, redibant, ſemel iterumque procumbebant in genua, ſacras corporis colebant exuvias, pia repetebant oſcula, lacrymas profundebant, tum acceptorum memores beneficiorum, tum Chriſtianae reipublicae orbitatem dolentes, tum illius in coelis opem precibus implorantes. Die Dominica a prandio, paratis jam omnibus, quae ad celebritatem funeris pertinebant, Patres albis induti veſtibus, & collucentibus cereis, Caeſaris corpus candida involutum ſindone e cubiculo in Eccleſiam deportant, divinos interim pſalmos rite concinentes, atque in ſublimi feretro, ut decebat, reponunt. Confeſtim ingens populi multitudo ad Eccleſiam concurrit: Cardinales ad juſta Caeſari de more perſolvenda conveniunt: ſublatum Chriſtianae reipublicae praeſidium & columen, & purpurei Senatus eximium decus univerſi lamentantur: nonnulli lacrymas addunt dolori. Presbyteri circa feretrum conſuetas pro mortuis precationes decantant. Quibus abſolutis, plurimi pietatis cauſa confluentes Caeſaris reliquiis ſacras coronas admovere coeperunt; quae res haud brevi finem fuiſſet habitura, niſi eos prohibuiſſent noſtri, quos partim modeſtia, partim tumultus imminens coercebat. Tandem ſub veſperam ſacrum corpus in Sacello S. PHILIPPI ſeponitur. Interea plurimi & graves viri tum ſeculares, tum religioſi, quibus nota & probata ſatis erat Caeſaris ſanctitas, ipſius reliquias, veluti inteſtinorum, capillorum, aut veſtium particulas, aut aliud hujuſmodi, enixe flagitabant; quas deinde obtentas & ſcilicet caras habebant, & pia veneratione complectebantur. Quarta poſt ejus obitum die corpus in arca plumbea, quam lignea tegebat, incluſum, ad ſiniſtrum latus arae maximae ſepultum eſt. III. idus Julii Presbyteri debitas illi exequias modeſto quidem pompae apparatu, ſed ingenti pietatis affectu perſolventes, ſolemne Miſſae ſacrificium celebrarunt. Interfuere Octavius Paravicinus, Franciſcus Maria Tauruſius, & Hieronymus Pamphilius Cardinales, aliique Romanae Curiae Praeſules, & multa piorum hominum frequentia. Inter ſacri-

ſacrificandum funebri oratione laudatus eſt a Michaele Angelo Buccio Romano, Congregationis Presbytero; quam orationem una cum aliis quibuſdam paullo inferius a nobis evulgatam legere poteris. Sed & Neapoli Congregationis Oratorii Patres Caeſari parentarunt, ejuſque laudes coram Philippo Cardinali Spinello, ac nobili civium corona, Hieronymus Binagus, illius Congregationis Sacerdos, eleganti proſequutus eſt oratione. Collegium quoque Romanum Societatis Jeſu egregium Caeſari pietatis gratique animi officium perſolvit, quod illius obitum partim recitata funebri oratione, partim publice conſcriptis carmiuibus honeſtavit. Henricus vero IV. Galliarum & Navarrae Rex Chriſtianiſſimus ob ſuum in Caeſarem amorem, & obſervantiam, dignas illius meritis, & regia ſua liberalitate exequias, quibus ipſe interfuit, Pariſiis celebrari voluit. Ac denique Chriſtiana omnis reſpublica, quae tanti viri fulta praeſidio laetabatur, enimvero ſe illo privatam ſentiens, ſuam ubique perdoluit calamitatem. Porro vix anno tranſacto quum Franciſcus Maria Tauruſius Cardinalis apud nos quoque ex hac vita diſceſſiſſet, eum juxta Caeſaris dilectiſſimi fratris ſui tumulum ſepeliendum curarunt Congregationis Presbyteri: atque hac occaſione biennio poſt Baronii obitum unum utrique monumentum, quod heic exſcripſimus, ad tantorum virorum memoriam poſteritati commendandam poſuere:

D. O. M.
FRANCISCO MARIAE TAVRVSIO POLITIANO
ET
CAESARI BARONIO SORANO
E CONGREGATIONE ORATORII
S.R.E. PRESBB. CARDD.
NE CORPORA DISJVNGERENTVR IN MORTE
QVORVM ANIMI
DIVINIS VIRTVTIBVS INSIGNES
IN VITA CONJVNCTISSIMI FVERANT
EADEM CONGREGATIO
VNVM VTRIQVE MONVMENTVM
POSVIT
TAVRVSIVS VIXIT ANNOS LXXXII.
MENSES IX. DIES XIV.
OBIIT III. IDVS JVNII
MDCVIII.
BARONIVS VIXIT ANN. LXVIII.
MENSES VIII.
OBIIT PRIDIE KAL. JVLII
MDCVII.

IN

IN FUNERE

CAESARIS BARONII

CARDINALIS

ET S. R. E. BIBLIOTHECARII

ORATIO

Habita in Eccleſia Vallicellana III. Idus Julii MDCVII.
a Michaele Angelo Buccio *Congr. Orat. Romani Presbytero ſeculari.*

FUneſtum & lacrymabilem illum diem mihi memoria repetenti, quo ſublatum nobis praeclariſſimum Eccleſiae Catholicae lumen Caeſarem Cardinalem Baronium lamentati ſumus, & ſepulcrales iſtas faces, exigua illius extincti ſolis indicia contuenti, renovatur, Patres ampliſſimi, infixus animo dolor, qui omnem fere adimit ad ejus dicenda praeconia facultatem. Verum non patitur tanti viri dignitas, neque grati animi debitum officium, neque veſtra haec in eum pietas atque benevolentia, me, licet in eo commendando longe imparem, at in diligendo nemini non parem, jam ſilere; ubi nulla neque gens, neque natio Chriſtianae reipublicae reperitur, cui non ſit ejus jucunda laudatio, cujus acerbae mortis magno ſemper erit cum dolore deploranda calamitas. Quamquam autem non ignoro materiae gravitatem, praeſtantiam judiciorum veſtrorum, exiguitatem ingenii mei, & breves anguſtias temporis ad cogitandum mihi datas, & ad loquendum; tamen non ſunt haec ejuſmodi, ut me a dicendo plane deterreant: quin potius vel jacentem animum erigunt atque confirmant. Quum enim in Baronio digne ut meretur exornando, ipſius eloquentiam video prorſus deſiderari, nec eſſe quempiam tanta dicendi facultate munitum, qui, ſi eum laudaturus accedat, poſt adhibitas eloquentiae ſuae vires, conſumptumque ſpatium longiſſimi temporis, non fateatur excuſationis veniam ſibi eſſe tribuendam; in eam ipſe ſpem adducor, fore, ut tantum mihi veniae pro veſtra benignitate concedatis, quantum & eloquentiſſimo cuique tribuere oporteret. Quod ſi ego a vobis me impetraſſe ſentiam, enitar quantum potero, ut ejus admirabilis vitae imaginem, ſi non expreſſam penitus, ſuiſque, ut par eſſet, coloribus exornatam, at certe delineatam leviter, adumbratamque cernatis. Igitur, ut inde potiſſimum exordiar, unde clario-

ra coepit indicia virtutum oſtendere, quae illum univerſo orbi notiſſimum reddiderunt; adoleſcens, poſteaquam optimis inſtructus artibus & diſciplinis, relictis patria & parentibus, Romam venit, divinoque impellente Numine, Beato parenti noſtro PHILIPPO ſe tradidit, a quo ſanctiſſimis inſtitutionibus ad Chriſtianam pietatem informaretur, tales in primis progreſſus in humilitate fecit, ut arripuiſſe potius eam, quam addidiciſſe videretur. Cernebat bonae indolis adoleſcens eximia in PHILIPPO exempla virtutum, & quem admirari ſatis non poterat, imitari pro viribus conabatur. Inviſebat eum frequentiſſime, adhaerebat ejus lateri, obſervabat in eo diligenter quidquid decerpere poſſet ad exornandum quaſi virtutum floribus animum ſuum. In quo quidem ei nunquam accidit, quod evenire in pleriſque ſolet, ut aſſiduitas familiaritatem, familiaritas contemptum faceret; ſed eum ita ſemper colebat quaſi parentem; ita admirabatur, quaſi quotidie novum cerneret. Exinde non multo poſt Chriſtianae perfectionis deſiderio incenſus, & divinae voluntatis explendae ſtudio inflammatus, totos tres annos aſſiduis precibus, lacrymiſque uberrimis a Deo flagitare coepit, ut, ſi quam vitae rationem amplecti ſe vellet, oſtenderet. Etenim de matrimonio cogitare ne quidem poterat. Religioſae vero aſperrimaeque vitae deſiderio quamquam vehementer afficiebatur; tamen latentes fortaſſe daemonis inſidias veritus, quid ſibi agendum eſſet, ignorabat. Tandem poſt multas effuſas preces, ut primum a PHILIPPO cognovit, eam eſſe Dei voluntatem, ut Eccleſiaſticam vitam in ſaeculo amplecteretur, continuo, non acquieſcendum carni & ſanguini, ſed S. Spiritus, qui bonae menti ſemper occurrit, voluntati omnino ſibi obtemperandum exiſtimavit. Quapropter divinae gloriae deſiderio, ſuaeque, ac proximorum ſalutis amore magis magiſque ſuccenſus, ſacris Ordinibus initiatus, & noſtrae tunc enaſcentis Congregationis alumnus effectus eſt. Quoniam autem intelligebat, optimam futuram fuiſſe humilitatis, Chriſtianaeque perfectionis acquirendae rationem, ſi quam animo conceperat PHILIPPO in omnibus obediendi voluntatem, perpetui voti ſponſione confirmaſſet; divino fretus auxilio, non praetermiſit vovere, quod cogitarat; & quod promiſit, implevit uſque adeo, ut nihil unquam aggrederetur, in quo PHILIPPUM & ſuae conſcium voluntatis, & ductorem operis non haberet: nimirum veluti graviſſimum piaculum verebatur, quidquid illo neſciente perfeciſſet. Ad illius vero voluntatem exequendam tam erat paratus, tam expeditus, tam celer, ut obtemperare prius ipſe, quam PHILIPPUS non dicam verbis, ſed nutibus imperare videretur. Quae animi celeritas non in iis ſolum peragendis, quae eſſent facilia, ſed in arduis quibuſque rebus ac difficilibus elucebat. Quarum plurimas licet afferre poſſem lectu ſcituque digniſſimas; tamen, quoniam enumerare omnia longum eſſet, veniam ad ea, quae praeclariora videbuntur, ejus humilitatis, contemptuſque gloriae teſtimonia. Haec vero quae tandem? Primum, quod Sacerdos factus, antequam ad ullum publici honoris gradum proveheretur, illud in animo fixum propoſuit, votiſque nuncupatis & iteratis (ut ipſe ad Clementem VIII. ſcribens teſtatur) ſaepe firmavit, ut in privato ſimplicique vitae genere optime inſtituto, & uſque feliciter ducto, bene praecinctus mundi contemptu, & expeditus uſque ad obitum permaneret. Itaque, licet ejuſdem Pontificis

tificis mandato ad ſuſcipiendam Protonotarii Sedis Apoſtolicae dignitatem non ſine magno dolore ac repugnantia fuerit pertractus; tamen, ubi ad ampliſſimum Cardinalatus gradum ab eodem Clemente ſe promovendum ſenſit, explicari non poteſt, quibus precibus, quibus gemitibus, quibus lacrymis, ut illam a ſe dignitatem averteret, elaborarit. Conſiderabat enim (ut ipſius verbis paulliſper utar) eminentem illam, ſublimemque omnibus abſolutam numeris ſanctitudinem vitae, quam exigit durus exactor ab eo, qui Cardinalis eligendus eſt; illud aſſidue mente volvens, quod Dominus comminatus fuerat, judicium videlicet ſubituros gravius atque durius, majoremque condemnationem eos accepturos, qui primas indigne cathedras occupaſſent: verebaturque vehementer terribilem illam manum hominis contra candelabrum in pariete publico, in ipſo Eccleſiae albo ſcribentis, ſtateram & pondera praeferentis, quibus expendendus eſſet quilibet ad Cardinalatus dignitatem aſſumendus, & tanquam adulterinus procul ejiciendus ac reprobandus quiſquis illis appenſus, inventus fuiſſet minus habens. Igitur haec ille, aliaque multa conſiderans, acerbiſſimo dolore angebatur, quum videret, a tutiſſimo privatae vitae portu ſe abſtrahi, & iis graviſſimis honoribus cumulari, quibus ſuſtinendis & imbecillis ſibi pro ſua humilitate, & indignus eſſe videbatur. Verum quanto magis repugnabat, tanto magis in ſe Pontificis ſtudium concitabat, & merebatur negando, quod eſſe nolebat; eoque dignior erat, quo ſe clamabat indignum. Quapropter per ejuſdem Pontificis familiares ſeorſum abreptus, & cubiculo clauſus, vixque tandem, ut audiretur multum rogans, admiſſus ante illius conſpectum poſt multam defenſionem, illud unum tantum ab eo reſponſum accepit, quod robuſta voce diram anathematis protulit ſententiam, ſi amplius reſiſteret, & niſi penitus acquieſceret. Cogitate, quaeſo, qua fuerit animi perturbatione perculſus, quum talis erumpens e coelo repente tanto fragore tonitrus, fulmen aeternae damnationis explodens, illius auribus intonuit. Quid hic faceret vir aeque obediens atque humilis? At propoſitam ſibi privatae vitae humilitatem diligebat. Reſiſteret? At plena illa terroris vibrata ſententia, ut prorſus acquieſceret, impellebat. Igitur non potuit ita ſubactus non manus dare; quamquam non aeque animum dedit, qui, ſi licuiſſet, etiam manus retraxiſſet, veluti alter Zara, maternum uterum (hujus ſcilicet Congregationis domum) repetere mallens, quam vinctus purpura progredi. Etenim (ut hoc etiam addam) tanto Congregationem hanc, veluti ſpiritualem matrem, amore proſequebatur, ut acerbiſſimum ſibi duceret ab ea, non dicam animo, ſed corpore dumtaxat vel ad breviſſimum tempus divelli. Quocirca in praefatione ſeptimi Annalium tomi, dum collatam ſibi Cardinalatus dignitatem deplorat, quid inter caetera dicat, attendite: *Tanquam abortivus ſum projectus ex utero, illo videlicet, in quo ſemel conceptus ſpiritu cupiebam formari in virum perfectum, nec exire, donec transferrer ad tumulum, ne oculus me videret. Maternum jure dixerim uterum domum illam, in qua poſt conceptionem illam meam coaleſcere cum fratribus meis, diemque extremum claudere abſque aliqua lucis uſura, fulgore videlicet cujuſlibet dignitatis, in mentis firmo propoſito erat.* Ex quibus verbis apparet non ſolum ejus erga Congregationem hanc amor & ſtudium, ſed &

quam humilitatis appetens, & quam ab honoribus eſſet alienus. Jam vero, ut ad reliqua progrediamur, ad ſublimem Cardinalatus dignitatem evectus, an priſtinam illam, & eouſque ſervatam deſeruit humilitatem? an laxiora defluentis purpurae ornamenta circumferens, eorum aſſiduitate intumeſcere animo coepit? an exoptare ſupremam illam uno jam gradu proximam culminis Pontificii dignitatem? Tantum abeſt, ut haec effecerit; ut potius toto reliquae vitae ſuae tempore nihil aliud magis, quam Cardinalem ſe eſſe conquerens, miſero ſibi datam lucem doleret, quum tolerare illius honoris munera cogeretur. Fatebatur, nihil ſibi gratius in vita accidere poſſe, quam ſi graviſſimum illud onus aliquando deponeret: tum demum ſibi videri, coelo pedem ſe illaturum fuiſſe, quum ad ſuum private vitae ſtatum rediens, Cardinalis eſſe deſiiſſet; id quod non ſolum multis a Deo precibus, ſed etiam ab ipſo Pontifice flagitavit. Nihil enim ea dignitas illi novum afferebat, niſi, ut, quum prodeſſet quidem pluribus, ſibi magis metueret, ne illa ſibi a Deo pro laborum ſuorum mercede tribueretur. Atque hinc illud extitit, ut ſubito Cardinalis factus, divinae majeſtati voto promiſerit, nihil ſe unquam facturum, quo viam ſibi patefaceret ad Pontificiam dignitatem conſequendam: quod deinde ſic praeſtitit, ut potius ea geſſerit, quibus intercludi ſibi ad illam aditum ſentiebat. Nimirum, non a conciliata ſibi Regum ac Principum gratia, non ab humanis, quaecumque illa eſſent, praeſidiis, ſed a ſolius Dei cupiebat voluntate pendere, ſi quid tandem honoris ſibi aliquando contingere potuiſſet: quum interim non id quaereret ipſe, ſed fugeret; imo vero, ut Helias aquam ad ligna flammis de coelo deductis comburenda, ſic ille ad dignitates arcendas contraria, quantum in ſe ipſo erat, apponeret: ſua videlicet animi demiſſione contentus, & ab omni cupiditate gloriae remotiſſimus. Atque haec humilitatis virtus ut in eo maxima, ſic ſemper aliarum fuit foecunda parens cuſtoſque virtutum: in quibus profecto ſic enituit, ut, ſi explicare ſingulas vellem, vix ad finem poſſet oratio pervenire. Quid enim dicam de effuſa illa in eleemoſynis erogandis largitate, cujus illud praeclarum adhuc adoleſcens indicium praebuit, quod, ut cujuſdam familiae egeſtati ſubveniret, quam audierat a concionatore populo commendari, quum nihil aliud tunc, praeter tria ſolum haberet induſia, quae a parentibus nuper acceperat, ea in eleemosynam libentiſſime tradidit, alienae magis conſultor inopiae, quam ſublevator ſuae? Quid dicam de eleemoſynis, quas deinde Cardinalis creatus admirabili caritate largitus eſt? Hac ſanctorum Martyrum Nerei & Achillei Eccleſiam penitus collapſam reſtituit. Hac S. Gregorii cognomento Magni Templum exornavit; Sanctae Sylviae ejuſdem Gregorii matris memoriam erexit atque illuſtravit. Hac Religioſis Franciſcanae Familiae fratribus, quos *Capucinos* vocant, Sorae monaſterium a fundamentis extruxit. Hac puerorum, ac puellarum, quae *diſperſae* nuncupantur, patrocinium ſuſcepit: religioſorum coenobiis ea, quae ad victum neceſſaria erant, frequenter ſuppeditavit: virginibus Deo dicandis dotes impertivit: inopes, ac praecipue peregrinos humaniter hoſpitio excepit ac ſubſtentavit: ut propterea mirandum non ſit, eum ſua fere omnia tam celeriter in eleemoſynam tribuiſſe; quandoquidem, ſi potuiſſet, multo plura caritate compulſus, libentiſſime erogaſſet. Age jam

quid

Digitized by Google

quid dicam, tantam illius erga ſe in iis, quae ad corpus pertinent, extitiſſe ſeveritatem, ut vel graviſſimis defeſſus laboribus nunquam ad ſatietatem, vix ad neceſſitatem ſomnum caperet, & quatuor tantum, aut quinque ad maximum contentus horis, reliquam noctem ſomno quidem vacuam, ſed orationibus ac ſtudiis plenam traduceret? Mitto, quod is erat in ejus veſtitu ac ſupellectili modus, ut etiam in Cardinalis dignitate conſtitutus, indumentorum elegantiam, & domeſticorum parietum ornamenta repudiaret. Taceo autem in cibo potuque parſimoniam, qua, ut ad laborum curſum perficiendum expeditior eſſet, utebatur. Non dicam piam illam conſuetudinem urbis xenodochia mane ac veſpere adeundi, a B. PHIIPPO ſibi olim impoſitam, & a ſe per novem annos adeo ſine ulla intermiſſione ſervatam, ut ne febri quidem laborans ab ea unquam deſiſteret: in quo illi non raro divinitus accidit, ut deinde domum incolumis ac bene valens reverteretur. Non commemorabo aſſiduum illum atque conſtantem in excipiendis confeſſionibus, & in ſermonibus ad populum ter, aut quater in hebdomada per quadraginta & amplius annos habendis laborem ac diligentiam; in ſacroſancto Miſſae ſacrificio quotidie celebrando religionem, erga ſanctiſſimam Virginem Dei Genitricem Mariam eximiam pietatem, erga beatos Apoſtolos Petrum & Paulum animi ſtudium, & in eorum Baſilica quotidie inviſenda admirabilem per multorum annorum ſpatia perſeverantiam: a quo pietatis officio nec aeſtivi ſolis ardoribus, nec glacialis hyemis, ventorumque aſperitate retrahebatur. Omitto ejus in rebus opportune gerendis prudentiam, modeſtiam in proſperis, in adverſis fortitudinem, in omnibus coeleſtis praeſidii fiduciam, & ſtabilem cum ipſius Dei voluntate conſenſum. Illum velim, Auditores, vobis ante oculos inſpiciendum ponatis aeſtuantem divinae gloriae zelum, & in Eccleſia Catholica defendenda amplificandaque ſtudium ſingulare, quo ſic perpetuo flagravit, nihil ut unquam eſſet, aut reperiri poſſet tam arduum, tam laborioſum, tanta periculorum multitudine vallatum, quod ei ſuaderet aliquando, ut faceret, aut diſſimularet, aut praetermitteret, quod pro divini nominis gloria, Eccleſiaeque dignitate tuenda, omnino ſibi agendum eſſe judicaſſet. Hinc Chriſtiana illa, & Apoſtolico viro digna in loquendo ſcribendoque libertas; a qua invictum ejus animum non dicendae veritatis admiranda novitas, non inanis hominum timor, non vanae ſpes, non indoctorum dicta, vel facta, non adverſantium ora vultuſque retardare potuerunt. Intelligebat enim, verbis ſuis vetuſtiorem eſſe veritatem, eamque rebus omnibus, quae caducae ſunt, antiquiorem ſibi eſſe debere; neque dubitandum, quin illa ſemper de ſuis hoſtibus triumphum eſſet glorioſiſſimum reportatura. Et hic ejus veritatis amor, & Eccleſiae Catholicae, quam ſibi veluti cariſſimam ſponſam electam dilectamque tueri cupiebat, zelus ardentiſſimus tantum illi ſuppeditabat acumen ingenii, tantam verborum ſententiarumque gravitatem, ut adverſus Eccleſiae inimicos non verba dicere, ſed fulminare, non ſcribere, ſed tela jacere, eoſque altius cruentare atque interimere videretur. Heic ego, Patres ampliſſimi, de illius Annalibus pauca dicturus, rogo obteſtorque vos, ut pro veſtra benignitate paullo attentius audire non gravemini. Neque vero orationem meam, quae ad finem accedit, in referendis Beato parenti noſtro PHILIPPO gratiarum actionibus inſumam, quas illi Baronius

nius in octavo ſuorum Annalium tomo uberrimas refert; quippe quod in iis conſcribendis eum habuerit ob iteratas ſaepe juſſiones auctorem, impulſorem ſemper aſtantem operi, urgentem praeſentia, inſtantem verbis, & quaſi quotidiani penſi atque operae exactorem: neque in laudanda illorum veritate, ordine, ſtylo, multitudine, quos ille quamquam innumeris tum publicis, tum domeſticis occupationibus detentus, nemine collaborante perfecit, ac ſepties in Oratorio noſtro (ubi quotidie, excepto ſabbatho, quatuor ſermones a noſtrae Congregationis Sacerdotibus habentur) repetivit. Sed hoc uno contentus ero, ſi, quantum inde utilitatis in Eccleſiam Catholicam promanavit, breviter demonſtravero. Itaque reducite quaeſo vobis in memoriam ſceleſtos illos ac nefarios haereticorum impetus, quibus olim in Eccleſiam invadentes, vel proſternere penitus eam, ſi potuiſſent, vel certe graviter affligere conabantur. Quantum elaborabant, & iniquis machinationibus ac dolis moliebantur, ut divinum verbum, & ſacrarum hiſtoriarum antiquitatem perverterent, aut abolerent, conſarcinatis ab ineunte Eccleſia uſque ad pleraque ſaecula centuriis, unde expugnari antiquarum traditionum veritatem poſſe ſperabant? Quid non egerunt, ut ſanctae Romanae Eccleſiae Catholicae poteſtatem omnem vel funditus everſam, vel maxime debilitatam atque imminutam viderent? Verum, quod fuit Eccleſiae Catholicae gaudium, quae laetitia, quum vidit, ex adverſo conſurgere noſtrum hunc ducem anteſignanum Caeſarem Baronium praelia Domini praeliaturum, eaque victoriae monumenta praeferentem, Annalium, inquam, volumina, quibus veluti objectis lapidibus & laborantem tueretur Eccleſiam, & confractis inimicorum telis, eiſque penitus debellatis, triumphale carmen, tota ſibi Eccleſia gratulante, decantaret! In quo quidem certamine qualem ille victoriam eſt conſequutus, niſi eam, quam exoptabamus univerſi? Nam, ſi Apoſtolicas traditiones, & legitimos Eccleſiae ritus ita explicatos & jam illuſtratos eſſe gaudemus, quis magis & explicuit & illuſtravit, quam Baronius? Quis ſacras pleraſque Synodos in occultis tenebris delitеſcentes, & ob praepoſterum ordinem, vel altum ſilentium, haud ſatis manifeſtas, accuratius conquiſivit, & quodammodo redivivas fecit, quam Baronius? Quis praeterea Sanctorum Martyrum res praeclare geſtas, labores, victorias, & ſuo ordine apte diſpoſuit, & majore veritatis luce colluſtravit, quam Baronius? Denique quis ejus doctiſſimos evolvat Annales, qui expreſſum ubique non videat acerrimum Catholicae Fidei propugnatorem, defenſorem antiquitatis, haereticorum malleum, veritatis cuſtodem, vindicem Eccleſiaſticae poteſtatis? O virum aeterna memoria digniſſimum! qui ea facere potuiſti, quae ſemper omnis aetas admirabitur, quae poſteritas alet, quae vigebunt immortalitate omnium ſubſequentium ſaeculorum.

At quid nunc mihi animum concutit? Dicam, an taceam? En converſum eſt in luctum gaudium noſtrum, & extrema gaudii luctus occupat. En, quod mortale fuit, periit: quod nolebamus, advenit. O deplorabilem tanti viri jacturam! O acerbam mortem, quae tantum nobis praeſidium ſuſtuliſti! Ubi nunc, Auditores, caput illud ob antiquam caeſariem reverendum, refertiſſimus ſapientiae theſaurus, rerum omnium geſtarum abſolutiſſima bibliotheca, vivumque compendium? Ubi illa manus,

nus, quae tot antiquorum ſcripta evolvere, tam laborioſum ac immen-
ſum eruditiſſimorum Annalium opus inchoare, ac fere ad extremum per-
ducere terminum potuit? Ubi, inquam, manus illa, quae duodecim Anna-
lium tomos dum extruxit, totidem videtur in Eccleſia militanti poſuiſſe
coeleſti illi civitati conſimilia fundamenta? aut certe quemdam quaſi hor-
tum deliciarum, in quo pacis tranquillitate donatis ſolatium capere, &
varios jucundiſſimoſque decerpere liceat ſapientiae flores? aut denique
turrim fortiſſimam videtur erexiſſe militaribus praeſidiis communitam,
uude belli tempore adverſus Eccleſiae Catholicae hoſtes arma ſumere, ac
ſtreuue dimicare poſſimus? Ubi totius corporis dignitas, qua veluti quo-
dam venerabili iudumento excelſus ille animus veſtiebatur? Ubi Sol ille,
qui totam illam illuſtrabat Eccleſiam? Ubi columna illa ſolidiſſima, cujus
firmitate Catholicae Eccleſiae domus fulciebatur? Proh dolor! Occidit Sol,
obſcuratus eſt ſplendor ejus, retraxit lumen ſuum; & quae ſteterat co-
lumna, jam concidit. Et poterit nunc quiſquam noſtrum, Auditores, in
aedificio domus Eccleſiae coagmentatus, ejuſdem Fidei caritatiſque con-
junctione compactus, non ſentire tam gravem caſum, non contremiſce-
re, non commoveri? Poterit hoc univerſa civitas, cui tanti viri conſpe-
ctu & colloquio frui jucundiſſime licuit, non deplorare, non conque-
ri? dum exterarum regionum incolae, ad quos ejus ſolum ſcripta famaque
que pervenerant, auditam dumtaxat illius aegrotationem ſic lamentaban-
tur, ut quas Romam ſcribebant litteras plenas doloris, non tam atra-
mento exaratae, quam fluentibus lacrymis conſcriptae eſſe videreutur.
Quod ſi eos tantus ex illius morbi fama dolor invaſit; quae ſuſpiria, quas
lacrymas, quae doloris ſunt argumenta praebituri, quum intelligent Cae-
ſarem Cardinalem Baronium, ſibi amantiſſimum, morte ſublatum? Er-
go nos non commoveamur animo praeſentes, quando qui longiſſime abſunt,
una cum Baronio quodammodo conciderunt? Vereor ſane (quod fere
pudet me dicere) ne ab exteris ut dolore, ſic & amore ſuperemur: ni-
mirum neſcio quo modo minoris facere videamur propria, quae maxime
ſuſpiciunt alieni. Deus immortalis! quas voces, quos gemitus exaudire-
mus etiam mortuorum, ſi illi quoque vociferari, & nos illorum ſo-
nos auribus percipere valeremus? Imo vero quid ego mortuos com-
memoro? Imagines quoque (ſi fas eſt dicere), Templa, antra, ſolitudiues,
lapides ipſi, ſi poſſent, conclamarent, debitas videlicet Baronio exequias
perſolutura, a quo ſuam quam habent in hominum memoriis vitam, ſe acce-
piſſe teſtarentur. Et poterit quiſpiam noſtrum ne ſignum quidem debiti dolo-
ris oſtendere, quum eum amiſerimus, qui ſuis tum exemplis, tum ſcriptis ad
Chriſtianam Fidem pietatemque mirifice impellentibus ſpiritualem gratiae
vitam plurimis in Chriſto genitis filiis Deo adjuvante largitus eſt, genitos
aluit, & ad aeternam vitam felicitatemque tranſmiſit? Quid? quod im-
maniſſimi Catholicae Fidei hoſtes triumphare ſibi gaudio nunc videntur,
quod Baronium amiſerimus: nos vero, quibus inimicorum noſtrorum laeti-
tia dolor eſſe debet, ea carebimus pietate, ut neque de nobiſmet ipſis
doleamus? Neſcio quid jam amplius dicam, Auditores. Dolere vos qui-
dem pro tanti viri amiſſione, ut par eſt, & veſter hic luctus oſtendit,
crediderim. Ego vero, dum id vobis perſuadeo, ita me afflictum ſen-
tio,

Digitized by Google

tio, ita debilitatum, ut plane neceſſe ſit lenire paullulum dolorem meum. Verum in quo tandem me ipſe conſolabor? Laudavi Baronium, quia talem habuimus, qui digniſſimus fuit, ut omnium ore laudetur. Dolui, quia eum amiſimus, quem nobis utiliſſimum ſentiebamus. Jam vero quid ſupereſt, in quo recreari animus poſſit? Num cogitabo eum hac lege natum, ut mori aliquando debuerit? Sed conſolatio haec eſt pervulgata maxime, qua una ſe a luctu temperare ſolent etiam ii, qui ſpem aeternae vitae non habent. Eo me igitur ſolatio conſolabor, quod illud in coelis praemium te percepiſſe arbitror, Baroni, quod tuis optimis virtutum meritis debebatur; quippe quum talis mors tua fuerit, quae bene anteactae vitae cumulate reſponderit. Etenim, Auditores, poſtquam certum mortis ſuae tempus ſingulari Dei beneficio praenoverat, quod etiam in quibuſdam ſchedulis notatum reliquit, ac ſaepe praedixit, quamquam extremum illum diem ſemper in omni vita meditari conſueverat, ita ut non in mente ſolum, ſed etiam in ſigillo, quo litteras obſignabat, mortis imaginem retineret impreſſam, & quidquid audiret, quidquid loqueretur, quidquid ageret, perenni mortis judiciique meditatione condiret; tamen, ut ad eam nonniſi paratiſſimus & quaſi expertus accederet, ſingulis diebus, precibus ab Eccleſia inſtitutis, ſpiritum ſuum Deo Optimo Maximo quaſi quotidie moriturus] commendabat. Itaque appropinquante jam morte, quam a ſe diu expectatam laetus excepit, quum corporis viribus ob diuturnos labores & inediam penitus exhauſtis jaceret in lectulo, perpetuam illam cogitans aeternitatem, & dulciſſimum Jeſu nomen identidem repetens, Sacramentis omnibus pie ſuſceptis, intentis in coelum oculis, poſt diem feſtum Sanctorum Petri & Pauli, ſub eorum patrocinio placidiſſime efflavit animam, & , ut confidimus, in beatiſſimam illam coeleſtium animorum patriam evolavit. O te felicem, cujus bene actam vitam felicior mors, mortem vero feliciſſima vita conſequuta eſt! Hoc meum eſt gaudium, hoc levamen doloris mei. Quod in te fuit immortale, mors ulla non laeſit; &, quod mortale ſurripuit, illud eſt glorioſius redditura. Quamquam non hoc uno dumtaxat animi mei laetitia continetur; ſed illud accedit, quod nos, & univerſam Eccleſiam ſicut vivens in terris ſummopere diligebas; ita ſperandum eſt fore, ut in coelo jam poſitus, tuis apud Deum precibus multo magis, quam antea, protegas atque defendas. Noſtrum nunc eſt, Auditores, ut moeſti de illius diſceſſu, laeti de felicitate, non ſolum ejus memoriam ſumma cum caritate celebremus, ſed egregias virtutes, quibus in aeterna luce conſtitutus, & cum Deo ipſo conjunctus eſt, ſic imitemur, ut ipſi tandem aliquando ex labore ad quietem, ex caligine ad lucem, ab exilio hoc miſero ad feliciſſimam patriam, ab hac funeſta lacrymarum valle ad ſupernas beatorum civium ſedes commigrare valeamus. Amen.

JOAN-

Digitized by Google

JOANNIS BAPTISTAE MUCANTII

IN FUNERE

AMPLISSIMI CARDINALIS

CAESARIS BARONII

Ad Sacrum Cardinalium Senatum

ORATIO

ANNO DOMINI MDCVII.

UTinam, Patres ampliſſimi, collegae veſtro Caeſari Baronio, nuperrime vita functo, potius viventi obſervantiam, quam mortuo hujuſmodi pietatis officia poſſem impendere! Et ſaue ad id optandum tanti Principis interitus, & Chriſtiani orbis inſignis jactura me jure compellunt. Cecidit enim ſolidiſſima illa Catholicae Eccleſiae columna; deſtructum eſt excellentiſſimarum virtutum theatrum; obſcuratus eſt ſplendor ſolis; tegitur humo aſſiduus ille atque acerrimus haereticorum inſectator; ereptus, ereptus eſt nobis Chriſtianae vitae candidiſſimum lumen, pater ille pauperum, cuſtos egentium, ejectarum collector, miſerabiliumque virginum conſervator. Undique dolor, undique lacrymae. At quoniam Baronii, id eſt ſingularis ordini veſtro decoris aſpectum delibare amplius non poſſumus; utamur ſaltem voce ſapientis Regis: *Si deficit lux noſtra, cur non ploramus?* Oportet itaque tum more hac tempeſtate uſitato Romae, tum uſque a temporibus Bruti, primorumque Conſulum inſtituto (ſi in mortuum pii videri volumus) lacrymis proſequi hoc munus exequiarum. Verum quoniam ad tanti funeris laudationem ſubſtinendam quum nec mihi eloquentiae, nec ingenii vires ſuppetant ſatis, perdifficiliſque ſit haec dicendi provincia, quam non bene actum iri metuo; ſufficite vos, quaeſo, optimi Patres, per voluntariam in eum pietatem quidquid deeſt, communem omnibus fortunam deplorando. Dicam igitur de homine, quem, non majorum imagines, ſed incredibiles ſuae virtutes, copiaque & magnitudo rerum ab ipſo ſancte, pie, & magnifice pro Chriſti religione geſtarum commendant. Nam ſi quando gloriantur homines, ſe a majoribus ſuis ſplendorem dignitatis, ac me-

Digitized by Google

moriam nominis accepiſſe ; quanto illuſtrius erit Baronii nomen, quod & poſteris nobilitatis fuit initium, & virtutis exemplum ? Quocirca pueritiae omiſſa conſideratione, quum illa in homine vera humanae vitae pars eſſe haudquaquam poſſit, ſitque omnino dedita nugis, nullamque rerum habeat cognitionem, & quidquid agit, pueriliter agat, eoque minus in Caeſare inter tot adeo luminoſas atque praeclaras virtutes videatur conquirenda, eſſe mihi primum agendum cenſeo, Patres ampliſſimi, de adoleſcentiae flore, quem aetatis anno circiter duodevigeſimo ad Congregationem probiſſimam (*Oratorii* appellant) non ſine maxima admiratione omnium atque utilitate exorientem contulit Caeſar. Ibi ſub diſciplina potiſſimum B. PHILIPPI Nerii per eximiam diligentiam ac ſtudium omnis Baronii vita fuit perpetuo munita. Illinc enim philoſophiam Chriſtianam optimis jam artibus ac diſciplinis inſtructus Caeſar adoleſcens hauſit, quum a B. PHILIPPI latere nunquam diſcederet, obſervaretque illum ſedulo, & aliquid novi ſemper tam diſceret, quam videret, expeditiſſimum denique praeberet ſe ad illi obediendum. Quo minus mirari licet, a tam ſancto & pio magiſtro tam ſanctum ac pium Principem prodiiſſe ; quoniam ſic homines optime ducuntur, quemadmodum magnus ille Alexander milites ſuos ad graviſſima duxit : quinimo feliciorem idcirco Cardinalem Baronium Philippo Macedonum Rege praedicabimus ; quoniam Diis Ille gratias agebat, quod Alexander ſuus filius Ariſtotelis tempore, a quo inſtitueretur, natus eſſet ; at quantas nos in praeſentia, ad quos iſtius nobiliſſimae arboris fructus uberrimi pervenerunt, ſummo parenti Deo gratias agere debemus, quod effecerit aliquando, ut talem Baronius habuerit praeceptorem, pluſquam ſi ad Platonem, Ariſtotelem, vel ſapientem alium ſe contuliſſet ? Hinc fuit Chriſtianae vitae perfectum faſtigium conſequutus ; id quod univerſo orbi notiſſimum Baronium reddidit. Hinc admirabilibus circumfulſit virtutum radiis a PHILIPPO profectis. Hinc beati Patris juſſu doctiſſimos Annales aeternitati conſignavit. At, quod omnes in illo flexu aetatis maxime admirabantur, nihil culpae apud Caeſarem, nihil otii, nihil ſocordiae unquam reſedit ; ſed in perpetuis, honeſtiſque laboribus fuit diligentiſſime occupatus. Idcirco non ſaepe per urbem conſpiciebatur, quum domi in ſapientiae ſtudiis diu noctuque detineretur ita, ut vix neceſſarium ſomnum capere ipſum conſueviſſe accipiam : quinimo, quum mutatio laboris eſſet ſibi ſuſcipienda, eam pro otio & intermiſſionis loco eſſe arbitrabatur. Nemo Caeſarem tunc vidiſſet, niſi cum PHILIPPO verſantem ; nemo illum, niſi perpetuis vigiliis, ſtudiis, ſacriſque rebus praepeditum inveniſſet ; nemo, inquam, Baronium tempus terentem, ſed aut divinis peragendis attentum, aut ſupplicantem Deo ut a ſenſibus alienatum, vel audiendis confitentibus, ſive concionibus habendis, aliiſque in operibus a PHILIPPO inſtitutis perſolvendis mancipatum deditumque offendiſſet ; ita ut cuilibet ſit exploratum, eum nullam horae partem (exceptis quatuor illis, aut quinque ad ſummum horis, quibus contentus erat) etiam in delectatione conſentanea vacuam obiiſſe. Quapropter ex hoc non obſcure poſſumus intelligere, Cardinales ampliſſimi, quam diverſi ſint hominum mores ab illis, qui mortalis vitae voluptates contemnunt, atque, quod ait Apoſtolus, mundo omnino ſunt mortui. Scilicet ex Prophetae verbis optime cogno-

gnoverunt, nefas eſſe, ſapientem gloriari ſapientia ſua, fortem fortitudine, divitem divitiis; ſed tantummodo gloriari oportere, quod noverint Deum, qui nec falli, nec fallere quemquam poteſt. Porro qui tempus in ſolatiis, deliciis, vaniſque cogitationibus, ac voluptatibus terunt, ii ſane habent nihil, quo veluti admoto calcare veram ad gloriam incitentur: nam ipſa gloriae cupiditas in hujuſmodi hominibus ſemimortua videtur; imo potius miſera illa obſcoenarum voluptatum ſervitute detenti, de acceptis tot a Chriſto vitae parente beneficiis aut nunquam cogitant, aut male: quin deterius illud accidit, ut millies quotidie ſupremum Numen offendant, gratique animi vice plurimas illi injurias inferant. Hinc merito Peripateticorum princeps voluptates docuit recedentes, non autem venientes, conſiderandas eſſe: in iis enim ſi aliquantulum homo irretitus inſiſtat, procul dubio, veluti piſcis hamo, captus detinebitur. Atqui, ut tempus illud, quo invicta Baronii virtus in aevi perituri tenebris eluxit, mecum recognoſcatis, Patres ampliſſimi, animo tantiſper ejus Annales quaeſo ponderate: ita enim diligenter docteque iſte Cardinalis (quemadmodum omnes noverunt) ſacram hiſtoriam ſcripſit, ut non modo Theopompos illos, Ephoros, Herodotos, Xenophontes, alioſque Graecos complures, qui res omnes ſingulorum annorum eruditiſſime ſcriptitarunt, aequaverit, ſed etiam longe ſuperaverit. Non eſt omnium (inquit ille) hiſtoriam ſcribere, ſed tantum eloquentiſſimorum quorumdam, qui res & narrent, & inſuper exornent. Idcirco quum optime praevideret B. PHILIPPUS, operae pretium eſſe, ut res antiquitatis obſcuriſſimae, quod praeſertim graviſſimae eſſent, dilucide exponerentur, id laboris Baronio, quaſi divinae voluntatis exactor, impoſuit. Erit, erit itaque opus illud poſteris, Illuſtriſſimi Patres, omnino laudabile; nulla tacebit de Baronio poſterorum memoria; ſemper ejus volumina ſummo in honore apud omnes habebuntur; nec illa niſi cum maxima admiratione evolvet quiſquam: poſtremo unum Caeſaris nomen, una gloria, una laus erit in ore univerſorum. Quare non immerito dictum ab illo Poeta accepimus:

Facta ducis vivent, operoſaque gloria rerum
Haec manet, haec avidos effugit una rogos.

Nec video, Patres ampliſſimi, quomodo quiſpiam poſſit non admirari tot Martyrum immenſos labores, vexationes, tormenta, inſectationes, neces, atque victorias, tanta rerum copia, & ſententiarum varietate deſcriptas atque collectas, ſi ea collegit, ſcripſitque Baronius. Sanctorum hiſtoria, quae Martyrologium dicitur, adeo venuſte diſpoſita atque elucubrata, cui non admiranda videbitur? Sacras ibidem traditiones, rhetorico pene more declaratas, quam cupide legimus? Divinas Synodos, temporum antiquitate obſcuratas, nunc illuſtratas, quanta cum jucunditate videmus? Orthodoxam demum religionem inter maximos haereticae perfidiae furores ſuis ſcriptis, tanquam fulminantibus propemodum telis, quam ſtrenue non modo tectam inviolatamque praeſtitit, ſed, ut cum ſummo honore regnaret, effecit? Enimvero, Patres ampliſſimi, fractus hic nunquam, aut ſtudiis debilitatus eſſe videbatur;

Q 2 quin

Digitized by Google

quin potius Chriſtianam religionem defendendi, ac propagandi deſiderio perpetuo flagrabat mirum in modum. Sed vero, dum haec, quae Caeſar Cardinalis Baronius per novem & ſexaginta annos adeo laudabiliter geſſit, curſim delibo, par eſt, non modo inſignem illam admirabilemque temperantiam, quae regit juventutis impetus, inſatiabiles cupiditates, inanem divitiarum oblectationem, dominandi gloriam, libidinoſas voluptates, omniaque vitia, in quae frequenter incidit juventus intemperans, expellit, ſed etiam in cibatu tanti viri parſimoniam ne omittamus. Eſt enim, inquit Tullius, libidinum illa inimica, per quam animus denaſcentes inter delicias impuros tot appetitus in ſua tenere poteſtate, ac refrenare diſcit. Ideoque quum aliquis refertus epulis potuque reperitur, nonne ipſe humanae conditionis penitus oblitus, quidquid agit, libidinoſe, incontinenter, inhoneſteque agere communi uſu comprobatur? Profecto, ut ait quidam, tantum cibi ac potionis adhibendum eſt, ut reficiantur vires, non opprimantur. At Baronius cibi abſtinentiſſimus fuit tum in privata vita, tum in ipſa dignitate purpurea; atque in delicatis epulis comprimendis diligentiſſimus, ad corpus alendum neceſſario tantum cibo utebatur. Conſiderabat enim optime, eminentem illum atque ſublimem ſibi invito delatum honorem, qui ſolet augere delicias, perniciem iis, qui nimio luxu utuntur, afferre: nempe quum animus noſter immortalis ſit a Deo inventore veritatis & magiſtro vitae creatus, ut tandem aliquando ſuprema illa feliciſſima ac ſempiterna gloria fruatur, non debet ſpem ſuam in re tam vili, ſeque indigna, ut ſunt illecebrae ſenſus, voluptates ponere, neque ultimi exitus immemor, veluti in ſumma felicitate, in ſordibus jacere; quum proprium ſit illi coeleſtia appetere, & quae temperata, honeſta, atque cum virtute conjuncta videantur, ſequi. Jam vero, Patres ampliſſimi, coeperat locus virtutibus patefieri, quoniam ita ſibi Baronius Clementis hujus nominis Octavi Pontificis optimi atque beatiſſimi ſingularem benevolentiam conciliaverat, ut ille eum primo omnibus viribus repugnantem Sedis Apoſtolicae Protonotarium declaraverit, ac deinde approbantibus omnibus in hunc veſtrum Chriſtianae reipublicae Senatum adſcripſerit. At quam animi commotionem in hoc firmamento religionis (quod eſſet a propoſita ſibi privatim vivendi ratione avocandus) excitatam tunc eſſe arbitramini? Vix praevidit, ſe in ampliſſimum ordinem cooptatum iri, quum flens ad omnium preces confugit, quos ſuppliciter obteſtabatur, ut vellent Chriſtum dominum, humani generis reparatorem, iratum ſibi quodammodo placare, quod ſcilicet talem ab eo honorem, aut potius, ut ipſe nominabat, graviſſimum onus averteret, quo ſe indignum eſſe palam profitebatur. Atqui quo indigniorem ſe coram Deo & hominibus praedicat, eo dignior exiſtimatur Baronius, parique gratia & auctoritate apud eumdem Pontificem valet. Factus eſt igitur Cardinalis, non quaerendo, ſed fugiendo, non petendo, ſed merendo, non denique ambiendo, ſed pro ſacra anathematis comminatione obtemperando. En quantum bonorum voluntas ab improborum miſerrima ambitione diſtat. En ut vere Chriſti imitatores facultates, honores, dignitates non expetunt, vel contemnunt. En quam longe ab iſtis abeſt improvida quaedam regnandi cupiditas homuncionum, qui nihil cogitant,

nihil

Digitized by Google

nihil moliuntur, nihil agunt quam ut tandem aſſequantur, quod ſequuti ſunt maximis vigiliis ac laboribus, & quod infinita aſſentatione captarunt. Nimirum ſummam felicitatem, quae quidem eſt ſumma ſtultitia, eam eſſe ducunt, cum quis aliquo in honore poſitus, undique ſe famulis, divitiarum magnitudine, deliciiſque circumdatum videt: ſtultum nempe vulgus feliciſſimum eum appellat, qui multas poſſidet facultates; qui vero nullas, infeliciſſimum. Ergo, ut eo revertar, unde ſum digreſſus, quemadmodum Quinctio-Cincinnato agrum colenti dictaturam olim Romanam antiquitas attulit, ſic Baronium in vinea Chriſti laborantem ad purpuram ſapientiſſimus Paſtor evexit: & ſicut ille recuſavit aliquando ſibi conſulatum continuari, ita Baronius hunc honorem, quem ſuorum laborum hac in vita mercedem eſſe vocabat, a ſe abdicare ſaepius conatus eſt. Idque procul dubio feciſſet, ni Pontificis imperio, qui illum ſemper unice amavit, coactus obtemperaſſet: futurum ſiquidem fuiſſe dicebat Antiſtes ſapientiſſimus (nam verbis illius tantiſper utar) ut flabellum aliquod novae opinionis ſuſcitaretur inter haereticos homines orthodoxae religionis hoſtes, ſi illi hanc ſtatus mutationem de tanto homine, univerſo terrarum orbi notiſſimo, cognoviſſent: ut enim ſagittent in obſcuro rectos corde, aſſidue quidquid Romae fiat, notant, obſervant, carpunt. Etenim ſtatim obloqui coepiſſent, Chriſtianos homines continere ſe in maximis deliciis, frugalitatem ſervare, colere officia minime poſſe. Quibus optimi Pontificis verbis, prudens, mitique ac tractabili ingenio Cardinalis, Chriſtianae religionis conſervandae ac propagandae cupidus, tacuit, obmutuit, acquievit. Quanti autem Clemens ampliſſimum hunc virum ob ejus vitae ſinceritatem, ſingulareſque virtutes fecerit, colligitur non ſolum ex eo, quod ipſum admiſerit tanquam animae patrem (quod ajunt) cui ſuam aperiret conſcientiam, atque omnia ſemper ſecretiora conſilia patefecerit, nullumque negotium agendum ſine Baronii notitia aliquando ſuſceperit, ſed etiam, quod profecto eſt maximum, ipſius tanta integritatis, ſapientiaeque erat opinio, ut eum ad omnes ferme totius Chriſtianae reipublicae cauſas, maximaque negotia gerenda Vobis conſultorem adjunxerit, & quum deſideraret cuſtodem ſacra bibliotheca, praeſidem illi Baronium ſtatim praefecerit, qui ſane honos nonniſi Cardinali eruditiſſimo ac ſapientiſſimo tribui ſolet. Quare, ſi Pontificis ſtudium in Baronium, ac Veſtrum omnium, Patres ampliſſimi, benevolentia quotidie creſcebat, in cauſa fuit, quod erat ille ſacri iſtius Senatus decus atque ornamentum. Teſtes Vos eſtis, Patres ampliſſimi, quanta facilitate, copiaque dicendi praeſtaret Baronius, quum ſuam eſſet prolaturus ſententiam, quam ſedulo quae juſta agebantur defenderet, quam denique ſibi Sedis hujus Apoſtolicae dignitatem cordi eſſe monſtraret. Quid plura? Tanta fuit viri praeſtantia, ut nunquam Clemens honores honoribus addere deſtitiſſet; imo, ſi fieri quodammodo potuiſſet, Pontificii imperii haeredem eum libentiſſime inſtituiſſet. Quocirca fuit non modo Clementi Octavo carus, ſed etiam aliis duobus ſummis Pontificibus gratiſſimus, Leoni nempe XI. commemorabilis viro ſanctitatis, qui proxime Clementi in Pontificia Sede ſucceſſit, & Paulo V. horum temporum felicitati, qui ſingulari favore atque gratia Baronium viventem ſunt proſequuti. Age vero, poſtquam ipſe Cardinalis renunciatus

eſt,

eſt, quid de tanta, tamque admirabili paupertate dicam? quid de eximio in omnes ſtudio, atque amore? quid de munifica illa largitione, qua egentes ſublevabat, calamitoſos eripiebat e miſeriis, quoad poterat, nihil ulli deeſſe patiebatur? Equidem, Patres ampliſſimi, magnum video campum ad excurrendum: ſed quoniam obrui me rerum copia ſentio, ne moleſtior Vobis videar, id unum de Baronio affirmabo. Cardinalis factus nihil priſtinos mutavit mores: nam eadem ſemper vitae innocentia, firma ſinceritate, voluntaria pauperie, immenſa caritate, ſuique deſpicientia floruit; quin ſubito (res ſane in tali Cardinali, Petri Cathedra digniſſimo, omnium ſermone celebranda) divinae majeſtati toto ex corde promiſit, ſe nihil unquam facturum, aut moliturum, per quod ad ſummum ſolium poſſet pervenire, imo per ſecretiſſimas, ac tacitas vias, ut aditum ſibi omnem ad illud intercluderet, ſe curaturum. Commodis, facultatibus, annuiſque cenſibus erga alios, pro ſe tantum pauciſſimos, ac neceſſarios uſurpando, uſus eſt. Laborantibus egeſtate familiis, & clam prae verecundia ſecum miſeriam ſuam lugentibus, improviſam caritatis lucem attulit. Hujus excelſae ſui animi dotis adhuc adoleſcens praeclarum illud ſpecimen praebuit, quum a concionatore familiam quamdam in maxima calamitate verſari, atque audientium pietati commendari audiſſet, ubi ejus inopiae miſertus, quamqam vix habebat quo poſſet illi ſubvenire; tamen praeceptum Domini eſſe animadvertens, ut perfectus quis evadat, oportere, quae habet, dare pauperibus, ſtatim tria induſia, quae nuper parentes ei dederant, egenti familiae donavit: facinus quidem magnum, ſi ejus animus ac voluntas, ſi tempus incommodum, ſi egeſtas valde urgens perpendatur. Quod ſi tunc temporis aliis potius auxiliari, quam ſibi conſulere ſtuduit, quanto munificentius poſt tot adeptas facultates unicuique eum profuiſſe putabimus? Neminem unquam a conſpectu ſuo triſtem abire permiſit, neminem vacua manu diſcedere; imo felicem ſe exiſtimabat, quando cum pauperibus, in quibus expreſſam Chriſti imaginem agnoſcebat, verſari ſibi contingeret. Ille pauperrimas urbis familias certa pecunia ſuſtentabat, ille infirmis pauperibus adjutrices manus praebebat, ille peregrinos Romam ſacra loca viſendi cauſa venientes, humaniter hoſpitio excipiebat, ille xenodochiis annuam ſuorum reddituum penſionem attribuit, ille mendicos pueros, diſperſaſque puellas in tutelam recepit, ille mendicitate perituras virgines periculo eripuit, & quamplurimas Deo ſuis praeſidiis dicavit. Haec autem, quae coram Vobis dico, Patres ampliſſimi, quoniam praeſentes Vos habeo graviſſimos teſtes, non timide profero, non fingo, non amplifico, ſed magno animo tanquam Vobis nota, & univerſo orbi perſpicua confirmo. Ecquis adeo novus, atque hoſpes reperitur, qui hucuſque non optime noverit, ipſum ab ineunte aetate uſque ad ſummam ſenectutem perangusto atque inornato lecto contentum fuiſſe? Quis neſcit, illum ad ſuam menſam famulos veluti familiares perpetuo adhibuiſſe? Quis intra modeſtiae, ac ſanctimoniae fines domus ſuae parietes eum ſemper continuiſſe non vidit? Quis familiam, quam circa ſe habebat, moderatam, humilem, & ſanctam non animadvertit? Quis fuit, inquam, qui aſpiciens illam, propter excellentem vitae integritatem, morumque ſuavitatem, ipſum Baronii os intueri ſibi non videretur? Enimvero, Patres ampliſſimi, ita Cardina-

Digitized by Google

dinalis iſte, dum inter mortales verſatus eſt, eluxit, ut cognita ſint omnibus, & in luce quarumlibet terrarum collocata egregia facinora, quae quidem nulla unquam tacebit aetas, ſemperque vivent in hominum mentibus, atque ſermonibus. Atque quemadmodum acceptiſſimus ille olim populo Romano Valerius Poplicola, qui in Tarquinii Collatini locum cum Junio Bruto eſt ſubrogatus, ob res praeclare a ſe geſtas ſuorum majorum titulo amplificato, variiſque bellis ſtrenue pro Republica ſuſceptis, quamvis maxima divitiarum copia abundaſſet, tamen mendiciter obiit, quippe cui mortuo funebris lectus defuerit; ita prorſus Baronio contigit, qui animadvertens diligenter, quae ſunt Caeſaris Caeſari, quae ſunt Dei Deo eſſe reddenda, quam plane uberrimam ab illo meſſem acceperat, in pios ac ſacros uſus diſtribuit, ut facillime videre licet ex eo quod circumfertur ſermone omnium, ſexaginta nimirum millia aureorum pauperibus, ſacriſque locis fuiſſe erogata. Quocirca, ut tantam ipſius, ac prope infinitam liberalitatem aliquantulum ponderemus, ad inclytum SS. Nerei & Achillei Templum accedamus. Illud enim ubi primum Caeſar amictus purpura, dirutum omnino, everſum, & antiquitate quaſſatum obtinuit, quod ajunt, in *titulum*, illico a fundamentis reſtituit, firmiſſime vallavit, atque pulcherrimis picturis, gemmis, auroque ornavit. Inde Coelium montem aſcendamus, ubi ſanctiſſimi Pontificis Gregorii cognomento Magni aedem undique reſtauratam, variis ornamentis decoratam, opibuſque locupletatam cernemus, ac Beatae Sylviae ejuſdem Gregorii matris marmoream ſtatuam ſumma arte perfectam aſpiciemus. Tum Soram proficiſcamur, ſi inſigne monaſterium ordinis Sancti Franciſci ſeveriſſimae diſciplinae, qui *Capuccinorum* vulgo dicitur, ab illo conſtructum cernere velimus. Deinde Romam, civitatum omnium matrem ac dominam, redeamus; cujus quidem pia ac ſancta loca, quibus aliqua ratione conſulere tali viro contigit, ſi attentius conſideremus, procul dubio haud ſatis unquam deſinemus admirari: ita enim ex animo hanc urbem tanquam ſibi parentem optimam amavit, uniceque dilexit, ut licet eorum locorum quamplurima ad nullam ſui muneris partem pertinerent, iis tamen aut inchoandis, aut everſis redintegrandis, aut abſolvendis, fulciendiſve ſponte aurum ac liberaliter erogarit. At mirificus ille erga Deum pietatis affectus nequaquam hic conſtitit, P. A. quoniam per excelſas eas virtutes Baronius, tanquam per gradus quoſdam, ad perfectiſſimum vitae ſtatum pervenit. Siquidem, quum illa exiliora ſibi viderentur, niſi corpus acriter juxta Apoſtoli praeceptum caſtigaret, voluit *cilicina* illud aſperitate ſemper induere. Hinc illius animadvertendi in ſe verberibus aſſidua exercitatio. Hinc nulla ei quies, nulla relaxatio a laboribus, imo perſpectum quoddam, & cum integritate conjunctum odium ſui. Hinc in audiendis confitentibus, viſitandis aegrotis, concionibuſque habendis tanta delectatio, ut nunquam vel Cardinalis, vel ſenex hac maternae ſuae domus conſuetudine abſtinuerit. Hinc tandem praeclarum illud facinus, quum intempeſta & maxima pluvia, nocte, tonitruis reboantibus, atque fulminibus exploſis, ad moribundam mulierem, cui ſempiternum erat cum verſutiſſimo perfidoque adverſario bellum, ſic divina permittente majeſtate, ut eam fortaſſe experiretur, majorique gloria

poſtea

poſtea cohoneſtaret, quum innocentiſſima revera, ipſique acceptiſſima eſſet; ad eam, inquam, cujus animi ſalus Baronii cuſtodiae jampridem tradita fuerat, ut ille in maximo pugnae tempore praeſto eſſet, ſe pedibus contulit. O egregiam, & ultra purpuream conditionem benignitatem! O Dei ſervum probatum per omnia! O dignum virum, quem ſapientiſſimus ille Clemens ultro vocaret, & inter Vos, Patres, connumeraret! Fuit, fuit illud facinus multo nobilius, quam Caeſaris, qui turbulentiſſima tempeſtate nautam admonens, *Caeſarem vehis*, navigare non dubitavit: tametſi quanto magis eſt mirandum inſigne hoc factum Baronii, tanta virtute decoratum? Sed ea, quae pertinent ad ultimam vitae partem, quum vere illi conſentaneam clauſulam attulerint, ſi placet, ſpectemus. Ut enim Caeſar Cardinalis pauper vixit, ita pauperrime obiit; & quemadmodum ad virtutem omnes impulit, ita poſtremis verbis hortatus eſt. Demum, ut pietatem ipſe coluerat, ita tunc maxime coluit. De mortis autem memoria, quam ſemper imagine ſibi propoſita aluit, quid dicam? Non ſtudebat, non dormiebat, non vigilabat, non edebat, non ambulabat, non loquebatur, nihil denique agebat, nihilque cogitabat, quin meditaus ſemper, ac paratus eſſet ad tempus ſupremum; ita ut non in mente ſolum atque animo, ſed etiam in ſigno, quo litterae obſignabantur, mortis imaginem haberet impreſſam: quae ſane res prorſus uuicuique neceſſaria, permagni noſtra intereſt, neque ullo modo deſſe poteſt mihi heri, tibi hodie; utque canit ille:

> *Tendimus hanc omnes, metam properamus ad unam:*
> *Omnia ſub leges mors vocat atra ſuas.*

Siquidem licet non hodie nobis contingat, ſumus tamen letho proximi, & quacumque hora comederimus (inquit ille) morte moriemur, nimirum inſanabili tabe affecti conſumimur, & in nihilum brevi reducemur. Ergo Baronius probe animadvertens, hanc eſſe humanae vitae conditionem, quaſi legem omnibus impoſitam, *mors ipſa* (dicebat cum Hieronymo, perfectiſſima Doctorum forma) *dum venerit, vincitur, ſi prius meditetur*: unde meritus eſt ſingulari Dei beneficio ſuum extremum diem cognoſcere, quem & ante nonnullos annos multis praedixit, & in aliquibus ſchedulis notatum reliquit. Jam properat oratio, Patres ampliſſimi, ad funeſtum & lacrymabilem illum diem, quo Baronius, ſolamen noſtrum, ac liberalitatis aedes, & cujuſque boni publicum horreum, ablatus eſt; properat ad graviſſimam Chriſtianae reipublicae jacturam; properat ad voces miſeras, quas urbs in tanti fulminis ictu emiſit. Ecquod majus amoris in eum cujuſvis ordinis, ſexus, atque aetatis argumentum, quam tanta de ejus valetudine ſolicitudo totius civitatis, experi queat? quae clariora indicia conſtantis benevolentiae? quae illuſtriora ſigna incredibilis erga hunc Principem voluntatis? Vix Baronium animam agere auditum eſt, quum paſſim veluti a ſenſibus alienati, huc illuc quaſi vecordes excurrebant, ſparſis crinibus, manibuſque concuſſis, & comploſis, avulſum ſibi parentem univerſi luge-

Digitized by Google

lugebant. Donec aegrotavit, ad ejus domum, ut nuncios aliquos ſubinde de ejus valetudine captarent, advolabant, manus ad coelum tollentes, enixeque divinam bonitatem deprecantes, ne tam cito vitam, omnium refugium, ac portum, auferret. At eum apud nos (heu miſeri!) retinere amplius non meruimus: jam ſacris aedibus erat deſignatus: coelo, quod virtute quaeſierat, debebatur. Interim, Patres ampliſſimi, caeteris de rebus rumores, ſermoneſque conticuerant in urbe: unus erat Baronius in ore populi, maxima urbis ſolicitudo. Murmur percrebuit, e Tuſculano, quo ſe medicorum conſilio animi cauſa receperat, mortuum Romam deferri. Immutatae ſunt repente facies omnium: moeſtiſſima gementium lamentatio concitata eſt: fit undique concurſus ad ejus domum: oculos ab illa non dejiciunt: expectant, dum videant, quod, ne accidat, metuunt. Tandem ex hac vita migraſſe Baronium nuncio accepto, qui gemitus (Deus immortalis), qui ejulatus, qui dolor, quae omnium comploratio audita eſt! Ad quem ſe amplius conferrent, in quo ſpem haberent, non videbant. Atqui dolorem veſtrum ac moerorem ſanctiſſimae ejus mortis recordatione comprimite, Patres ampliſſimi: ita enim mortuus eſt hic Cardinalis, ut mors ejus cum antiquis Sanctorum emigrationibus procul dubio conferri poſſe videatur. Admirabilem in morbo conſtantiam, patientiam, moderationem, animique Chriſtiani robur oſtendit. Sacrum ſemper vel ipſe fecit, vel alii facienti (opus ſane laudabiliſſimum) operam dedit, divinumque cibum perſummam religionem ſumpſit. Diem obitus ſui adeſſe proſpiciens, familiam convocavit, quam optimis praeceptis ad rectam vivendi rationem, ad animum ſuum ab omni culpa alienum ſervandum, ad cultum divinum obtinendum cohortatus eſt. Nec vero falſum protulit Caeſar illis, affirmando, hanc eſſe veram ac certam haereditatem, qua nimirum unuſquiſque ſibi aeternam beatitudinem comparare valeat: ſicut non mentitus eſt, qui dixit, relinqui a ſe filiis in agro theſaurum quotannis quaerendum. Id quod ſi diligenter conſideremus, haud dubie pretioſiſſimum omnium, ac nobiliſſimum eſſe affirmabimus. Ad quid enim tot ſaluberrima ſacramenta, conciones, preces, ac vigiliae ſunt inſtitutae, populoque Chriſtiano expoſitae, quam ut facilius quilibet curis omnibus exutus, per earum frequentem uſum ad coelorum regnum tutum ſibi iter permuniri, indeque ampliſſimo hoc theſauro, qui eſt ipſe Deus, frui poſſit ac valeat? Porro ad extremum vitae ſpiritum vir Dei adductus, diem illum gratulationis, quietis, ac ſalutis appellavit. O felix fauſtumque praeſagium! O optimae conſcientiae ſignum! Ah quam raro hominibus id mortis genus contigit! Quam durum eſt illis vitam cum morte commutare! Elatis itaque in coelum oculis perinde ac ſi inde vocaretur, quum audiit ſacrum carmen *Proficiſcere anima chriſtiana*, ad aeternam beatitudinem evolavit. En, beatiſſime Baroni, non poteras mori ſecurius, quam eo die, qui ſacer eſt Angelorum Reginae, cui te totum dederas, totum devoveras; non poteras mori honorificentius, quam intra octo dies principibus Apoſtolorum Petro & Paulo ſacras, in quos fueras religioſiſſimus; non poteras denique mori glorioſius, quam poſt tam admirabilis innocentiae, eximiae caritatis, memorabiliſque animi demiſſionis, voluntariae paupertatis, inſignis

ſignis pietatis, ac ſanctimoniae lumen effuſum. Tu nunc, o perbeate Caeſar, apud ſummum formidandum Judicem nobis eſto patronus. Tu noſtram age cauſam, benignoque oculo e Patria illa nos in hac miſeriarum valle relictos reſpice, tuere, rege. Noſtrum autem erit viciſſim, Patres Ampliſſimi, gratiam in eum obſervantiae verſuram reddere, & praecipue Veſtrum tanti Collegae in perpetuum ſervare memoriam, qui ſacri Senatus ſplendor eximius, & ſanctitatis clariſſimum fuit exemplar.

IN

Digitized by Google

IN OBITU
CARDINALIS
CAESARIS BARONII
ORATIO FUNEBRIS

Habita in Collegio Societatis Jeſu a Juliano Sanna *Romano Academico Parthenio* v. *id. ſextilis MDCVII.*

HOC ſcilicet unum deeſſe videbatur ad ſummam infelicitatem multis calamitatibus affectae, atque afflictae per hos dies Chriſtianae reipublicae, ut Caeſare quoque Baronio Romanae curiae nitidiſſimo ſydere, cujus aſpectu, & memoria recreabantur omnes boni, miſerandum in modum orbaretur? O gravem & acerbam, o miſeram intolerandamque fortunam! Etenim, ſi hanc nobis mentem injecit natura, nihil ut magis placeat, quam quod ſemel amiſimus; quali cum deſiderio ac dolore talis ac tanti viri ab ejus funere diſcedemus? quibus inflammati amoris indiciis? quam nec tacitis, nec occultis, virum vere ſanctum, delicias & vitam Romanorum, animo complectemur, quaeremus oculis, voce poſcemus? Verum enimvero quamvis dolor la ymas ferat, ut arbores fructum; tamen, quoniam Caeſar ipſe (quo fuit nimi robore in hac vita) ſe lacrymis lugeri vetat e coelo, moderabimur in hac laudatione pro virili parte moerorem noſtrum, ne fletus, & ejulatus obſtrepat iis, quae a nobis narrabuntur, ſingularis, ac pene divinae ſanctimoniae teſtimoniis. Lugeantur ſane uberrimis lacrymis ii, quorum in omue vita nihil eſt honeſtius, praeter ſupremi diei celebritatem. Talis non fuit vir ille, ita de orbe Chriſtiano meritus, ut ejus coeleſtem vitam praeſtet efferre dicendo, quam lacrymis perbeatam proſequi mortem. Atque ego, qui ad clariſſimum, & noſtrae memoriae facile principem virum collaudandum officio, conſuetudine, humanitate adductus acceſſi, novo fortaſſe, verumtamen ab rationibus meis minime abhorrenti, utar genere colloquendi; quod tam ſingularis ac praecellentiſſima virtus, nova flagitet, inaudita deſideret. Quid igitur primum, quid poſtremum in tam uberrima ſylva oratione complectar? Praetereundum ne vobis videtur, quod florenti aetate, quum audiſſet pro concione nobilem concionatorem ex nobiliſſima Capuccinorum familia Lupum, ſo-

litudinis, & inopiae civium cauſam auditoribus vehementer commendantem, verus Chriſti miles e veſtigio domum accurrens, terna celeriter induſia, quae habebat ſola, ad Lupum detulerit liberali facto, liberaliore addita oratione, ſibi, quod offerret, nihil eſſe pretioſius, quae haberet, dare libentiſſime. Obſtupuit concionator egregius hominis praeclaro facto. Deinde poſtero die collaudata e ſuperiore loco juvenis caritate, ad extremum illud quaſi oraculum effudit, praepotentem Deum tantae virtuti cumulatam eſſe gratiam etiam in hac vita relaturum. Quae quidem vaticinatio, viri ſpectata eloquentia, & ſanctitate, neque auctorem ipſum, neque alium quemquam fefellit: ſiquidem ex illo Caeſare Baronio tam inopi, tam ignoto, ille Caeſar evaſit Baronius, qui templo ſanctitatis, amplitudinis, religionis praefectus eſt, qui purpureum in collegium Cardinalium cooptari meruit, qui fructibus ſuis non paucos egentiſſimos locupletavit, qui editis libris doctiſſimis orbem terrarum implevit nominis ſui, qui ſacrarum Deo virginum coenobia liberaliter extruxit, qui apud potentiſſimos reges maximam opinionem excitavit ſui. Quamvis ille quidem tantum ſemper ſe geſſerit in recuſandis honoribus, quantum elaboraverat in merendis. Ecquis enim unquam tanto ſtudio de honore contendit, quantum ille deſudavit, ut ne ſibi pinguia ſacerdotia a Sixto V. Pont. Max. a Clemente vero ejus nominis VIII. Cardinalatus daretur? Exularet utique ab animis humanis ambitio, relegaretur profecto extra mundi terminos, unde nec ejus nos peſtis, nec nomen afflaret, ſi tanta contentione caeteri mortales honores indebitos averſarentur, quanta ille debitos repudiavit: repudiavit autem? imo vero perhorruit; imo vero naturae ſponte delatos in ſinum ita rejecit, ut religioſo ſe voto ſancte obſtringeret, ſi moleſtia illa liberaretur, ſuſcepturum ſe nudis pedibus opertum ſacco peregrinationem bene longam. O virum natum populo Chriſtiano, memorem Chriſti probrorum, imitatoremque Bernardi, Antonini, Dominici, Aquinatis, Fulgentii, caeterorumque! Quid hoc ſolum? Nonne ſemel, iterum, tertio ad Clementis Pontificis pedes abjectus, eum per Chriſtum Jeſum obteſtatus eſt, ut ſe homuncionem nullius pretii, qui Cardinalatus oneri minime eſſet ferendo, tantae ſarcinae ſubtractum vellet? Et quidem ſatis erat initio vehementiſſime repugnaſſe; ſatis, probaſſe non Romanae modo majeſtati, verum etiam exteris gentibus demiſſionem animi, quam ille ſemper probavit maximam. Tantum tamen rerum ampliſſimarum contemptum, tantam in ſuſcepto conſilio, ſententiaque conſtantiam, quis aut conſequi ulla ratione potuiſſet, aut vero ab animi altitudine auſus fuiſſet optare? Certe admodum pauci. An ego, qui ambitioſos homines toties acerbiſſimo ſtylo perſtrinxi, exiſtam repente ambitionis exemplum? Minime vero, reſpondebat Pontifex; ſed ſpecimen integritatis. Quid? cuinam hoc probari poterit? Mihi, & mundi theatro urbi Romae. Quam ſermonum praebebo materiam haereticis omnibus? Negligenda ſunt iſta obtemperandi ſtudio. O contumelioſum honorem illis, qui ſe Chriſto addixerunt, & emanciparunt! Poſtea vero quam tantopere detrectantem Clemens animadvertit, anathematis ei fulmine intentato, niſi paruiſſet; virum ſanctiſſimum moerentem & flentem uberius illa dignitate illigavit. Tum vero, quod impetravit Pontifex, non a Caeſare Baronio acceptum, ſed extortum a

Cle-

Clemente, omnes vulgo putarunt: declaravit etiam Caeſar ipſe tempore inſequenti. Etenim ex eo tempore quantae ampliſſimum dignitatis gradum exceperunt lamentationes? Qui gemitus, & lacrymae ab optimi, & nunquam ſatis laudati ſenis oculis profluentes? Qui aeſtus, & angores animi? ut verbo dumtaxat viveret, re quidem vera inter omnes mortuos amandatus videretur. Non ille unquam per annos omnino duodecim, quibus vixerat Cardinalis, veſtitum mutavit. Sed quem a Clemente initio Cardinalatus acceperat, obfirmato retinuit animo, longo jam uſu detritum, ac temere aſſutis pannis deformatum, prorſus ut adeo egregiae paupertatis inſignibus in medio luxu de luxu triumphare vellet. Veſtimenti porro generis honeſtioris ita fugit, ut cultu corporis vulgari uteretur, ac fere laneam, & undulatam adhiberet veſtem. Quid quod etiam in tenui ac parabili menſa tanquam in coeleſtibus deliciis largiter exultavit? Quid quod lectulo peranguſto, culcitra vero lanea unica uti perpetuo voluit? Quo in genere illud ab ſe ipſo impetraret, ut per triginta annos nunquam ſomno naturam (quod etiam ipſe affirmavit) expleret. Tamen ne tantam in ampliſſima poteſtate moderationem, tantum evangelicae paupertatis, ac crucis ardorem, tam inuſitatam, & immenſam temperantiam non in fronte Romani ſenatus incidemus? Non voce, non vultu, non animo, non oculis adamabimus? Haerebit aliquis in tam ſingularibus virtutis exemplis acervatim audiendis? Demirabuntur vulgares homines tam obſoletas virtutes egregie renovatas? Reſtinctam jampridem pietatem, & miſericordiam ab inferis excitatam? Demirentur. Equidem eam ad opulentiſſimos theſauros mihi feneſtram aperui, quae illos in prioribus divitiis haerere non ſinat. Age qui tantopere durus erat in ſe ipſum, minime fuit benignus in alios. Ille minime benignus? Nunquam acerbius quemquam appellavit; & quamvis cum domeſticis aliquando vehementius ageret, iracundius tamen egit nunquam: vehementius porro agebat identidem, ut eos in officio, & ſcilicet in Dei timore contineret: quem ille ita defixum geſtabat in animo, ut vir in ſanctitate facile palmaris ac princeps de ſalute ſua ſaepenumero dubitarit, ac de nocte multo cum ſenſu doloris identidem illam uſurparet vocem: *O aeternitatem*! Jam vero quis illa ſine lacrymis, & ſine pio animi ſenſu vel cogitare ſecum poſſit, vel commemorare dicendo? Dei famulos tanto colebat ſenſu, ipſorum ut pedibus advolutus praeſentiſſimum in illis Numen veneraretur. Et hanc ſubmiſſionem non obſtupeſcemus? B. PHILIPPO Nerio ſanctiſſimae Congregationis Oratorii auctori ac parenti, unde humanitas Chriſtiana, unde religionis, ac pietatis propagandae ſtudium, unde modeſtia ſingularis non in urbem hanc modo, verum etiam in alias multas diſtributae ſunt, ita fuit addictus, ut ejuſdem contubernii ſocio tantum tribuit, quantum novo ſoli ad illuminandas terras nato, & multis nobilitato miraculis tribuendum videbatur: ut quoties ſermonem de beato viro inſtitueret (inſtituebat autem ſaepiſſime) manantibus prae teneritudine lacrymis ora ſinumque compleret. Non cuilibet hujuſmodi pietas eliciat lacrymas? Ignatium Lojolam, virum vel Societatis Jeſu inſtitutione, vel Dei donis ſingularibus admirabilem, non coluit ipſe modo, verum etiam caeteris maxime colendum primus propoſuit. Aloyſium Gonzagam, juvenem tam a nobilitate, quam a ſanctitate Chriſtianis omnibus

Digitized by Google

bene commendatum, adeo reveritus eſt, ut ad ejus ſepulcrum ſingulis minimum ventitaret menſibus, & juvenis perbeati reliquias humi ſtratus exoſcularetur, & capiti ſuo, ut eum Chriſtiana ſimplicitas, & pius animi ſenſus admonebat, imponeret. Ita ille ſe inter magnificentiſſimum Cardinalem, & Caeſarem Baronium presbyterum privatum partiebatur, ut alterum Baronium mater, alterum pietas & ſanctimonia genuiſſe videretur. Cujus rei teſtificandae cauſa quid opus eſt argumentis, & momentis orationis? Obſcurum, credo, non eſt, illi nihil prius & antiquius fuiſſe divina gloria: huc omne conſilium, huc omnem exitum, huc res humanas omnes referre conſueviſſe. Neſcimus quanto verborum pondere, quo animi ardore Chriſti cauſam defendere ſolitus eſſet? quam denique abalienato ab rebus caducis animo Deum ita intueretur, ut ſi omni admiſtione corporis liberatus, purus & integer eſſe coepiſſet? ut quum his incluſum compagibus, & vinculis mortalitatis, ejus corpus a coelo abeſſet, animus tamen jampridem habitaret in coelo. His ille rebus id erat aſſequutus, ut vel principes viri ejus in divinis rebus propugnandis magnanimitatem admirarentur, in rebus iniquiſſimis convellendis conſtantiam reformidarent, pietatem porro divinam ſupplices aliquando venerarentur. Merito igitur, vir ſanctiſſime, tuus interitus aequis, & iniquis exprimit lacrymas; merito dolor, & alti gemitus in oculos noſtros incurrunt; merito perſonant aures clamoribus plorantium pauperum. Et omnes corpus tuum imaginem animi contuentes, benignitatem illam ſingularem, robur illud invictum, animique humilitatem altitudini animi parem contuentur: & vigor ille Romanam Eccleſiam protegentis, miſericordia magnam vim auri effundentis in pauperes, rerum caducarum perpetua contemtio, promiſcue omnium oculos, & animos, & linguas complet. Quem extincto Baronio Chriſti cauſam pro dignitate tractaturum? Quem ex hoc tempore acerrimum tutorem fore pupillorum? Quem alium futurum Baronium? Nec vero mirum. Audite, audite, Patres Illuſtriſſimi, & cognoſcite decora veſtri Senatus. Homo ſine ulla controverſia ſanctus, & coeleſtibus honoribus jampridem affectus in coelo, ſexaginta millia coronatorum eleemoſynae nomine his annis, quibus vixit Cardinalis, diſpertivit pauperibus. Quis interpretari poteſt, liberalior ne, qui tantam pecuniam, an clementior, qui in pauperum greges, an fidelior, qui Dei patrimonium, an caſtior, qui non hianti modo avaritia, verum etiam quavis argenti cupiditate vacuus, divino amore pleniſſimus, tam inſigniter ad gloriam, tam largiter ad beatitatem, prompteque profudit? Sed incidamus oportet media; ne quae illi divinitus ſine ulla naturali cauſa contigerunt, ſerius attingamus. Quo loco reficite vos, Auditores, per Deum immortalem, per ipſius Caeſaris Cardinalis promerita, quae in Romanam curiam, & populum Chriſtianum univerſum profecta ſunt maxima, & vel defatigati & languentis oratoris debilitatem, vel morae languoris moleſtiam pro veſtra pietate devorate. Id ego ſi aſſequutus fuero, adpromitto fore, ut magna contentione feſſus requieſcam in benignitate veſtra, quaſi in aliquo peropportuno diverſorio. Ut primum ſe in diſciplinam S. PHILIPPI Nerii tradidit (videte admirabilem in ipſo tyrocinio caritatem), de ſanctiſſimi viri praeſcripto ad noſocomia circum aegrotorum nationem repente curſare, ut quum ſaepenumero peſtiferae

febris

febris jactatus aeſtu ad valetudinarium prima luce divertiſſet, inclinato in veſperam die ſanus vegetuſque domum rediret. Quemquam ne ita eſſe vecordem, cui non in proclivi & expedito ſit judicare, id humana ope fieri nulla ratione potuiſſe? qui non agnoſcat praeſentiſſimum Dei beneficium? Me vero delectat illud ſingulare in paucis a Deipara Virgine profectum. Decumbebat aliquando Caeſar in lectulo, medicorum denuntiatione depoſitus, & conclamatus. Eum vero PHILIPPUS, anxius optimi alumni periculo, enixe a Chriſto Domino praeſente deprecabatur. Quum Caeſarem PHILIPPO denegaret Dominus, tum ille ad Chriſti Matrem (nam forte aderat) converſus, contendit ab ea precibus, quod Chriſtus antea denegarat. Nec mora. Maria Virgo ad Filium, *Redde*, inquit, *mihi Caeſarem*. Peroravit illa; hic repente convaluit. Miramur deinde illam in Annalibus mediis, illam in epilogis omnibus, illam in libellis, illam in familiari ſermone, illam publice, illam privatim a beato viro dominam, reginam, ſalutarem anchoram, immortalitatis aram, non magis erudite, quam pie conſalutari? Illam, cujus beneficio quaſi quadrigis mortales coeli beatiſſima regna conſcendunt? Illam, cujus opera emeritis hujus vitae ſtipendiis exauctorati pro Deo vitam libenter oppignerant? Illam, qua patrona nullae unquam fauces diaboli mortiferum nobis morſum impacturae ſint? Nam quid ego de vaticinationibus loquar, aut qua vi vocis amplificem, quod excipienti confeſſiones cum juvene contigit intemperante? Nonne curioſius inruentem virgines confiteri cupientes, ac prius blande monitum ex Chriſti praecepto, ut caveret, deinde ut diaboli adminiſtrum defixo in puellas obtutu perſeverantem, ardentibus oculis, & vehementiſſimo verborum fulmine percuſſit? At ille demens, medicamine ſalutari in venenum felque converſo, ſeveriſſima fronte, atque ore importuno Dei famulum, quaſi unum aliquem gladiatorem ad pugnam provocans, egredi jubet. Nihil gravius reſpondit modeſtus Pater: tantum dixit, Chriſtum pro ſe dicto citius egreſſurum. Inſigne miraculum! Vix pedem extulerat e limine furioſus ille, quum ecce tibi altera graviſſime fracta tibia ſemianimis concidit. Utique, ut eum Chriſtus ipſe haſtam ejaculatus amentatam, ut olim Julianum apoſtatam, in diſſimili cauſa proſtraviſſe videretur. Tum vero animo revocato, malo doctior, magnum virum ſtatim accerſiri jubet, ac moribundus omnes anteactae vitae ſordes confeſſione ſalutariter expiat, auctore vulneris, quam ipſo vulnere beatior. Quid illa magnitudo animi, & divina fiducia, qua hic noſter armatus principum repudiavit gratiam, minas eluſit? Quaenam illa ſpes, aut qualis, tenuibus virginibus, quibus erat a confeſſionibus, quingentos aureos dotis nomine polliceri, quum ne obulum quidem, ac teruncium haberet? Cujuſmodi etiam illa Domini liberalitas, quae famulo ſuo pecunioſos homines quingentos omnino aureos offerentes ſubmittebat in tempore? ut intelligeret, cujuſmodi fretus aerario aes alienum ab ſe contractum diſſolvi poſſe putaret, quum non eſſet ipſe ſolvendo. Quid? Nonne herbas etiam veneno armatas quum hauſiſſet imprudens, e veſtigio ab omni vitae diſcrimine liberatus expuit? Unde haec proferuntur a graviſſimis auctoribus? Quid ii? Ubi ſunt? Praeſto ſunt, adſunt: homines divinare facile poteſtis. Quid quod abſens perviſum aliorum diem ſupremum quaſi praeſens ſpectavit? Quod erit miraculum, ſi hoc e ſincero miraculorum

lorum canone diſpungatur? Quid? Nonne per quietem Beatus illi PHILIPPUS ſaepius apparuit incredibili ſplendore collucens, & vultu illo coeleſti mirifice recreato, & coeleſtibus imbuto deliciis, odorem beatitatis uſquequaque diffundens ſaepius eſt jucundiſſime blanditus? Non vereor, ne quis haec a me propter eorum magnitudinem ſine auctore, ac ſine auctoritate percenſeri putet. Dixit haec divinae gloriae ſtudio magnopere rogatus Caeſar ipſe, dixerunt domeſtici, qui eum ſaepius obſervarunt, dixit ejus ſanctiſſima vita. Quid, ſi doceo, ſi planum facio, divinitus illi fuiſſe praedictum, quo aetatis ſuae anno mortem eſſet oppetiturus? Diſſimulamusne, an vero in pervagato ſermone diutius haeſitamus, quemadmodum in adverſo pariete de nocte multis ante annis numerum nonum & ſexageſimum quaſi meridie lucentem viderit? quem ille numerum ſemper vitae ſuae terminum, & quaſi cancellum interpretatus eſt, alii non pluſquam ſomnium merum falſo judicarunt. Adjungamus illud etiam quod ab hoc loco disjungi minime poteſt; virum illi principem, & nominatim Cardinalem, rem divinam facientis habitu eſſe viſum pulcherrimo lumine coruſcantem; illud etiam alterum (properandum enim eſt in tanta rerum ſegete), viſum ſibi eſſe quadam decretoria nocte in coelum deferri. Tum vehementer a Deo petiiſſe, ut ſe purgatorio expiandum traderet igni, quandoquidem nefas eſſe arbitraretur ſibi petere coelum vel minima labecula ſordidato. En quam mortalium rerum ſolicitudinem! Et vero quae ad affines, cognatoſque pertinerent, refugiſſe non credas, a quibus vero propter hujuſmodi cum Deo cognationem, & colloquutiones familiariſſimas ita ſemper abhorruit, nihil ut ſibi moleſtius accidere poſſe dictitaret, quam ſi quis eos in memoriam revocatos commendaret, nihil ſibi eſſe cum ſanguine negotii, Deo ſe multa debere, mundo nihil. Sed, ne longius a miris illis recedamus; video quid opponat aliquis minime Chriſtiani ingenii homo, adumbrata magis, quam expreſſa pietate ſuggerente. Dicet, illa, quae Caeſari quieſcenti acciderunt, ſomnia, viſa, cogitationes, umbras fuiſſe. Sit ita ſane. Verumtamen non tam illa ſomnia mera dormientis, quam Deo adhaereſcentis oracula, nec tam viſa illa hominis remoti a ſenſibus, quam teſtimonia res manibus contrectantis, nec tam cogitationes illae praetervolantes, quam menti penitus inſidentes formae, neque illae tam umbrae jacentis in lecto, quam ante Deum ſtantis vero veriores imagines. Unum etiam pulcherrimum ejus facinus ſeligam, quod tumulus, qui corpus contexit, nunquam contegere poterit, inſculptum in aeternitate, in animis hominum conditum & defixum, inſcriptum in fronte Romanorum, dignum Baronio facinus, dignus facinore Baronius. Nam quum propter Clementis VIII. Pont. Max. obitum Cardinales in Conclave novi Pontificis creandi cauſa ſe recepiſſent, quumque multorum vota Patrum ad eumdem Pontificem faciendum inclinarent, cohorruit vir humilis inprimis, & effuſus in preces maximo ardore animi Deum rogare, & obſecrare, ne ſibi fraudi foret illa creatio: nihil ſibi accidere poſſe jucundius, quam ſi Patres conceptam ſententiam plane deponerent. Ex eo tempore tantum divinitus nactum ſe terrenarum rerum contemtum affirmabat, ut ſibi ad miraculum Pontificatus, & omnia plane terrarum regna ſordeſcerent. Argumento eſt, quod fortiſſimum nuncupavit votum, nunquam

ſe

Digitized by Google

ſe vel dicto, vel facto quidquam commiſſurum, quo ſuſpicionem injiceret cuilibet vel iniquiſſimo rerum aeſtimatori, ſe unquam cupidum fuiſſe Pontificatus: neque vero alacrius dixit, quam fecit. Satis conſtat, eum amicitias potentium, a quibus Pontificatu ornari poterat, fortiſſimo animo repudiaſſe, non tam faſtidio quopiam (quid enim illo mitius?) quam Dei caritate, honorumque contemtu. O quanto glorioſior ab hujuſmodi animi demiſſione, quam qui per ſummam inſaniam ad omnes titulos & infulas inflammati ambitione rapiuntur? Laudantur veteres illi Paſchales, Gregorii, Nicolai, Coeleſtini, quod Eccleſiae principatum vel inire noluerunt, vel eo ſe fortiter abdicarunt. Quidni laudentur, & magnificentiſſimis laudibus decorentur? Verumtamen illa virtus non ſolum hominum fuit, verum etiam temporum illorum: nunc autem quis non miretur, Chriſtianam quodammodo rempublicam ad priſtinam illam dignitatem vel revireſcentem vidiſſe, vel reviviſcentem? Obſtupeſcant licet alii doctiſſimos Annales conſcriptos aeternitati, PHILIPPO Nerio in poſterum longe divinitus praevidente hortatore inchoatos, maxima omnium approbatione, atque incredibili Romanae Sedis fructu perfectos. Celebrent Chriſtianam illam demiſſionem, qua iiſdem plane defungebatur laboribus Cardinalis, quibus ante Cardinalatum, & ad eadem plane viliſſima officia deſcendebat. Haec tamen in oculos terrarum orbis incurrit, haec ita in altum edita eſt, ut undique facile proſpici poſſit. Sed me de hoc pulcherrimo & notiſſimo Caeſaris Baronii facto plura dicere parantem revocat dolor, & moeror quidam, qui lacrymas intrinſecus obortas devorat. Heu Caeſar! Tu ne ille in omnes benignus & moderatus, qui ſemper ſolius aeternitatis amore flagraſti, cujus labor nullo, ne difficillimo quidem, tempore Chriſti ſponſae Eccleſiae defuit, tibi ne non parentabimus lacrymis, quas tu pro Chriſtiana republica univerſa plurimas profudiſti? Quid tibi reddemus pro tuis in orbem Chriſtianum meritis ſingularibus? Exequias ne debitas? At quales? Quales jampridem Roma dedit. An vocem teſtem officioſae in te voluntatis? Eam ne, quam dolor includit? Quem ſuperioribus diebus mandavimus ſepulturae? Quo te miſimus? Unde diſceſſimus? O meam miſeram, acerbamque laudationem! Ego vero tuo, Caeſar, funere nihil magnificentius viſum arbitror iis, qui magnificentiam, & ſplendorem funebris pompae, non auro, ebore, argento, veſte pretioſa metiuntur, ſed caritate civium, & effuſis omnium ſtudiis. Nero Caeſar, ſcopulus, & vorago hujus urbis, in Poppeam ſuam reſtinctam, totam pene congeſſit Arabiam. Sed hoc profuſi nepotis totum reipublicae patrimonium obligurientis, & in res nequiſſimas conferentis, facinus uſitatum. Alexander Macedo defuncto Hephaeſtioni non minus inepte, quam impie, tanquam heroi, ſacrificari juſſit; ejus in funus duodecim millia talentorum impendit; muſicam, ac tibias relegavit a caſtris; non equos modo totondit, verum etiam pinnas detraxit e moenibus, quo vel urbes loco prioris imaginis mutata quaſi veſte, & ſordida ſqualidaque ſumpta ſpecie, amiciſſimum ſuum lugere viderentur. Sed nimirum haec juſſa dominorum truculenta, fera, barbara, quae ſecum invidiam, ſecum odium ferunt, nullum ſignificant ſtudium & honorem, ſed barbaricum faſtum, ſed luxum, & inſolentiam immanem. At vir ſanctitate conſpicuus, & omnium plane virorum exemplum,

plum, quem, nemine rogante, compellente nemine, precibus, lacrymis, doloribus ampliſſimi Cardinales, Sacerdotes, Magiſtratus ſummi, medii, infimi, Roma, Italia, populus Chriſtianus ſuis quaſi humeris ad ſepulturam ita dedit, ut qui ejus morte non commoveretur, in Chriſtianorum numero non videretur, jure quidem optimo beatiſſimus fuit. O pulcherrimam, & jucundiſſimam mortem, ſubtractam caſibus, ereptam naturae, redditam Deo! O beatiſſimum in ſedes coeleſtes ingreſſum, tot beatorum jampridem praeſtolantium agminibus conſtipatum! Cujus ordinis, cujus gradus, & conditionis mentes illae perbeatae, quas tu doctiſſimis libris, & divino utique ſpiritu illuſtraſti, annalibus, martyrologiis, opuſculis, ſe non ingreſſui tuo, gratiam tibi rependentes, feliciter obtulerunt? Quin etiam, quamvis tam egregii, ac divini viri omnis terra ſepulcrum ſit, & monumentum; tamen praeclarum tibi excitarunt ſepulcrum in animis ſuis Congregationis Oratorii Presbyteri, conſortes glorioſi laboris, tibi dediti, tibi dedicati. Praeclarum religioſi ordines omnes tanquam religioſarum familiarum patrono, propugnatori, domino, nominatim vero Societas Jeſu infinitis tibi obſtricta nominibus, aeternas in animis tam eorum qui nunc ſunt ex eadem familia hominum, quam eorum qui multis poſt ſaeculis futuri ſunt, erigit aras, nec mole operis odioſas, nec invidioſas tumore titulorum, ſed quales moderatio, & demiſſio tua poſtulat.

ORA-

ORATIO
IN FUNERE
CAESARIS BARONII
CARDINALIS
HABITA NEAPOLI

CORAM

PHILIPPO CARDINALI SPINELLO

A Hieronymo Binago *Neapol. Congr. Presb.*

DUM lugubri pompa, cantu importuno, moeſtoque Templi hujus apparatu Caeſaris Baronii Cardinalis funus ducimus, ambigerem profecto, Praeſul ampliſſime, major ne nobis triſtitiae, an conſolationis detur occaſio. Exceſſit ille quidem ex infelici mortalium ſtatu; acerboque ejus mortis icti nuncio, mirum in modum doluimus omnes in commune totius reipublicae Chriſtianae incommodum conjicientes oculos, quum eum nobis ſublatum eſſe ſciremus, qui tanquam lucerna ardens & lucens in ſublimi Eccleſiae candelabro conſtitutus, ſuo ſplendore ac lumine univerſum terrarum orbem penitus illuſtrabat. Tot tamen, tantaque obiens integerrimae vitae inſignia, praeclaraeque virtutis monumenta dereliquit, ut dum, ea recolentes, juſta perſolvimus, iterum celebri fama reviviſcere, ſublatoque omni moerore, ac triſtitia, animos noſtros ſui recordatione conſolari, ac jugiter recreare videatur. Quare divinum illud quod de Joſia fertur oraculum, hodierna die non immerito poſſumus uſurpare. Memoria Caeſaris in compoſitione odoris facta opus pigmentarii, in omni ore quaſi mel indulcabitur ejus memoria, & ut muſica in convivio vini. Afflixit nos, fateor, acerbus Caeſaris interitus: recreabit hodie ſanctiſſimae vitae ejus adumbranda effigies. Amara fuit illius a nobis diſceſſio: fiet melle dulcior noſtro ſermone renovata memoria. Importunus aures noſtras nuncius perturbavit: at ſuaviſſimo actionum ejus concentu, virtutumque harmonia magis magiſque oblectabuntur. Dabitis igitur mihi, Auditores, hanc veniam, ut ad ſedandos angores animi, & dandam moerentibus hilaritatem ac laetitiam, quem adhuc viventem inter nos complures graviſſimique viri ſexcentis praeconiis exornarunt, eumdem ego mortuum

Digitized by Google

in hac civitate, in hac aede, in conſeſſu conſpectuque veſtro, brevi proſequar laudatione. Qua in re, ne domeſtica praedicare videar, illud omnibus ſatisfacere debet, quod haec gloria ob illius ampliſſimum dignitatis gradum, ob eximiam in omnes beneficentiam, & amorem, quo ille uniuſcujuſque res ducebat ſuas, nobis eſt cum tota Chriſtiana republica communis: verum, ne temporis excedamus anguſtias, tacebo innumera integerrimi viri praeconia, quae & maximam nobis moverent admirationem, & gloriam illi darent immortalem; omnemque orationem meam ad tres quaſi fontes, & capita revocabo, ut qualis in ſe ipſum, qualis in alios, qualis in Deum fuerit Baronius, quilibet ſibi ſtatuere poſſit ante oculos: in his enim abſoluta Chriſtianae religionis forma, ſolidaeque virtutis pondus ac momentum videtur eſſe conſtitutum.

Vix ad prima adoleſcentiae tempora Caeſar pervenerat, cum in id omni ſtudio ſibi contendendum eſſe ſtatuit, ut totum vitae ſuae curſum ita moderaretur, quo feliciſſimam aeternitatis metam aliquando contingeret. Totum ſe propterea ad pietatem comparandam contulit, aptiſſimo uſus magiſtro Beato PHILIPPO Nerio: quo docente tantum profecit, ut in ipſis Chriſtianae diſciplinae tyrociniis egregium futurae virtutis ſpecimen praeſeferret. In eorum adſcriptus numerum, quos beatiſſimus Pater ut ſui inſtituti ſectatores congregabat, quadraginta annorum ſpatio inter nos ita vixit, ut primus inter primos, cum ad ſummum virtutis apicem perveniſſe judicaretur, non tamen in ea perſtiterit, ſed quotidie ſe ipſo melior evaderet, ac perfectior. Summa praecipue in eo eluxit ſui ipſius, & humanarum rerum deſpicientia: tantam in victu, veſtituque parſimoniam ſervavit, ut pauperior caeteris appareret: ab omnibus humanae vitae commodis, corporiſque deliciis ita abhorruit, ut non facile intemperans quiſquam inveniatur, qui tanto ſtudio eas conſectatus ſit, quanto ille repudiavit: quodque caput eſt, eamdem vivendi rationem ita perpetuo coluit, ut nec infinitus ſtudiorum labor, nec ampliſſimae dignitatis faſtigium, nec divitiarum copia, ulla unquam ratione illam potuerit immutare.

Quis vero continuos ab eo exantlatos labores in ſtudiis pro dignitate valeat explicare? Teſtentur hoc, praeter caetera, duodecim Eccleſiaſticorum Annalium volumina, quae ſi curſim ab aliquo perlegantur, non mediocrem fortaſſe legenti ingerent moleſtiam, ac difficultatem. At omnia ſolus ipſe multo tempore meditata, cogitatione concepit, ex ſuggeſtu ad populum verba faciens delineavit, propria manu conſcripta formavit, firmavit conſilio, ac denique veluti feliciſſimos partus profuturos omnibus parturivit. Contemplamini mecum, Auditores, Baronium in ſuis ſtudiis inſudantem. Antiquas gentium omnium recenteſque evolvit hiſtorias, perluſtrat annales, divinarum litterarum verba meditatur, aſſidue ſanctiſſima Divorum geſta undique perveſtigat, omnes Eccleſiarum omnium ſynodos, ſancitas leges, decreta promulgata diligenter explorat, Patrum monumenta pervolutat, caeterorumque denique omnium ſcripta, quae vel utilitatis aliquid, vel eruditionis continent, quotidie habet in manibus: ut quod in Hieronymo glorioſum laudavit antiquitas, quod libros omnes, qui ea tempeſtate exierant, apprime calleret, de Baronio jure optimo poſſimus affirmare. Nec tamen in ſola eorum lectione feliciſſimus ille animus conquieſcit.

Quid

Quid mali, bonique contineat unuſquiſque, attente contemplatur, unum cum altero comparat, eumdem confert cum ſe ipſo, errores detegit, confutat mendacia, antiquas Eccleſiae traditiones aperit, haereſes damnat, Fidei teſtimonia ſeligit, ad illam confirmandam notat argumenta, abſcondita mira ingenii ſagacitate perſcrutatur, difficultatum nexibus involuta explicat, rerum denique omnium veritatem poſt innumeros labores toleratos aſſequitur quamfeliciſſime. O hominem invictum! O virum omni laude, omni gloria, omnique praeconio extollendum! Quot tibi difficultates, Cardinalis optime, fuerunt ſuperandae, quot certamina ſubeunda, ne aliquantulum ab incepto retardareris itinere! Quanta tibi fuit curandum induſtria, ne ſuſcepto oneri animus, animo vires, viribus tempus aliquando deeſſet! quum adhuc alii, ut tuis utar ſermonibus, ad ſuſceptum munus negotiorum faſces imponerentur, cura videlicet animarum, publicum de ſuggeſtu miniſterium verbi Dei, praefectura domeſtica, praeter alia quamplurima, quae inopinate & importune moleſtiores quotidie ingererent interventores. Laboraſti tamen viriliter, nec ſudori parcens, nec vigiliis; & ita laborando profeciſti, ut ſuaviſſimos tui laboris fructus tota ſit nobiſcum perceptura poſteritas. Verum illud ego in tot ſtudiorum occupationibus ſumma dignum admirabilitate cenſeo, quod Cardinalis piiſſimus antiquos illos Hieronymos, Auguſtinos, Ambroſios, Gregorios, caeteroſque Eccleſiae Catholicae anteſignanos patres imitatus, ita cum ſtudiis pietatem, aſſiduamque orandi conſuetudinem conjunxit, ut illis animum ſuum a Deo, diviniſque rebus contemplandis, ne minimum quidem diſtrahi pateretur: ſciebat enim, quam bonum, & jucundum eſſet, hujuſmodi fratres habitare in unum. Vere os illius meditabatur ſapientiam, & lingua ejus loquebatur judicium; lex Dei ejus in corde illius: ut ſcite vir quidam eximius, quum Romae Baronii acta diligentius obſervaret, aurea illa verba pronunciarit omnibus ubique locorum praedicanda: Cardinalis Baronius totus in Deo, totus in ſtudiis. Dignum prorſus tanto viro elogium! Cardinalis Baronius totus in Deo, totus in ſtudiis.

Non immorabor diutius, Auditores, in laudandis omnibus hujus eruditiſſimi viri librorum monumentis, quae ſummis in dies ſingulos ubique laudibus efferuntur, quae non ſummi tantum Pontifices, Praeſules ampliſſimi, Caeſares, Reges, caeterique Chriſtianae reipublicae Principes, & eruditi viri, ſed ipſi etiam Catholici nominis hoſtes infenſiſſimi non poſſunt non ſummopere admirari. Singulares omnes virtutes, quae cuilibet ſcriptori Catholico, & peritiſſimo doctori amplitudinem nominis, & gloriam afferre ſolent ſempiternam, ita ſimul omnes in ſe copulavit Baronius, ut, quaenam dignior inter eas habeatur, non facile dijudicari poſſit. Evolvite omnes Annalium tomos: ſinguli puriſſimam veritatem, cum veritate pietatem, cum pietate eloquentiam, cum eloquentia Fidei Catholicae tuendae ſtudium, cum hoc ſtudio prudentiam, cum prudentia modeſtiam, cum modeſtia denique invictiſſimam in dicendo libertatem praeſeferunt; ut quae ſingula caeteros illuſtrant ornamenta, in Caeſarem mira conſenſione ſimul omnia confluxiſſe videantur.

At ſicuti ſummopere elaboravit Caeſar, ut ſapientia caeterarumque virtutum inſignibus animum exornaret, ita eumdem ab omnibus hujus vitae

Digitized by Google

vitae divitiis, & dignitatum gloria alienum adeo cuſtodivit, ut illas perpetuo aſpernatus tanquam ſuae ſalutis exitium acerrime oderit, oblataſque ſaepius firmo conſtantique animo reſpuerit, & licet illis quamvis invitus abundarit aliquando, nullum tamen inde commodum, nullum gaudium, nullam denique percepit oblectationem. Teſtes ſunt complures, & ampliſſimi viri, qui non mediocre divitiarum pondus in ſtudiorum ſuorum ſumptus ſaepius obtulerunt; quod tamen ille cum gratiarum actione recuſavit. Teſtes ſummi Pontifices, qui eum adhuc inter nos viventem, ut annuos redditus reciperet, vix repetitis precibus compellere potuerunt. Teſtis Chriſtianiſſimus Rex Galliarum, qui oblatum ei eximium munus regia dignum liberalitate, ſemel, iterumque rejectum, vix imperante ſummo Pontifice, ut a Caeſare reciperetur, potuit obtinere; quod tamen ille acceptum, Eccleſiae noſtrae in urbe protinus dedicavit.

Jam vero delatos ſibi honores eximios, & ampliſſimas dignitates quanta animi magnitudine ſaepiſſime repudiavit, ipſum totius orbis theatrum, Roma, inquam, atteſtetur, ubi ipſe quinquaginta annorum curriculo vitam ſuam omnibus apprime notam inſumpſit. In hac re ut aſſignati temporis brevitas quamplurima dicere me non patitur, quae laudibus eſſent maximis efferenda, ita rationem illam ſaeculis omnibus admirandam, qua ad altiſſimos in Eccleſia Romana honorum gradus pervenit, reticere prohibet Chriſtiana pietas & religio.

Caeſarem Baronium Clemens Octavus Pontifex Maximus Protonotarium Apoſtolicum participantem, ut ajunt, creare decreverat, quo eumdem poſtea in purpuratorum Patrum ordinem referret. Advenit praefiuita dies: vocatur Baronius: aperit id ei Pontifex, recuſat; urget Clemens, abnuit; exorat piiſſimus Pater, repugnat; ex [illegible] obedientiae praecepto jubet Pontifex, ars mira! mens perturbatur, verba deficiunt, tremit Baronius, balbutit, qui ante expedite, animoſeque loquebatur. Enixe rogat ſummum Pontificem, ut tanto ſe praecepti vinculo abſolvat, rationes affert, adducit exempla, inſtat precibus. At ſubridens amantiſſimus Paſtor, caſtigatione, inquit, Caeſar, indigeres, cum non prompto, alacrique animo nobis obedire videaris: cui protinus Baronius, ablega me, Beatiſſime Pater in Indias, vel in Angliam, vel etiam conjice in vincula; parebo libentiſſime, dummodo ne a privato anteactae vitae inſtituto me retrahas. Advocat illico famulos ſummus Pontifex, ut Caeſarem inſignioribus Protonotariorum veſtimentis induant: imperat, exequuntur famuli mandata Pontificis. Vidiſſes trepidare Baronium conſueto oris colore immutato, varia doloris, & moeſtitiae argumenta praeſeferre, reluctari viriliter, humi ſe ſe projicere, quod gerebat, ne ſibi detraheretur, palliolum mordicus utraque manu conſtringere, ex eorum ſe manibus ſubripere; tanta vi denique reſiſtere conantibus, ut jugis ex toto corpore ſudor efflueret. Id tandem diuturnis precibus vix potuit impetrare, ut domum illa die eodem veſtitu, quo indutus venerat, rem totam cum Deo collaturus reverteretur. Quod tamen non ei contigit ex ſententia; nam poſtridie ſummo mane Clementis famulus domum advolat, veſtimenta defert, praeceptum Pontificis aperit, ac eum denique, multis ſpectantibus, pluſquam animo cogitari poteſt, dolentem inſigni Protonotariorum veſti-

Digitized by Google

veſtitu exornat. Quis tum Baronii animus? quis pallor? quis vultus? quis angor animi? quaenam ſaepius repetitae querimoniae? Major in illo quotidie fiebat triſtitiae, & doloris acceſſio; quod probe ſciret, haec omnia eo tendere, ut eum poſtea Pontifex ad altiores dignitatum gradus eveheret.

Vix pauci praeterierant menſes, quum ei ampliſſimam Cardinalis dignitatem Pontifex maximus detulit: quam ille oblatam, tanto conatu, tantaque animi fortitudine a ſe penitus contendit abjicere, ut priſcis illis Eccleſiae Patribus, Ambroſio, Gregorio &c. non inferior fuiſſe videatur. Hoc ego egregium facinus, Auditores, ſi vobis ſtudeam explicare, vereor, ne rei dignitati animi mei cogitatio non reſpondeat, cogitationi non ſufficiant verba, & verbis fortaſſe digna ab aliquibus fides non habeatur. Itaque rem totam vobis ante oculos proponam eadem prorſus oratione, qua ipſe Clementem Pontificem epiſtolari alloquens ſtylo, illam, ut ſe habuit, accuratiſſime reliquit omnibus explicatam.

Non eſt, inquit, quod queri poſſis, Pater ſanctiſſime, quod Sanctitati Tuae ipſe adeo videar reluctatus; ſed, ſi liceret, eſſet mihi jure expoſtulandum, quod, quum a Praedeceſſoribus tuis, qui me a privatae vitae portu abſtrahere non ſemel voluerunt, tamen, quam deprecatus eſſem, obtinuerim honorum immunitatem, a te vero, a quo magis amari ſcirem, nequaquam potuerim impetrare, ſed quo mei amantiorem, venia petita dixerim, eo violentiorem expertus ſum, quum per tuos ſeorſum abreptus, cubiculo clauſus, vixque tandem ut audirer multum rogans, admiſſus ante conſpectum tuum Angelis reverendum, poſt meam defenſionem, abs te reſponſum illud unum tantum acceperim, quo robuſta voce diram anathematis protuliſti ſententiam, ſi amplius reſiſterem, & niſi penitus acquieſcerem. Quem non terruiſſet, ac non penitus dejeciſſet, atque proſtraſſet talis erumpens e coelo repente tanto fragore tonitrus, fulmen aeternae damnationis explodens?

Ita ſubactus, etſi manus dedi, non aeque animum; ſi enim licuiſſet, retraxiſſem illas: ſicuti Zara olim, dum e materno utero progreſſurus, ubi ſe altera manu vinctum coccino ſenſit, primigenia non curans, eam retrahens, eumdem repetiit uterum, malle ſe non naſci ſignificans, quam vinctum purpura progredi Sed ſicut naturae tandem ille ceſſit imperio, qui ſupra naturam quiddam admiratione dignum viſus fuerat operatus: ita & ego legibus Chriſti obtemperare coactus, tanquam abortivus ſum projectus ex utero, illo videlicet, in quo ſemel conceptus ſpiritu cupiebam formari in virum perfectum, nec exire, donec transferrer ad tumulum, ne oculus me videret. Maternum jure dixerim uterum domum illam, in qua poſt conceptionem illam meam coaleſcere cum fratribus meis, diemque extremum claudere abſque aliqua lucis uſura, fulgore videlicet cujuslibet dignitatis, in mentis firmo propoſito erat, ne illud audirem infauſtum: Quare miſero data eſt lux? Lux enim, inquit S. Gregorius, miſeris datur, quum & tolerare honoris munera compelluntur. Quum ergo tanti etiam Patris ſententia nonniſi miſer homo ex collatis honoribus cenſeatur, pro hujuſmodi minime gloriabor. Hac eadem ſubmiſſione, ingenitaque mentis conſtantia, dum Romae de ſubrogando ſummo Pontifice comitia celebrarentur, quid egerit Caeſar, quid molitus ſit, quanta vi reſtite-

ſtiterit curantibus plurimis, & enixe rogantibus, ut eorum conſiliis de oblata ſibi primae ſedis amplitudine conſequenda pareret, conſtans eſt, & publica ubique fama; ſunt qui fidem faciant; non deerunt, qui tantae rei ſeriem aeternis librorum monumentis conſignabunt. Admirentur hic alii ſingularem Caeſaris eruditionem, extollant orandi ſtudium, laudent parſimoniam, celebrent laborem aſſiduum, venerentur nobiliſſima Cardinalis inſignia: hoc unum mihi prae caeteris inſigne Chriſtianae pietatis exemplar ab omni poſteritate in eo videtur praedicandum, quod in tanta honorum virtutumque omnium copia nullo unquam arrogantiae faſtu, nullo incitamento ſuperbiae elatus, ne leviter quidem, integram toto vitae ſuae tempore pietatem, & ſartam tectam cuſtodierit animi ſubmiſſionem. Quod ſi gloriari licet, dicebat aſſidue cum Apoſtolo, libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti: propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, utpote quae ſunt vera ſigna divinae vocationis. Verum longius, quam voluiſſem, in eis enarrandis, quae Baronius in ſe ipſum egit, mea progreſſa eſt oratio, urgente videlicet tantarum rerum copia, & ſuaviſſimi argumenti praeſtantia. Venio nunc ad ea, quae in alios, & in Deum admiranda perpetravit; eaque percurram quambreviſſime, ut proponere magis, quam exponere, indicare videar, non explicare.

Admirabile fuit in eo humanae ſalutis procurandae ſtudium, in revocandis ad rectum virtutis tramitem errantibus diligentia ſingularis, in eiſdem ad altiores Chriſtianae perfectionis gradus perducendis mira vis, & induſtria, conſtans denique ac firma voluntas in iis omnibus exequendis, quae vel mediocri mortalium utilitati aliqua ratione viderentur expedire. Hinc illa nunquam ſatis laudata conſuetudo audiendi quotidie Chriſtianorum confeſſiones, quam ille annis quamplurimis in Eccleſia noſtra, quum etiam Protonotarii dignitate fulgeret, ſemper retinuit. Hinc mos praedicandi toto anni tempore ſaepius in hebdomada verbum Dei; quod ille munus quadraginta annorum intervallo ſumma laude, ſummaque audientium utilitate ita exercuit, ut Cardinalis etiam, quantum per publica negotia licebat, ſaepe ſumma totius urbis admiratione frequentarit. Hinc mirifica, quum toti Congregationi praeeſſet, in ſuſcepto munere adminiſtrando vigilantia; hinc ingens in rebus moderandis ſumma cum humanitate prudentia; hinc denique inſtituti ſui ad poſteros feliciter propagandi vehemens ſolicitudo & ſtudium.

Nil hic dicam de fragranti illa benemerendi de omnibus cupiditate, qua, quum Cardinalis eſſet, aeſtuabat: ſilebo infinita in plurimos cujuſque generis homines ab eo collata beneficia: praetermittam viros innumeros a remotiſſimis orbis partibus, ut impiorum declinarent pravitatem, ad eum confluentes omni humanitate ſuſceptos, & beneficentia: tacebo non paucas religioſorum familias illius auctoritate & patrocinio ſaepiſſime recreatas. Venio nunc ad maximam illius liberalitatem in pauperes, & miſericordiam. Quoties illum xenodochia, aliaque pauperum domicilia viderunt propria manu miniſtrantem aegrotis alimenta, eorumque commodis mira alacritate inſervientem? Quoties ea etiam, quibus ipſe indigebat, ad aliorum inopiam ſublevandam liberaliſſime erogavit? Qua in re illud eſt aeter-

na

Digitized by Google

na memoria conſignandum, quod quum a concionatore juvenis adhuc audiſſet, maxima hominem quemdam premi paupertate, & auditorum expoſtulare ſubſidia, tanta repente miſericordia commotus eſt, ut, quum tres tantum ſecretiores corporis veſtes, quas ſubuculas appellant, acceptas a matre, domi aſſervaret ſuis ipſius uſibus maxime neceſſarias, eaſdem ſubito concionatori deferret, pauperi largiendas, quas ille poſtea de ſuggeſtu coram omnibus propoſuit, ut ſingulare miſericordiae exemplum intuerentur.

Quod ſi omnes, ad quos Caeſaris pervenit liberalitas, in medium evocentur, prodibunt protinus quamplurimae exterarum gentium familiae, quae Romae pietatis ergo commorantes, illius opibus uberrime fuerunt ſuſtentatae; exibunt magnae religioſorum, viduarum, & pupillorum catervae, a rerum omnium indigentia ſaepiſſime ſublevatae; efferet ſe prae caeteris pauperrima illa pauperum vagantium domus, quae illius conſilio, auctoritate, & operibus locupletata, praecipuo illi ſemper in amore fuit & deliciis; accurret piiſſima puellarum cohors, quae paſſim tota urbe non ſine magno detrimento evagantes, illius ope & facultatibus unum in locum congregatae, pie religioſeque educantur; aderit illico Sorana civitas, vel hoc ſolo inſignis nomine, quod Caeſarem Baronium genuerit, in qua amantiſſimus civis egregium coenobium ſuo ſumptu aedificandum curavit, omnique inſtructum ſupellectili religioſis piiſſimiſque viris ex D. Franciſci familia, Capuccinos dixerim, humaniſſime eſt elargitus. Quid admiramini, auditores? Quid obſtupeſcitis? Non ad mortales tantum Baronii liberalitas emanavit: ad coelum quoque, ſi dicere fas eſt, beatiſſimoſque coeleſtis patriae incolas ſeſe diffudit. Meminiſtis antiquum SS. Nerei & Achillei Templum dirutum penitus, & ſolo aequatum. Hoc ille, Cardinalis creatus, ſponte elegit in titulum, ſuis ſumptibus illico reſtauravit, elegantiſſimis divorum imaginibus decoravit, mira ornamentorum varietate illuſtravit, muneribus auxit, ac inter caetera urbis monumenta ſuo ſplendore, ac nomine mirifice reddidit admirandum; in quod SS. Martyrum corpora ex D. Hadriani aede ſumma pietate tranſtulit, ut in illo tutelares Martyres tanquam in proprio domicilio in poſterum honorificentius habitarent. Quot inſuper in exornando D. Gregorii Templo, plurimis aediculis renovandis, aliiſque reſarciendis antiquitatis monumentis ſumptus fecerit, noverunt omnes, qui priorem loci illius conditionem recordantur. Plurima adhuc poſſem afferre in medium tantae liberalitatis indicia: ſed, quoniam velocitate maxima mea laudatio feſtinat ad portum, quae in Deum vir piiſſimus geſſerit, feſtinando percurramus.

Nihil ei clarius, nihil antiquius pietate & amore in Deum Optimum Maximum, quo ita aeſtuabat, ut in eum aſſidue mentem cogitationemque converteret: & quamquam inter nos poſitus quotidie verſaretur in coelo, &, quum hic nobiſcum viveret, jam tamen civis eſſet ſanctorum, & domeſticus Dei, vere converſatio illius in coelis erat, quum, quae ſuper coelos ſunt, saperet, non quae ſuper terram. Si cum amicis & familiaribus loqueretur, nullum ex ejus ore verbum prodibat, quod non ad Dei laudem pertineret: ſi alios variis de rebus diſſerentes audiret, in Deum protinus omnia referebat: ſi ſanctiſſima divorum Templa inviſeret, tanto divini Spiritus ardore replebatur, ut inde regrediens religionem ſpira-

Digitized by Google

re, ſanctitatem redolere videretur: ſi ampliſſimis purpuratorum Patrum conſeſſibus variis de cauſis vocatus adeſſet, ita rebus quae agerentur tanta intentione aderat, ut tamen ad divina ſimul animus evolaret. Si conquiſitam poſt diuturnos labores hiſtoricam veritatem ſuis libris intexeret, divino mentis acumine ex illa obſervandum aliquid inferebat, quod vel ad religionem confirmandam, vel ad propagandam pietatem, amoremque in Deum excitandum pertineret. Si de graviſſimis negotiis ad Chriſtianae reipublicae ſtatum, & Eccleſiae Catholicae ſplendorem auctoritatemque ſpectantibus illius poſtularetur ſententia, ſolus praepotentis Dei gloriam ſibi ſtatuens ante oculos, tanta utebatur in eis aſſerendis, quae vera & recta eſſe ſentiret, animi libertate, ut in dicenda ſententia nihil unquam gratiae dederit, aut metui, nunquam orationem ſuam ad alicujus voluntatem accommodarit. Exardeſcebat mirum in modum animus *ille coelo natus* ſtudio religionis Catholicae propagandae, & veritatis, quae diu denſiſſimis errorum latebris involuta latuerat, aperiendae omnibus & confirmandae; creſcebatque in dies ſingulos adeo ſanctiſſimae cupiditatis ardor, ut frequentiſſimae ſupremo rerum omnium Parenti preces offerens, in illa verba raperetur, quae ipſe poſtea ſuis Annalium chartis conſignata reliquit: Dixi, Domine, & dicam ſemper: ecce venio teſtaturus tua gratia, ſi liceret, multo melius ſanguine, quam ſcriptis, Catholicam veritatem; ſiquidem voce ſanguinis nulla potentior, quae jugiter de terra clamans audiatur in coelo.

Quum igitur tot tantaſque Cardinalis Baronius in ſe ipſum virtutes exercuerit, tot in alios beneficentiae & liberalitatis ſigna ediderit, tot in Deum Optimum Maximum pietatis & amoris oſtenderit argumenta; non eſt cur admiremini, auditores, ſi pretioſa extitit in conſpectu Domini mors illius. Diuturna fuit illa, qua diem extremum clauſit, adverſa valetudo: in ea tamen incredibili quadam fortitudine ſe armatum ac munitum eſſe demonſtravit, dum nec gravitate febris, nec doloris acerbitate perturbari, nec imminentis mortis metu a divini amoris dulcedine, ac rerum coeleſtium contemplatione removeri unquam potuit.

Jamdudum ab importunis terrenarum rerum curis abdicatus, ad jucundiſſima ſempiternae felicitatis gaudia toto animi ſui impetu momentis ſingulis anhelabat, Quis dabit, inquiens, mihi pennas ſicut columbae? & volabo, & requieſcam. Unde quum poſtremam duodecimo ſuorum Annalium volumini manum adjeciſſet, jam ſibi imminentis mortis conſcius, quanto illius deſiderio teneretur, hujuſmodi verbis caetera omnia, quae ad illam uſque diem ſcriptis mandaverat, veluti fine concludens, luculentiſſime reddidit omnibus exploratum: Sicut ſervus deſiderat umbram, quum ſub aeſtuantis ſolis radiis labore fractus, calore diſſolvitur, ita & ego portans pondus diei & aeſtus, exoptavi, ut tandem faſce ſolutus, ſub umbra illius requieſcerem, quem ſemper concupivit anima mea; & ſicut mercenarius praeſtolatur finem operis ſui, exoptavi & ego, ut, inclinata ad veſperam die, mercedem acciperem a Patrefamilias denarium diurnum, ejus imagine cuſum, & pretio auctum illius, qui dixit Abrahae patri credentium: Ego ero merces tua magna nimis. Ab hora namque prima conductus, ejus auxilio indefeſſo ſtudio laboravi. Quod jam vero

ro

Digitized by Google

ro ſit diei hora noviſſima, pulſante oſtium morte, ſumpta fiducia immenſae Dei miſericordiae, accurro ad Patrem filius, ſed prodigo illi ſimilis, miſericordiam petens. Tu vero, Pater, ne occurſum neges, amplexum ne ſubtrahas, neque oſculo prives immeritum; ſed, ut Pater illi, mihi exhibe ſtolam primam, porrige anulum, & caetera illi exhibita uſque ad calceamenta pedum, amoris ſigna, honoris inſignia, & quod praeſtat omnibus, ut nomen filii conſequutus, tuus haeres, Chriſti vero cohaeres effici dignus inveniar. Haec ipſe. Quamobrem quum in extremum jam morbum incidiſſet, cum beatiſſimis coeleſtis Patriae civibus loquebatur aſſidue, illorum, quos tanto amore & veneratione proſequutus erat, ſupremum implorans auxilium. Deum Optimum Maximum frequenter invocabat: ut ſibi in extremo vitae ſuae momento pro ſe praeliaturus adeſſet, precabatur: Chriſtum jugiter habebat in corde: Jeſu nomen, omni melle dulcius, ore ſaepius repetebat, illudque ab aliis pronunciatum, in ſuis auribus cupiebat reſonare: illi anteactam vitam, illi ſua omnia, ſeque ipſum offerebat, a quo ſempiterna laboris ſui praemia jam jam ſe conſequuturum ſperabat.

Advenit tandem optatiſſima dies conſecrata memoriae D. Pauli Apoſtoli, cujus ille tutelae ac patrocinio totum ſe vivens commiſerat. Aderant tunc dolentes noſtrae Congregationis Patres, aliique domeſtici. Hos omnes benigniſſimo vultu intuetur Baronius; illorum ſe precibus poſt abſolutum praeſentis vitae curriculum apud Deum commendari vehementiſſime poſtulat. Extollit ad coelum oculos, ultimum exitus ſui momentum divinae offerens voluntati. Jeſu Chriſti Domini noſtri ſculptam Imaginem ſummo amore ac reverentia complexam adjungit pectori; & veluti Jacob alter colligit pedes ſuos ſuper lectulum, manuſque componit. Ad eos, qui aderant, iterum convertens oculos, poſtrema illis ſalutationis verba dicit, opem implorat, preces efflagitat: & quum inter haec ſolitis Eccleſiae precationibus ad coeleſtia regna vocaretur, occludens ſe ipſo oculos, ore compoſito, ſanctiſſimus ſenex feliciſſimum ſuo conditori animum reddidit, cum illo perpetuo regnaturus.

Haec Caeſaris Baronii vita inſignibus virtutum ornamentis cumulata, haec mors feliciſſima, anteactae vitae quamſimillima, ac maxime conſentanea. Habemus, auditores, in Caeſare Baronio quae admiremur, habemus quae laudemus, habemus etiam quae imitemur. Acerbiſſima foret illius amiſſio, niſi tot poſt ſe virtutum ornamenta in nobis exprimenda reliquiſſet. Imitemur virtutes, ſequamur veſtigia, ut cum illo jam, ut credi par eſt, in beatorum ſpirituum ordinem cooptato, tandem aliquando ſempiterna fruamur felicitate.

Digitized by Google

JUSTI BARONII VETERA CASTRENSIS THEOLOGI JURISCONSULTI, ET CONSILIARII MOGUNT.

IN OBITU

CAESARIS BARONII

CARDINALIS

Ad R. P. Nicolaum Serarium *Societatis Jeſu*

PARENTALIA.

POſteaquam mihi renunciatum eſt, Serari, de obitu Illuſtriſſimi & Rmi Cardinalis D. Caeſaris Baronii Sorani, viri, ſicut ipſe noſti, longe maximi, &, quod ipſa invidia teſte aſſeveraverim, pientiſſimorum omnium doctiſſimi, & doctiſſimorum omnium pientiſſimi; ſane quam pro ea ac debui, quamque res ipſa, ac jactura tanti Principis poſtulabat, vulnere doloris perculſus ſum acerbiſſimo: majoremque eam calamitatem exiſtimavi, quam quae vel verbis a me exprimi, vel ullo lacrymarum fonte ſatis digne deplorari atque expiari poſſet. Equidem poſt beatum Clementis VIII. Pontificis optimi maximi, & nunquam ſine praefatione ſempiternae gloriae nuncupandi, exitum, ſic ſenſi, atque etiamnum ſentio, nullum mihi triſtius aut luctuoſius nuntium obvenire, nullum Eccleſiae, puraeque fidei, & religioni Catholicae gravius damnum aut detrimentum accidere poſſe, quam ſi Baronio hoc noſtro occumbente, uno quaſi momento & mihi tutiſſimum fortunarum mearum praeſidium, & fortiſſimus Chriſti athleta, qui veluti alter SCIPIADES validiſſima hactenus fulmina in haereticorum caſtra contorſiſſet, ſtrageque immenſa edita, ac centuriis ſatanae, e portis inferi in detrimentum Eccleſiae productis, glorioſe profligatis & conculcatis, formidine nominis ſui paſſim omnia compleſſet, exanimis ſubito concideret, ſimulque de ſtatione vitae, ac praeſidio domus Domini, felicioribus regnis ſucceſſurus decederet. Eheu! vir maxime Baroni, pater mi, pater mi, currus Iſrael, & auriga ejus, tu tantus Quiris letho datus es? Quam tuti tuo praeſidio, quam glorioſi & illuſtres tua fama fuimus! Nimirum illud ad conſertiſſimas hujus ſeculi calamitates ſupererat, ut te etiam duce, atque auſpice militiae noſtrae deſtitue-

Digitized by Google

ſtitueremur, nudataque primipilis agmina hoſtium furori deinceps objiceremus. Sed age, tu ad palmam uſque decertaſti, tu curſum conſummaſti, tu fidem ſervaſti: repoſita eſt tibi deinceps corona juſtitiae, corona, inquam, immarceſcibilis, quam juſtus ille agonothetes Leo de tribu Juda, Princeps Paſtorum, tibi tuique ſimilibus ſtrenuiſſimis bellatoribus in beato illo aevo retributurus eſt, ubi non eſt mors, non luctus, non laſſitudo, non infirmitas, non fames, nulla ſitis, nullus aeſtus, nulla corruptio, nulla indigentia, nulla moeſtitia, nulla triſtitia. Quae gloria non minuitur copia poſſeſſorum, nec fit anguſtior numeroſitate cohaeredum, ſed tanta eſt multis, quanta paucis, tanta ſingulis, quanta omnibus: omnibus, inquam, coeleſtis regni ſociis, hominibus pariter, atque Angelis, & Archangelis, Thronis, & Dominationibus, Principatibus, ac Poteſtatibus &c. Ubi dulcis ſolemnitas a peregrinationis hujus triſti labore redeuntium, ubi feſtivitas ſine fine, aeternitas ſine labe, ſerenitas ſine nube, talis denique delectatio pulchritudinis, ut ſemper tibi praeſens ſit, & nunquam ſatieris: imo ſemper ſatieris, & nunquam ſatieris. Si enim dixero, quod nunquam ſatiaberis, fames erit; ſi dixero, quod ſatiaberis, tunc tibi nec faſtidium erit, nec fames. Quid dicam, neſcio; ſed Deus habet quod pro abundantia liberalitatis ſuae tibi, caeteriſque tuis, & Chriſti cohaeredibus exhibiturus ſit. Hanc igitur gloriam tibi, Baroni, minime nos invidere, ſed gratulari, non praematuram dicere, ſed aetati, & labori tuo tempeſtivam cenſere; adeoque poſitis querelis omnibus, & lingua & mente tranquillo quietis tuae portui, ad quem ſalvus appuliſti, congratulari oportet: illius inſuper memores, quod praeclare a quodam priſci ſeculi auctore ſcriptum extat, mortalibus univerſis ab rerum natura & accipiendi ſpiritus, & reddendi, eodem momento temporis legem dici, atque ut mori neminem ſolere, qui non vixerit, ita nec vivere quidem aliquem poſſe, qui non ſit moriturus. Et iterum, *Humanae vitae conditionem*, inquit, *praecipue primus, & ultimus dies continet: quia plurimum intereſt, quibus auſpiciis inchoetur, & quo fine claudatur.* *IDEOQUE EUM DEMUM FELICEM FUISSE JUDICAMUS, CUI ET ACCIPERE LUCEM PROSPERE, ET REDDERE PLACIDE CONTIGIT.* *Medii temporis curſus, prout fortuna gubernaculum rexit, modo aſpero, modo tranquillo motu peragitur: ſpe ſemper minor, dum & cupide votis extenditur, & fere ſine ratione conſumitur. Nam & ſi eo bene uti velis, etiam parvum ampliſſimum efficies, numerum annorum multitudine operum ſuperando. Alioqui quid attinet inerti mora gaudere, ſi magis vitam exigis, quam approbas?* Haec ille. Sed longius me dolor, atque amor in hoc veſtibulo ſtatim orationis meae tranſverſum abripit, Serari. Ad te ſermonem converto, tibique haec reliqua parentalia mea dico, & conſecro, qui noſti, quanta mihi cum hoc lumine Cardinalium, cum hac columna Eccleſiae Catholicae interceſſerit cognatio, quanta ejus in me merita, quantus amor, & benevolentia extiterit, quanta viciſſim mea in ipſum obſervantia & cultus; ut, ſi quis nunc parentandi officium ſibi ſumturus, juſta illi perſolvere, vel laudum monumenta extruere velit, nemo id meliori jure aut poſſit, aut debeat, quam ego unus, filius ipſius quaſi adoptivus, quem Romae in Baſilica S. Joannis Lateranenſis, anno abhinc circiter ſexto, Sacramento Confirmationis ſolemniter ſibi genuit, impreſ-

ſoque

Digitized by Google

ſoque perpetuo cognominis arrhabone in familiam ſuam lubens volenſque cooptavit. Qua de re quia jampridem tertius epiſtolarum mearum liber plenius uberiuſque teſtatus eſt, pluribus hic verbis uti deſino. Ac ſane, ſi vera ſunt, quae de funeribus antiquorum Romanorum a diverſis hactenus memoriae prodita reperiuntur, praecipuas in illis partes filiorum ſuperſtitum fuiſſe, ut ſcilicet ipſi primi omnium ablatum, perunctumque a funereis libitinarlis, & pollinctoribus cadaver parentum, debitoque ornatu ac veſtitu, qualem ſcilicet vel partus in bello honos, vel publice geſtus magiſtratus requireret, decoratum, ad januam aedium componerent, eoque loco ac ſtatu collocarent, ut per ſeptem ipſos dies faciem & pedes haberet extentos ad viam, & in publicum obverſos: deinde ut iidem in deducendo funere velatis irent capitibus, filiae vero, quo omnia perverſa viderentur, nudato vertice, & crinibus ſparſis: inſuper ut, accenſo extra urbem rogo, quum decurſum fuiſſet a militibus ter ſiniſtro orbe circa eumdem projectis armis, verſiſque inſignibus, ipſi etiam filii cum univerſo populo ſolemni ritu rogum parentum ambirent: ac tandem quum, combuſtis cadaveribus, ſacerdotes oſſa legere inciperent, ipſimet ſtatim ad idem ſe officium accingerent, inventoque primo parentis oſſe, eidem gratularentur, eumque tanquam Deum jam factum conſalutarent &c. Si, inquam, haec omnia ita vero conſentanea ſunt, ego in hoc quaſi paterno meo funere, cui praeſens Romae (quod unice deſideraſſem) exornando, deducendo, flendo, atque ambiendo, debitum impertiri officium non potui, quomodo me ab reliquis iſtius pietatis partibus exſolvam? id eſt, quo pacto, ſi non maxima, quod ajunt, hoſtia parentem, vel integras a capite exequias repetam (qua in re jamdudum in urbe labor multorum, atque Oratorii in primis Patrum, quos tanquam fratres ſub communibus B. PHILIPPI Nerii dulciſſimi in Chriſto parentis ſui ſignis militantes unice colebat Baronius, gnaviter deſudavit) hoc ſaltem poſtremum conſalutandi & congratulandi munus citra impietatis atque ingratitudinis notam praetermittere queam, equidem non video. Eſt ſane, ſi quaeris, virtute ſua, atque immortalibus monumentis toto orbe laudatior Baronius, quam ut mea qualicumque commendatione vel minimum indigeat. Nec parum reformido Favorini philoſophi virgulam, *qui turpius eſſe dicebat, exigue atque frigide laudari, quam inſectanter, & graviter vituperari. Qui enim male dicit, & vituperat*, inquit, *quanto id acerbius facit, tam maxima mole pro iniquo & inimico habetur, & propterea plerumque fidem non capit. Sed qui infoecunde atque jejune laudat, deſtitui a cauſa videtur, & amicus quidem creditur ejus, quem laudare vult, ſed nihil poſſe reperire, quod jure laudet.* Cui ſuffragatur & alterum Joannis Patriarchae Hieroſolymitani in vita S. Joan. Damaſc. *Ruſticioribus*, inquit, *danda eſt venia, ſi quemadmodum poſſint orationes rudi atque inelaborato ſtylo proſequuntur, quum eorum, qui Deo placuerunt, res geſtas exponunt. At qui eloquentiae operam navant, iis ignoſci minime debet, ſi Sanctorum vitas neglexerint, eaſque tumultuaria dumtaxat opera conſcripſerint: praeſertim ſi virorum eorum vitam litteris complectantur*, audi Baronii noſtri διατύπωσιν qui per omnem vitae curſum libris invigilarunt, atque *doctrinae adjumento tum mentem ab inſcitia & oblivione, tum animam ab omni turbulento motu repurgarunt, qui huic terrae ambitui orna-*

ornamentum attulerunt, ac mundum omnem per libros a ſe elaboratos illuſtrarunt, non externa duntaxat ſapientiae gratia pollentes, verum etiam Paracleti lumen copioſe atque affluenter emittentes. Hactenus iſti. Verum, utcumque ſit, Serari, tua auctoritate permotus, tuaque cohortatione roboratus, qui jamdudum ad hoc ſingulare pietatis officium te mihi admonitorem praebuiſti, quique & quid muneris mei rationi, & poſteritatis arbitrio foret accommodatius, optime proſpexiſti, tribus, quod ajunt, verbis exponere in praeſens conſtitui, quas potiſſimum dotes, & quae divini Numinis ſignacula ego in Principe iſto, a primo cum eodem notitiae tempore, ſuſpexerim maxime, quantuſque mihi adeo Baronius quum vivus fuerit, nunc mortuus, merito omnibus eſſe debeat. Magnus videlicet in primis, atque illuſtris animo, quem omni virtutum ſcientiarumque genere habebat excultiſſimum atque inſtructiſſimum, ut cum magnis illis & doctrinae, & ſapientiae heroibus, quos etiamnum hodie admirabunda veneratur Eccleſia, quoſque maximis undique proſequitur laudibus, haud infeliciter comparari poſſit. Argumenta non conquiro: piaculum foret, rei tam teſtatae, atque ipſorum etiam hoſtium teſtimonio comprobatae, nunc demum anxiis rationum documentis, atque experimentis fidem vel quaerere, vel aſtruere velle. Magnus deinde corpore, & ſtatura, quae ei divinitus habiliſſima, & ſpectatiſſima contigerat, quadrata ſcilicet, non ea gracilis nimis, neque nimis obeſa, caeteroqui longa & robuſta, ut excelſus ille animus nonniſi ad ingentia natus, pari corporis robore ſubnixus, perferendis illis continuis & conſcribendi, & commentandi laboribus tanto rectius ſufficere poſſet. Quo minus illam Valerii ſententiam probo, *nimio robore membrorum vigorem mentis hebeſcere, quaſi abnuente natura utriuſque boni largitionem, ne ſupra mortalem ſit felicitatem, eumdem & validiſſimum eſſe, & ſapientiſſimum*. Nam etſi matris naturae foecunditas hac geminata liberalitate non uſquequaque, neque erga omnes utitur, tamen quandoque & pulcherrimam inde corporis, atque animi harmoniam efficit: quod praeter variam exemplorum ſegetem, quibus plena ſunt hiſtoricorum monumenta, ipſa etiam communi ſermone trita paroemia adumbrat εἶδος ἄξιον τυραννίδος: cujus vim, atque ſenſum praeter caeteros, AEthiopes iſti Macrobii vel maxime videntur aſſequuti; qui, Herodoto auctore, quem ex popularibus ſuis maximum, & pro magnitudine validum judicarent, regem ſibi potiſſimum deligere conſueverunt. Sed nunc ad Baronium meum redeo, quem porro magnum quoque ac ſublimem ſingularis fortuna fecit: honeſto quippe inter ſuos loco natum, mediocribus opibus inſtructum, ac tandem virtutum ſuarum merito ad auguſtum illud Cardinalitiae purpurae decus, quo hodie inter Eccleſiaſticas dignitates vix ulla extat magnificentior, aut ſplendoris abundantior, non tam voluntate, vel ambitione ſua evectum, quam majorum auctoritate pertractum, atque imperio confirmatum. Quo tamen ille dignitatis culmine tanta humilitate & modeſtia uſus eſt, ut purpuram magis gerere, quam noſſe, vel aeſtimare videretur; ſibique id humanitatis & beneficentiae, non honoris inſigne collatum crederet, perquam diſſimilis aliis, qui collatis ſibi dignitatum titulis, & emblematibus, non niſi ad faſtum, ac contemtum caeterorum abutuntur: Valeriano forſan illo pſeudodog-

mate imbuti, quidquid in excelſo faſtigio poſitum, humili, & trita conſuetudine, quo ſit venerabilius, vacuum eſſe convenire. Sed aliter Baronius, qui ex innata ſibi, atque imperata humilitate & modeſtia, & quae nova ipſius laus eſt, continentiſſima quoque vitae ratione, jejuniis, & eleemoſynis, hoſpitalitate, & benignitate erga pauperes, peregrinos pariter, & indigenas, viduas, & orphanos, Sacrificiis quotidianis, & ſacrorum locorum, maxime Baſilicae SS. Apoſtolorum Petri & Pauli viſitationibus, & ſupplicationibus frequentiſſimis, Templorum diverſorum reparationibus, necnon aliorum magnificorum operum in honorem Dei & Sanctorum cum Romae, tum Sorae factis praeclaris extructionibus, tantum ſibi auctoritatis atque admirationis apud omnes conciliavit pondus, ut in iſta adhuc carnis ſarcina, quae animam non immerito aggravare fertur, ἀναμάρτητος propemodum, & viſus crederetur ſanctus. Appello heic omnes, quotquot principem gentium Romam proximis abhinc triginta annis ſive pietatis, ſive curioſitatis gratia unquam perluſtrarunt, utrum non ſub primum ſtatim ingreſſum lucem iſtam Baronianae pietatis & ſanctimoniae, quaſi ſydus quoddam illuſtre, ſplendere publice, atque in ore omnium oculiſque verſari animadverterint? Hujus quippe nomen celebre in Eccleſiis, celebre in ſcholis, celebre in curiis, & tribunalibus, celebre inter magnates, ac principes, celebre inter cives, ac plebejos. Summa omnes paſſim Baronium, omnes, velut ſingularis exempli & ſanctimoniae virum, germanumque Nerianae plantationis florem ſuſpicere, colere, ac venerari. Tales nobis ſacrorum ſuorum antiſtites haereſis quoque, ſi poteſt, nominet, qui cum doctrina exquiſita ſeriam quoque pietatem conjungat, expunctaque ex animis omni ſeculi ſolicitudine, abdicatis omnibus carnis illecebris, & blanditiis, eo ſe totos componant, ut non quae ſua ſunt quaerere, ſed quae Dei, non partiri cultum cum Numine, ſed ſe illi totos in holocautomata offerre noſcantur. Haec, haec ſunt noſtrae Romanae Eccleſiae inſignia, haec teſſera militaris, qua confeſtim omnis allophylorum hypocriſis, & profanitas proditur, & haereticae malignitatis palam convincitur, & condemnatur. Sed jamdudum me ingens illa ſcriptorum Baronii, atque Annalium in primis Eccleſiaſticorum magnitudo avocat, quae tanta eſt ad XII. uſque tomum producta, in quo non ſine miraculo, quod omnis obſtupeſcet aetas, proſpecto, atque etiam in veſtibulo ejuſdem tomi diſertis verbis praenunciato, ac praeſcripto vix menſtruo vitae ſuae reliquo ſpatio, calamum poſuit, & quaſi XII. labores Herculis terminavit, ut cum quovis mortalium trophaeo, cum quibuſvis litteratiſſimorum virorum & hujus & ſuperiorum ſeculorum monumentis certare, multoque rectius, quam poetae illius quiſquiliae, titulum illum triumphalem ſibi vendicare queat:

Exegi monumentum aere perennius,
Regalique ſitu Pyramidum altius:
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum.
Non omnis moriar, multaque pars mei
Vitabit libitinam: uſque ego poſtera

Gre-

Digitized by Google

Creſcam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine Pontifex.

Et ſane ſi quis vel rerum hoc opere digeſtarum, id eſt univerſae hiſtoriae Eccleſiaſticae a primis naſcentis Evangelii incunabilis ad ſeram uſque ipſius XII. ſeculi, ac prope devexam aetatem continuo filo deductae praeſtantiam atque utilitatem ſecum ponderare, vel ſtyli atque ordinis, quo haec ab auctore noſtro digeſta ſunt, elegantiam & gravitatem conſiderare, vel in ſolvendis ſubinde pro tanta rerum, ac temporum varietate occurrentium difficultatum nodis, perpurgandiſque hiſtoriis, & ſpuriis a genuinis diſcernendis adhibitam ſingularem induſtriam aeſtimare, vel denique molem ipſius operis, ac fructum inde uberrimum ad totius Eccleſiae florem & ſplendorem, haereticorumque opprobrium, & conſarcinatas in primis illas, meriſque dolis & mendaciis conſutas Magdeburgenſium centurias penitus conculcandas, atque extirpandas, jugiter redundantem rectis intueri oculis velit; cui dubium eſſe poteſt, quin omnes aequi rerum aeſtimatores huic judicio noſtro ſubſcripturi, nihilque a nobis vel falſi, vel hyperbolici dictum omnibus libere calculis comprobaturi ſint? Illos vero rigidos Catones parum moror, qui nec ſuae, nec publicae ſatis rei providi, neſcio quos in ſcirpo nodos quaerere, averruncandoque huic tam praeclaro operi faſces etiam ſuas criticas minitari perhibentur. Auſint: cornicum oculos configant: manes laceſſant defunctorum: turbas publice dent: quam belle operam ſuam locaturi, quidque praemii laturi ſint, me vate, dolentes paullo poſt experientur. Nobis de Baronio noſtro honeſtiſſima ſtet ſententia. Princeps eſto mihi pietatis, princeps litteraturae, & hiſtoriae ſacrae, qui, ut olim *Plato ſtudioſis juvenibus certatim Athenas petentibus, ipſumque Platonem praeceptorem quaerentibus, Nili fluminis inexplicabiles ripas, vaſtiſſimoſque campos, affuſam barbariem, flexuoſos foſſarum ambitus AEgyptiorum ſenum diſcipulus luſtrabat*, ſic ipſe ad colligendam certam atque enucleatam Eccleſiaſticorum Annalium ſeriem, inenarrabili ſtudio, contentiſſimo labore, nullis operarum adminiculis ſublevatus, ſua unius fretus indefeſſa vigilantia, ad extremum uſque vitae punctum, annum circiter xxx. (paullo minus quam laborioſus ac diuturnus ille academicae ſapientiae Carneades, qui nonaginta expletis annis, & ne extrema quidem hora agitatione ſtudii vacua relicta, ſuis operibus ita ſe mirificum addixerat, ut, quum cibi capiendi cauſa recubuiſſet, cogitationibus inhaerens, manum ad menſam porrigere oblivisceretur, Meliſſaeque uxoris officio ad inediam arcendam dexteram ſuam neceſſariis uſibus aptaret) eumdem & vivendi & philoſophandi finem habuit, omnes omnium, quotquot uſquam ſelectiſſimas intra bibliothecas haberi potuerunt, probatiſſimos & fide dignos commentarios conquiſivit & pervolutavit, ut, quod quiſque ſparſim dixiſſet, ipſe in unum faſcem compingeret, atque una tabella lectori incorruptis rerum geſtarum monumentis conſpiciendum praeberet. Quo tam referto & locuplete theſauro ſi paullo diligentius ad inopiam ſuam ſublevandam, & corrigendos foedos errores uterentur ii, qui neſcio quo reformati Evangelii deliro ſomnio capti ſeparata tendere caſtra, & pervicaces praeferre animos pulchrum ducunt, nae illis facile fraus

centurionum ſuorum ſuboleſceret, repetitiſque veteribus caſtris in unam nobiſcum ſocietatem & militiam coaleſcerent. Sed illi perſuaſionibus ſuis vanis pertinaciter inhaerentes obdurant ſe (quod ait Lactantius) *contra manifeſtam veritatem, non tam de ſuis religionibus, quas prave aſſerunt, bene meriti, quam de ſe male: qui quum habeant iter rectum, devios ſequuntur anfractus: planum deſerunt, ut per praecipitium labantur: lucem relinquunt, ut in tenebris caeci ac debiles jaceant. His conſulendum eſt* (ita nos ex animo conſulimus) *ne contra ſe pugnent, velintque ſe tandem ab inveteratis erroribus liberare*. Quod omnino illis facile, pronum, & manifeſtum erit, modo ne pigeat, ad percipiendam veritatis πληροφορίαν legendi vel audiendi patientiam commodare. Verum revocat nunc oratio ad Baronium noſtrum alterum illum Titum Livium lacteo eloquentiae fonte manantem, ad quem non ſolum de ultimis Hiſpaniae Galliarumque finibus, ſed & de caeterarum nationum remotiſſimis oris plurimos veniſſe doctos ac nobiles viros, tum caeteris, tum mihi etiam, qui coram multis eorum laetus aſpexi, ſalutationibuſque eorum praeſens interfui, conſtat: adeo ut quos ad contemplationem ſui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxerit. Habuitque adeo etiam haec noſtra aetas inauditum omnibus ſeculis celebrandumque miraculum, ut urbem tantam ingreſſi, aliud extra urbem quaererent. Atque haec ipſa ſexta Baronii magnitudo eſt, gloriae ſcilicet, & nominis ipſius immenſa quaedam celebritas, quae totum pervagata Chriſtianum orbem, ac longiſſime diſſitis terris & nationibus pervulgata, tantum illi decorem, atque ornamentum attulit, ut omnibus cognoſcendi hominis cupiditate accenſis, quemadmodum olim, Demoſthenis commemorato nomine, maximae eloquentiae conſummatio, ita nunc, Baronii cognomento exaudito, optimi, atque exquiſitiſſimi hiſtorici, addo etiam ſtrenuiſſimi & fortiſſimi Catholicae Fidei propugnatoris & defenſoris admiratio animis ſtatim audientium oboriatur. Quibus omnibus ita conſtitutis, quid conſequi poteſt aliud, quam (quod in ſeptima ipſius & potiſſima magnitudine pono) ſempiternae gloriae, & coeleſtium a Chriſto eidem Baronio noſtro retribuendorum praemiorum uberrima quaedam ſeges; quam tanto majorem illi atque ampliorem prae caeteris auguramur, quanto fortius hic in terris praelia domini praeliatus eſt, quantoque majori labore ac ſolicitudine in talenti ſibi concrediti foenus multiplicandum ſemper incubuit. Quoniam enim, beato Gregorio auctore, *electis in hac vita eſt dilectio operum, in alia quoque vita erit procul dubio dignitatum diſcretio, ut qui hic alius alium ſuperat, illic alius alium retributione tranſcendat. Et quemadmodum in domo Patris noſtri manſiones multae ſunt, ita diſtincti bonorum ordines propter meritorum conſortium communiter quidem laetabuntur, ſed tamen una beatitudo diſpari retributionis qualitate inter eos dividetur*.

Quid ergo? Deſiderat epilogum oratio mea, quem unde ſatis dignum, vel accommodatum depromam, haeſito. Eſt ſane praeclara Ciceronis, nec multum a Fidei noſtrae myſteriis, inſtitutive ratione abhorrens ſententia in Tuſculanis. Nos, inquit, ſi quid tale acciderit, ut a Deo denunciatum videatur, ut exeamus e vita, laeti, & agentes gratias pareamus, emittique nos e cuſtodia, & levari vinculis arbitremur, ut aut in aeternam & plane in noſtram domum remigremus, aut omni ſenſu, moleſtiaque carea-

careamus: ſin autem nihil denunciabitur, eo tamen ſimus animo, ut horribilem eum diem aliis, nobis fauſtum putemus, nihilque in malis ducamus, quod ſit vel a Diis immortalibus, vel a natura parente omnium conſtitutum. Non enim temere, nec fortuito ſati & creati ſumus; ſed profecto fuit quaedam vis, quae generi conſuleret humano, nec id gigneret, aut aleret, quod, quum exantlaviſſet omnes labores, tum incideret in mortis malum ſempiternum: portum potius paratum nobis, & perfugium putemus; quo utinam velis paſſis pervehi liceat. Sin reſtantibus ventis rejiciemur; tamen eodem paullo tardius referamur, neceſſe eſt &c. Haec quidem pie ſatis Cicero, neque extra rhombum forte, ſicut diximus.

Sed quia hic ad tumulum ſtamus doctiſſimi theologi, & praeſtantiſſimi hiſtorici, qui tanquam *ſcriba doctus in regno coelorum* protulit hactenus de theſauro ſuo nova, & vetera, ſuorumque in Annalium opere coagmentando, omni procul dubio animi cura, cogitationeque defixus fuit; cogites, velim, ſi fata eum hic nobis praeſentem ſtatuant, iſque de beato ſuo exceſſu ſciſcitantibus nobis quidquam reſpondere velit, an non verba illa Lactantii ſua facturus, eamque hic coronidem parentalibus meis ſit daturus. Quod ſi vita eſt optanda ſapienti, profecto nullam aliam ob cauſam vivere optaverim, quam ut aliquid efficiam, quod vita dignum ſit, & quod utilitatem legentibus, etſi non ad eloquentiam, quia tenuis in nobis facundiae rivus eſt, ad vivendum tamen afferat: quod eſt maxime neceſſarium. Quo perfecto, ſatis me vixiſſe arbitror, & officium hominis impleſſe, ſi labor meus aliquos homines, ab erroribus liberatos, ad iter coeleſte direxerit.

Habes, Serari, quae pro occupata vita mea de funere hoc Baroniano paucula nunc oſſa legere, conſolandoque luctui noſtro ad te mittere libuit. Reſtat, ut tanti viri manibus non tam bene precemur, eique terram (quod antiquitas ſub diſceſſum a lugubri officio perhibetur feciſſe) levem eſſe jubeamus; quam ut ſanctis ipſius precibus innixi, & patrociniis defenſi, eamdem & virtutis & gloriae viam capeſſamus, noſque paullatim ad idem iter accingamus: memores, quod ad poſtremum vale itidem conclamari antiquitus ſolebat, nos cunctos eumdem, ordine quo natura permiſerit, ſequuturos, & quod D. Paulus ingeminat, prout quiſque geſſerit in carne, ita mercedem a Domino reportaturos. Quod ut ſolicita te mente continue cogitare ſcio, Serari, ita, ut me in parem tecum ſolicitudinem precibus tuis pertrahas, atque hunc fragilitati noſtrae prope infixum torporem magis magiſque a me exulem facias, ſicuti vehementer cupio, ita a te, & beatis Baronii noſtri manibus (ita fas eſt ſperare) quamenixiſſime peto atque contendo.

PII MANES ILLVSTRISSIMI CARDINALIS CAESARIS BARONII.

MVLTOS PVRPVRA PVRPVRANS VENVSTAT: AT ME
PVRPVRA PVRPVRANS GRAVAVIT.
MVLTOS PVRPVRA CAESARES CREAVIT:
NON ME PVRPVRA CAESAREM CREAVIT;
VERVM REPERIT ANTE PVRPVRATVM,
ORBI QVAM DARET ESSE CARDINALEM.
O QVAM SORDVIT ESSE PVRPVRATVM!
O QVAM VILVIT ESSE CARDINALEM!
NVNC ME PVRPVRA DESERENS LEVAVIT:
ILLOS PVRPVRA DESERENS MOLESTAT.

IISDEM PIIS MANIBVS.

NON SERVIRE OPIBVS, SIBI IMPERARE;
HOC EST CAESAREVM ESSE CARDINALEM:
FLAMMANTI SVPEROS AMARE AMORE,
HOC EST PVRPVREVM ESSE CARDINALEM.
NON SERVISTI OPIBVS, TIBI IMPERASTI,
IGNITO SVPEROS AMASTI AMORE:
HINC JAM CAERVLEO IMPERAS OLYMPO,
CAESAR, PVRPVREVSQVE CARDINALIS.

Digitized by Google

DE

VENERABILI CARDINALI

B A R O N I O

NONNULLORUM SCRIPTORUM

TUM CATHOLICORUM TUM ETIAM HETERODOXORUM,
TESTIMONIA.

HENRICUS SPONDANUS

APAMIARUM GALLIAE NARBONENSIS ANTISTES
Baronium vocat

VIrtutis inclitum decus, Chriſtianae probitatis formam, & conſummatiſſimum Annalium ſacrorum conditorem: quo nemo dilucidius Apoſtolicas traditiones, & ritus Chriſtianos explicavit, ſacras Synodos clarius illuſtravit, haereſes fortius confutavit, Catholica dogmata firmius ſtabilivit, Eccleſiae majeſtatem ſolidius conſtituit, Sanctorum res geſtas aptius diſpoſuit, temporum difficultates felicius enodavit, pluraque abdita venerandae antiquitatis monumenta publicavit; in quibus peritiam divinae, & humanae ſcientiae, gravitatem dictionis, fidem narrationis &c. oſtendit.

GILBERTUS GENEBRARDUS

ARCHIEPISCOPUS AQUENSIS

Chronograph. lib. 4. *pag.* 946.

XXX. JUNII.

CAEſar Baronius Cardinalis, & Bibliothecarius Apoſtolicus, Annalium Eccleſiaſticorum editione notus, Romae placide ex hac vita diſceſſit, relicto magno bonis omnibus, & Catholicae Religionis amantibus, ſui deſiderio.

JA-

JANUS NICIUS ERYTHRAEUS

In Pinacotheca tom. 1. pag. 87.

QUod tanta Eccleſiae Catholicae utilitas, rei litterariae decus, orbi Chriſtiano lumen, ab Caeſaris Baronii Eccleſiaſtica hiſtoria contigerit, S. PHILIPPO Nerio, Congregationis Oratorii fundatori referendum eſt acceptum. Eo enim auctore impulſoreque, tanto oneri humeros ſuppoſuit, cujus magnitudini gravitatique cujuſvis ingenii, quantumvis validiſſimi, vires ſuccubuiſſent: verum ſemel illud ſtrenue fortiterque ſuſceptum, uſque ad extremum vitae ſpiritum, magna aeternaque cum nominis ſui laude, ſuſtinuit. Res a parvis initiis, ut magnae plerumque res ſolent, orta, fere in immenſum excrevit. Erat in eo, antequam opus aggrederetur, doctrina mediocris, eruditio vulgaris, Latine ſcribendi uſus propemodum nullus: ſed ab his tam exiguis ſeminibus, in Eccleſiae ſolum jacts, ac coeleſtis gratiae imbribus irrigatis, tantus truncus, tantique rami excitati procreatique ſunt, ut nulli earum arborum, quibus coeleſtis Patrisfamilias vinea ſe jactat, neque proceritate, neque viriditate, neque bonorum fructuum copia cedere videatur. Tantas, ingenium meditando, doctrina legendo, ſtylus ſcribendo, vires accepit. Ac ſtylus non ille quidem elegantiſſimus, ſed neque admodum inquinatus, verum gravis, ac ſine cincinniculis fucoque puerili; qualis omnino Chriſtianum ſcriptorem, ac de rebus maximis atque graviſſimis decet. Tanti operis inchoandi perficiendique cauſa fuit provincia, illi a S. P. PHILIPPO tradita, de rebus geſtis Eccleſiae, jam inde uſque ab ejuſdem naſcentis incunabulis, in aede nova B. M. V. in Vallicella referendis. Etenim inter egregia ejus Congregationis inſtituta hic mos obtinuit, ut ex iis quatuor, qui quotidiebus de rebus divinis verba faciunt, unus Eccleſiaſticam hiſtoriam audientium frequentiae, quae nunquam deeſt, exponat. Itaque omnibus legendis ſcriptoribus tum Graecis, tum Latinis, tum ſacris, tum profanis, tum veteribus, tum novis, tum typis impreſſis, tum nondum editis, omnium Eccleſiae temporum hiſtoriam complexus eſt animo; eamque, Dei ope, ac PHILIPPI precibus adjutus, aeternis litterarum monumentis conſignare conſtituit. Atque quum me in ejus ſcripta mente & cogitatione conjicio, plane vehementer exhorreo, neque ſatis aſſequi intelligentia poſſum, unde homini, in excipiendis confeſſionibus, in ſermonibus habendis, in ſacroſancto Miſſae ſacrificio faciendo, in horariis precibus recitandis, in rebus ſuis naturae ac neceſſitati tradendis occupato, tantum ſpatii contigerit, ut infinitam vim rerum ac varietatem per infinitos pene libros diſſipatam atque diſperſam colligeret, intelligentia comprehenderet, de unaquaque earum judicaret, ac denique litteris docte accurateque mandarit. Equidem quocumque cogitatione me flecto, nihil aliud comperio, niſi opus, Eccleſiae in primis neceſſarium, non potuiſſe niſi praecipuo divini Numinis inſtinctu, auxilio, atque adeo miraculo ſuſcipi, expoliri, atque ad abſolutionem perfectionemque perduci. Multa partim levia, partim nugatoria, partim a veritate prorſus aliena, ſive hominum injuria,

Digitized by Google

ria, ſive ehtnicorum perfidia, ſive haereticorum fraude, in Eccleſiaſticam hiſtoriam irrepſerant, magno Chriſtianorum cum detrimento: quae ille omuia, ſua illa mirifica ad refellendum conſuetudine uſus, inſcitiae, fraudis, falſitatiſque coarguit ac convicit; atque a Chriſto nato orſus uſque ad Innocentii III. tempora hiſtoriam perduxit. Sed id quoque aetatis noſtrae lumen longe clariſſimum, in primis dignum quod editiore in loco fulgeret, Clemens VIII. invitum, atque repugnantem, ad purpurae culmen attraxit, & Vaticanae bibliothecae praefecit: ad quem gradum honoris tantam animi aequitatem & modeſtiam attulit, ut nunquam reliquerit neque abjecerit obedientiam, quam Rectori Congregationis ſuae praeſtiterat, neque depoſuerit clavem cubiculi ſui, quo ſe in illud poſſet, ſi ita aeternae ſalutis ſuae ratio depoſceret, depoſita purpura, rurſus includere. Sed primo nihil fuit illi antiquius, quam ut Nerei, & Achillei ſacram aedem, quae ſibi ſorte contigerat, collapſam ſoloque aequatam reſtitueret, in eamque eorumdem Sanctorum, & Flaviae Domitillae oſſa ex aede D. Hadriani ſolemni ritu maximiſque caeremoniis deferenda curaret. Sedis autem Apoſtolicae dignitatis majeſtatiſque tuendae, ita erat acer propugnator, ut contra ejus minuendae auctores nullam potentiae, amicitiae, gratiaeque rationem haberet, nihil cujuſquam periculi metu perterreretur; adeo ut diuturna Regum maximorum imperia adverſus Sedis Apoſtolicae decus, non dubitaverit ſcriptis ſuis labefactare, atque convellere. Sed multo magis ſtudium in eam Sedem ſuum comitiis Pontificiis declaravit: nam, Leone XI. extincto, quum Cardinalium multorum, qui novi Pontificis eligendi cauſa conclavi tenebantur, voluntates in unum conſpirarent, qui minus illi oneri idoneus habebatur, jamque pene in eo eſſet, ut in Petri ſolio collocatus, Pontifex ſalutaretur, reſtitit ille, & clara voce, ſe nunquam ſuffragio ſuo tantum illi honorem delaturum, dixit, nec niſi coactum electioni illorum aſſenſionem ſuam praebiturum; & quo teſtatior eſſet ejus rei memoria, non recuſare quo minus in Annales Eccleſiaſticos referretur, ſe omnium poſtremum, quoniam aliter fieri non poſſet, ſuam cum caeteris Patribus voluntatem conjunxiſſe. Neque his vocibus nihil eſt actum: nam continuo rerum commutatio facta eſt; illoque relicto, ſua Patres ſtudia in Cardinalem Burgheſium contulerunt, eumque Pontificem Maximum Pauli V. nomine declararunt. At Baronii objurgationes eo majorem vim habebant, quod, quum procero eſſet corpore, inerat in ejus vultu illepido, inamoeno, triſtis ſeveritas; inter cujus quaſi nubes, haud ſcio, an nullus unquam riſus emicare viſus ſit. Obiit tabe ex aſſiduo ſtudiorum labore concepta, qua ita cibos omnes faſtidiebat, ut nullum eſſet tam nitidum, tam delicatum, tam lepide ſuaviterque conditum obſonium, ut poſſet in ejus, aetate morboque confecto ſtomacho, edendi appetitum excitare; imo quum ad coenam, vel prandium vocabatur, tanquam ad ſupplicium ſe rapi dicebat. Praeter Annales Eccleſiaſticos, reliquit doctiſſimas ad Martyrologium Romanum notas, quibus illud mire illuſtravit.

JACOBUS SIRMONDUS

Oper. varior. tom. 3. pag. 746.

QUia immortalis memoriae Cardinali Baronio debere me judico, ut quae recte & vere ab eo dicta ſunt, ea ut pro veris habeantur, enitar quoad poſſum &c.

Et tom. 5. cap. 6. pag. 22.

NON novum, neque hoc ſeculo natum eorum eſt vitium, qui magnorum virorum obtrectatione famam quaerunt. Ita demum aliquod in litteris nomen ſe conſequutos putant, ſi Baronium, Bellarminum, aut alios immortalis gloriae viros maligno dente perſtrinxerint. Ingrati homines, qui, quum ſine vitio ipſi nihil ſcribant, in iis, quorum eximiis lucubrationibus quotidie proficiunt, naevum, ſi quis ſit, ferre nolint: ſtulti, qui nobis fucum his artibus ſe facere poſſe arbitrentur.

ISAACUS CASAUBONUS

In Prolegomenis ad exercitationes ad Baron. Annal.

QUis neſcit, Cardinalem Baronium operam in hiſtoria Eccleſiaſtica adeo inſignem poſuiſſe, ut omnibus ſua diligentia palmam praeripuerit? Hic enim eſt, qui primus omnium, totius orbis Chriſtiani res geſtas, praeſertim autem quae ad Eccleſiam pertinebant, in continuam ſeriem annorum ſic digeſſit, ut ſi unius urbis faſtos concinnaret: qui neſcio unde ex abdito tam multa plane prius ignota primus prompſit in lucem: qui antiquorum Epiſcoporum in magnis urbibus ſucceſſiones; veterum haereſeon originem, progreſſum, & finem; tempora Eccleſiae ſive tranquilla, ſive turbulenta, tam accurata diligentia explicuit; qui denique, merita ſua in Eccleſiam ſi immoderato partium ſtudio non corrupiſſet, dignus erat ſine controverſia, cui omnes & veteres, & recentiores, qui illam eruditionis partem unquam attigerunt, aſſurgerent, & faſces ſubmitterent.

RICHARDUS MONTACUTIUS

Praefat. ad Apparat. ſect. 58. num. 59.

HIſtoriam Eccleſiaſticam Baronius quanta potuit maxima diligentia excoluit, & ſedulitate. Erat autem illa ſumma, etiam pene prodigioſa. Univerſam enim hiſtoriae Eccleſiaſticae molem ſeptenis vicibus retractavit: toties illum orbem ſtudiorum confectum, reſumpſit inchoandum, priuſquam manum admoliretur conſcribendis, quas meditabatur & apparabat, hiſtoriis & Annalibus Eccleſiaſticis. Plane novo & inaudito exemplo ab omni retro antiquitate, heroico conatu & praedicando... Inſtituti iſtius ratio

ratio illa fuit, ut qui confeſſioni Romanae adhaererent, haberent in promptu & ad manum, quod centuriis Magdeburgicorum opponere poſſent.

ALEXANDER MORUS

In Praefat. praefix. Euſeb. Chronico.

NEque tamen ſic immenſi laboris (Baronii) Annalium pretium elevamus, ut non quantum ejus arti Roma debet ac ingenio, tantum diligentiae propemodum debere univerſum orbem Chriſtianum agnoſcamus, ob illa tot ab eo eruta monumenta, licet in eorum cenſum non pauca ſubleſtae nimis fidei relata ſint, quae (ſine illo fuiſſent) aeternis damnata tenebris latuiſſent. Qui nec ita partium ſtudio ducimur, ut doctrinae temporum conditorem laude fraudatum ſua velimus, abeſſet modo ſuccus loliginis, & aerugo. Nam quae tandem ars inchoata ſimul, & perfecta eſt? Quin eum inter principes chronologos non illibenter putamus, & verſatile hominis ingenium, & eruditionem ſane multijugam, & bene Latinum ac rotundum eloquii genus complectimur, nec arbitramur ei parem tum fuiſſe, poſtquam a Sirmundo diſceſſeris, illius ordinis virum: eumque adeo magis interdum, quam Scaligerum, ſequimur.

ROBERTUS BAILLIUS

In Oper. Hiſtor. & Chronol. impreſſ. Amſtelod. 1668.

BAronius incomparabilem in hiſtoria Eccleſiaſtica concinnanda diligentiam magnis laudibus accumulant non tantum Scaliger, & Caſaubonus, ſed etiam alii noſtrorum &c.

FRIDERICUS SPANHEMIUS

Part. 2. Dub. Evangel. pag. 47.

LAudanda ſane ſingularis illa Baronii diligentia in anno Chriſti natalitio, qui vera Annalium Chriſtianorum baſis, eruendo, ubi erudita multa, & operoſe conquiſita.

GUILLELMUS CAVE

In Prolegomenis hiſtoriae litterariae Scriptorum Eccleſiaſticorum ſect. 6. §. 2.

ILluſtriſſimus Annalium Eccleſiaſticorum Parens, Cardinalis Baronius, xII. ingentes hiſtoriae Eccleſiaſticae tomos pectore adamantino, & labore pene ſupra vires humanas, conſcripſit. Immenſum plane, ſed & triginta annorum opus, nonniſi poſt hiſtoriam Eccleſiaſticam ſepties in Oratorio ſingulis quippe quinquenniis repetitam, tandem inchoatum: integrum

X ſua

ſua ipſius manu , nulla amanuenſium opera ſuppetias ferente (ita quidem fidem nobis facit vitae illius auctor) ſcriptum , & inter quotidiana curae Parochialis munera, inter frequentes confeſſiones audiendi, concionandi , domeſticiſque Congregationis ſuae rebus proſpiciendi partes , ne alias occupationes , alia ejus ſcripta commemorem , ad umbilicum perductum . In hoc opere praeclare quidem de antiquitate Eccleſiaſtica meruit (me certe ex eo non parum profeciſſe, haud invitus agnoſco) longe majorem gloriam reportaturus, ſi non omnes ſudores, omnes ingenii, & eruditionis nervos ad hunc unicum ſcopum retuliſſet , ut majeſtatis Pontificiae pomoeria dilataret , ejuſque dignitatem , & auctoritatem, non modo ſupra Eccleſiaſtica, ſed & ſupra Regia, & Imperialia jura, omneque ſupereminens faſtigium, idque non raro ex apocryphis, ſuppoſititiis, & futilibus admodum ſcriptoribus, quoquo modo eveheret & ſtabiliret : ut de opere tunc ſolum incepto , recte olim notavit Petrus Pithoeus [referente Caſaubono], quod, non Annales Eccleſiaſtici, ſed de poteſtate Papae potius dicendi eſſent.

Certe Baronium haud aliud in animo habuiſſe, quam ut contra ſui temporis novatores, id eſt Magdeburgenſes, pro ſacrarum traditionum antiquitate, & conſervanda Eccleſiae Romanae Catholicae poteſtate decertaret, nec ipſemet, nec Hieronymus Barnabeus diffitentur.

SAMUEL BASNAGIUS

In Praefatione Annalium Politico-Eccleſiaſticorum §.1.

CAEſar Baronius ad Annales Eccleſiaſticos concinnandos admovit animum. Ingens ſane opus, quod rerum varietate, ſtupendaque in colligendis veterum monumentis diligentia, & auctori laudis multum attulit, & lectoribus admirationem movit. Ex eo fonte Godellus, Floridus, Natalis Alexander, Sueriuſque noſter, ut alios praetereamus, hortos ſuos irrigarunt.

VE-

Digitized by Google

VENERABILIS CARDINALIS

CAESARIS BARONII

EPISTOLAE SELECTAE.

EPISTOLA I.

P. CAESARI BARONIO

FRANCISCUS MANINI.

De rebus ad urbem Aquileae ſpectantibus eum certiorem facit.

VOSTRA Reverentia con qualche ragione potrebbe venir in concetto, ch'io mi foſſi in tutto ſcordato della promeſſa, ch'io le feci, quando mi partii da Roma, cioè di darle conto di qualche coſa notabile d'Aquilea, havendo lei deſiderio di onorare queſta Città nel ſuo libro dell'Iſtorie Eccleſiaſtiche; ma queſta mia tardanza è cauſata, che io non ho trovato coſa a propoſito per lei. Et circa ai particolari, ch'ella ricercava; dico, che San Marco ſcriſſe il ſuo Vangelo in Aquilea, & ſi tiene che ſia il Greco, il quale fu portato in Venetia, & ſta nella Libraria di San Marco. Non lo poſſo provare, perchè in Aquilea non ci ſono più ſcritture negli Archivij, & non ſi vede più coſa alcuna dell'antique: univerſalmente ſi crede, che San Marco ſcriveſſe

Digitized by Google

il detto ſuo Evangello in una Chieſetta vicino al mare, dove ſi vede ancor veſtigio, & è lontana due miglia d'Aquilea, & chiamaſi S. Marco. Tutte le coſe notabili antique, così di ſcritture, come d'altro, ſono ſtate levate, & la maggior parte d'eſſe ſono in Venetia. Oggidì Aquilea è loco deſerto, & paludoſo, & non vi abitano 200. Anime: queſto però vi trovo di buono, & notabile, che vi è una Chieſa nella forma di quella di Santa Croce in Jeruſalem, ma più larga, più lunga, & più alta, con una torre ſuperbiſſima tutta di pietre vive, come quella di S. Marco in Venetia; le quali furono edificate da Popone Patriarca intorno l'anno mille & trenta, il quale ebbe da Papa Giovanni XVIII. o XIX. molti Corpi Santi, & particolarmente il Corpo di San Marco Pontefice, & quello di San Quirino. Sotto l'Altar maggiore di queſta Chieſa vi ſta il teſoro di molte pretioſe Reliquie: & confeſſo a V. R. ingenuamente, che in Roma non ho viſto loco, dove ſiano tante Reliquie, & così ben tenute, & in loco così forte, & ſicuro, come è queſto; & ve ne ſono forſe da 40. Caſſe. In particolare c'è il Baculo Paſtorale di San Pietro, & è di legno incognito; e'è un pezzo del legno della ſantiſſima Croce, & la Teſta di Sant' Hermacora Patrono della Chieſa, il quale fu diſcepolo di San Marco. Ho viſto in queſta Chieſa in una Capella dedicata a San Hieronimo, dove ſi leggono l' infraſcritte parole ſcritte in pietra:

DIVO HIERONYMO
QVI IN HAC SACRA ECCLESIA
LAVACRVM GRATIAE SVSCEPIT
ET FIDEI.

E' coſa credibile, perchè S. Hieronimo fu di Paeſe poco lontano di qua; & ſe bene Popone Patriarca, che fu fratello di Corado, edificò queſta Chieſa nel mille e trenta, nondimeno l'antiqua doveva eſſer in queſto loco iſteſſo, di che non ſono altri veſtigij. C'è in queſta Chieſa un Battiſterio, in forma di quello di San Giovan Laterano, dove ſi battezzò Conſtantino. Ha un Officio ſuo particolare fatto al tempo del detto Popone, il quale ſi ſtampa in Germania. Solamente ſi fa ſpeſſo mentione di Santi, & di molti, de' quali hanno le Vite ſcritte in libri antiqui di carta pergamena. Ho trovato alcune Orationi in queſto Officio, che non ſono nel noſtro Romano; così mi pare. Però ne mando copia d'alcune d'eſſe.

In

In queſta Chieſa ci ſono un Decano con 24. Canonici, & tre Vicarij, i quali ſono, uno in loco dell'Imperadore, l'altro in loco dell'Arciduca Carlo, & il terzo in loco del Patriarca; perchè tutti tre queſti Signori ſono Canonici d'Aquilea; & vi ſono 12. Manſionarij. Non ſi fa reſidenza per la mala qualità dell'aria più di 4. meſi; onde io ſto otioſo in queſti otto, che mi avanzano, & ſe io foſſi più vicino, volentieri li ſpenderei in Roma: & queſto è tutto ciò che ſi può dire d'Aquilea: & in concluſione *eſt locus horroris, & vaſtae ſolitudinis*. V. R. ſi ricordi di me nelle ſue orationi, & la prego che con occaſione la ſi degni far un baſamano per me a Monſignor Speciano, al quale ho molto obbligo, & la mi tenghi in buona gratia del Sig. Cornelio Tarugi, ma molto più in quella del R. Pad. Meſ. Franceſco Maria, & col fine di queſta raccomando per mezzo ſuo a quel ſanto Oratorio un' opera pia per mia madre, la quale è ammalata due anni ſono d'una grave infermità: & a V. S. Molto Rev. baſciu le mani. Di Udine alli 28. di Luglio 1579.

EPISTOLA II.

GREGORIO XIII. PONT. MAX.

CAESAR BARONIUS (a).

Dicat ei Vitam Sancti Gregorii Nazianzeni a ſe conſcriptam.

CUM multa ad Dei gloriam, & Chriſtianae reipublicae utilitatem a te, Pater Beatiſſime, pie & praeclare geſta ſunt, tum illuſtre inter caetera ad poſteritatis memoriam monumentum erit & pietatis, & magnificentiae tuae, nobiliſſimum Sacellum Gregorianum, Templi inſtar, quod magna impenſa extructum opere magnifico, ſummoque artificio exornatum, omnium in ſe oculos animoſque mirabiliter convertit. In eo tu, Gregori Pontifex Optime, non ſine Divini Numinis afflatu ſacra Gregorii Nazianzeni Epiſcopi Conſtantinopolitani, viri ſanctiſsimi & eloquentiſsimi, oſſa, quae jamdiu humili & obſcuro loco latuerant, collocaſti. Vidimus enim totam urbem incre-

(a) Haec epiſtola, quae cum eadem Vita mss. in Vallicellana noſtra Bibliotheca latebat, edita eſt a praeclaris Bollandi Continuatoribus Godefrido Henſchenio, & Daniele Papebrochio Societatis Jeſu, ad diem VI. Maji, quibus Congregationis noſtrae Presbyteri eamdem S. Gregorii Vitam communicarunt.

credibili gaudio exultantem, cum ſolemni ſupplicatione in dicta maxima totius populi omniumque ordinum frequentia ac veneratione ſanctum illud Corpus efferretur; cum tu, Pater Sancte, lacrymis obortis ſacras illas Reliquias veneratus atque complexus, tanquam hoſpitem clariſsimum in aedem ampliſsimam propriis manibus induxiſti, ut jam lucerna Orientis illa ardens & lucens, non ſub modio deliteſcat, ſed in pulcherrimo atque ornatiſsimo Baſilicae Vaticanae loco, hoc eſt in religionis domicilio, & terrarum orbis theatro, tanquam in ingenti quodam candelabro colluceat.

Ex ea tam ingenti Reliquiarum translatione, & collocatione factum eſt, Pater Beatiſsime, ut multi ad Sancti hujus memoriam colendam vehementius inflammati, ejus & res geſtas, vitamque cognoſcere percuperent; e quorum numero nonnulli amici, ſaepius ea de re mecum egerunt, rogaveruntque impenſius, ut onus hoc ſuſciperem: quibus cum reſponderem, non eſſe hoc imbecillitatis meae, tum extare Orationem Gregorii Presbyteri de laudibus Nazianzeni, non accipiebant excuſationem meam. Gregorium vero Presbyterum, ajebant, non tam vitam, quam laudationem conſcripſiſſe, multa itidem ab eo omiſſa, brevius, quam par erat, nonnulla alieno loco narrata, quaedam etiam parum cum hiſtoriae veritate conſentanea: quid multa? pervicerunt, & perpulerunt. Itaque non tam volens, quam obediens, opus magnum aggreſſus, Vitam Gregorii Nazianzeni ſcribere inſtitui. Conatus ſum autem, etſi rudis plane artifex, egregias illas Gregoriani Sacelli picturas aliquo modo imitari. Ut enim ibi pictor eximius ex teſſerulis, & lapillis miro artificio muſivo opere compoſitis, & coagmentatis, cum aliorum quorumdam Eccleſiae Doctorum, tum Gregorii noſtri effigiem venuſtiſsime expreſsit; ita ego ex ipſius Nazianzeni potiſsimum ſcriptis, quae ille de ſe ipſo variis in locis alio currens, aliud agens, obiter ſcripſit, aut etiam data opera commemorat, ſelecta fragmenta, tanquam gemmas & lapillos, accurate collegi; quos, ſervato temporum ordine, ſuis locis collocavi, & quaſi inter ſe conglutinavi, ut ex iis, velut ex ſplendidiſsimis coloribus, vivam viri admirabilis, non tam corporis, quam animi imaginem, ſi non omnino expreſſam, ſaltem adumbratam haberemus. Neque enim diffiteor, multa adhuc deſiderari poſſe: & nos fortaſſe aliquando opus diligentius perpoliemus, praeſertim ſi quamplurima Gregorii carmina, & alia quaedam ex vetuſtis codicibus nondum edita,

ta, ad manus noſtras, ut ſperamus, pervenerint. Interea, Pater Beatiſsime, hilari vultu pro tua ſumma benignitate Gregorium tuum accipe; ſic enim appellare illum licet. Et dum in Tuſculano a graviſsimis curis animum paulliſper reficis, hunc, ſi placet, ſuburbanae ruſticationis urbaniſsimum comitem adhibe, cujus interdum ſuavi & ſancto colloquio pomeridianis horis jucundiſsime perfruaris.

EPISTOLA III.

FELICI CARDINALI A MONTEALTO (*a*)

CAESAR BARONIUS.

D. Ambroſii Vitam, ipſius Cardinalis juſſu a ſe conſcriptam, eidem exhibet.

EGregiam ſane, Cardinalis ampliſsime, tuaque doctrina, & induſtria digniſsimam cogitationem ſuſcepiſti, cum magni & celeberrimi Eccleſiae Doctoris Ambroſii Opera multis modis ſive temporum injuria, ſive librariorum negligentia, aut inſcitia depravata, emendare, atque ad integritatem, & priſtinum ſplendorem reſtituere decreviſti. Quod ſingulari Dei benignitate magnis laboribus tuis tandem effectum eſt, compluribus etiam ejusdem optimi Scriptoris monumentis additis, omnibus vero commentariis, ſcriptiſque Ambroſianis, erudito quodam ordine apte & accommodate diſtributis: quo certe nomine plurimum tibi a divinarum litterarum ſtudioſis debetur. Tu vero, poſteaquam Ambroſii doctrinam, & eloquentiam illuſtraſti, ut de Eccleſia Dei quamoptime merearis, vitam quoque & mores divini hominis, & ſanctiſsimi Epiſcopi, reſque ab eo mirabiliter geſtas pervulgare ſtudes. Cumque Paulinus, qui primus Ambroſii Vitam ſcripſit, paullo tibi contractior ac jejunior videretur; caeteri vero, qui in eodem argumento verſati ſunt, verbis potius, quam rebus copioſi, ipſa etiam hiſtoriae veritate, ac fide non omnino tibi ſatisfaciant: id mihi oneris impoſuiſti, ut quae in Annalibus noſtris Eccleſiaſticis, in quibus contexendis multos annos laboravimus, de Ambroſio ex probatiſsimis auctoribus, atque adeo

(*a*) Fuit hic poſtea Pontifex renunciatus poſt obitum Gregorii XIII. die xxiv. Aprilis anno 1585. Sixti V. nomine aſſumpto. Haec epiſtola eſt nuncupatoria Vitae S. Ambroſii Epiſcopi Mediolanenſis, quae deinde, hoc eſt anno 1587. in lucem prodiit ex Typographia Vaticana cum ejuſdem S. Ambroſii Operibus, ſexto eorumdem Operum Tomo praefixa.

adeo ex ipſomet Ambroſio, accurate deſcripta notavimus, eadem ſeorſum colligeremus, & ſeparatim inter ſe ad Vitae formam connecteremus. Agnoſco, Cardinalis Illuſtriſsime, amoris erga me tui abundantiam, qui de mea mediocritate plus tibi polliccaris, quam praeſtare facile poſsim: enitar tamen, ut ſaltem obediendi alacritate, ac certa fiducia, & diligentia tibi ſatisfaciam. Mihi quidem jucundiſſimus is accidit labor, quem tuo juſſu in rebus ſanctiſſimi Patris & Doctoris percenſendis excepi. En igitur tibi Ambroſii Vita, non tam ornate, & eleganter, quam diligenter, & fideliter conſcripta. Id mihi inprimis propoſitum fuit, ut nihil, niſi exploratum, afferrem, & veritati potiſſimum, quae prima hiſtoriae eſt lex, inſervirem: deinde omnia per annorum, & temporum ſeriem, ordine digeſſi, qua una maxime hiſtoria illuſtratur. Eam vero ſcribendi rationem, quae mihi jampridem in hiſtoria Eccleſiaſtica maxime probatur, ſequutus ſum, nimirum, ut ſcriptorum ſententias, ex quorum fontibus haurimus, totidem illorum verbis tranſcriberem. Etenim & ad veritatis teſtificationem, & ad antiquitatis memoriam, & ad legentium multiplicem utilitatem, atque etiam voluptatem, eam rem magnopere pertinere ſemper ſum arbitratus. Quid enim aut jucundius, aut utilius eſſe poteſt, quam graviſſimos viros ſua verba loquentes audire? Nec ſane hujus ego inſtituti auctor ſum, ſed amator, & pro mei ingenii tenuitate imitator. Nam antiquis ſcriptoribus viris, omni eruditione praeſtantibus, id placuiſſe video. Atque, ut alios praetermittam, quos tamen multos enumerare licet, unus inſtar multorum eſt Euſebius Pamphili in conſcribenda Eccleſiaſtica hiſtoria facile princeps, utinam & talis in dogmatibus extitiſſet! hic, inquam, Euſebius, qui ex vetuſtiſſimis Patrum monumentis Hegeſyppi, Polycarpi, Juſtini, Irenaei, Papiae, Clementis, utriuſque Dionyſii, Corinthii, & Alexandrini, aliorumque plurimorum, non una, aut altera ſententia, ſed bene longis narrationibus, epiſtolis integris ad verbum deſcriptis, non ſolum hiſtoriam ſuam aſperſit, ſed integros pene libros contexuit. Sed nihil neceſſe eſt hac quidem in re diutius immorari: ſpero viros & bonos, quibus, te auctore, Ambroſii Vitam, ni fallor, uberiorem damus, induſtriam noſtram, qualiſcumque eſt, probaturos: tibi quidem certe, Cardinalis ampliſſime, cujus eſt judicium acerrimum, & humanitas ſingularis, ſtudium & voluntatem noſtram gratam fore, certe ſcio. Vale. Ex Oratorio Sanctae Mariae ad Vallicularn idibus Decembris Anno MDXXCIII.

EPI-

EPISTOLA IV.

GULIELMO SIRLETO CARDINALI (*a*)

CAESAR BARONIUS

Rogat eum, ut a Pontifice intelligat quo loco collocare debeat in Martyrologio commemorationem impreſſionis Stigmatum, quibus S.Franciſcus inſignitus eſt.

ESſendo che ſua Santità dal tempo ch'era Cardinale mi diſſe, che deſiderava, che nel Martirologio Romano vi ſi metteſſe la feſta delle Stigmate del glorioſo S. Franceſco; ora ſtampandoſi di nuovo detto Martirologio con le annotationi, & mettendoſi detta ſolennità a dì 17. di Settembre, come è ſolita celebrarſi, & queſto per ordine di V. S. Illuſtriſſima & Reverendiſſima, ora deſidererei, che ne fuſſe avviſata Sua S. che mi ordinaſſe in qual loco di detto giorno, ſe nel principio, ſe dopo gli martiri, o nel fine gli' par che ſi metta: & ſe gli piace, che ſi metta con le ſeguenti infraſcritte parole:

Ut ponatur immediate poſt Sanctam Theodoram. XVII. *Septembris.*

COMMEMORATIO IMPRESSIONIS SACRORVM STIGMATVM, QVIBVS S. FRANCISCVS ORDINIS MINORVM INSTITVTOR IN EJVS MANIBVS, PEDIBVS, ET LATERE MIRA DEI GRATIA IN MONTE ALVERNIAE IN ETRVRIA EXPRESSE EST INSIGNITVS.

Annotatione) *De praeclariſſimo hoc, & ſingulari Dei* SACRORVM STIGMATVM) *munere in S.Franciſcum, luculenter ſatis ac pie ſcripſit S. Bonaventara in vita ipſius: nam in cap.*13. *totam facti ſeriem, tantaeque rei teſtes graviſſimos diffusè proſequitur: unde lector omnia, quae tum ad devotionem, tum ad admirationem facere videntur, abundè petere poterit, ut valeat cum Davìde jurè ac meritò exclamare:* Mirabilis Deus in Sanctis ſuis. *Extant etiam de tam immenſo miraculo Apoſtolicae litteræ ſummorum* Pontificum, *nimirum Gregorii* Papae

 Noni

(*a*) Quamvis in autographo ad quem haec Epiſtola data ſit, omnino deſideretur; conſtat tamen ad Card.Sirletum ſcripſam eſſe, tum ea Epiſtola VI. ad Sixtum V. paulo inferius afferenda, tum etiam ex ejuſdem Baronii nota in eodem Martyrol. ſignata litera (*m*) ad diem XVII. Sept. cum qua haec, quae hoc loco affertur, conferri poterit. Plura de eodem Sirleto habentur inferius in adnotatione ad laudatam Baronii Epiſtolam Sixto V. directam.

Noni ad univerſos Chriſti fideles per Teutoniam conſtitutos, datae Viterbii XI. Kal. Aprilis ſui Pontificatus an. XI. Aliae itidem ad Epiſcopum Olmucenſem an. X. ſcriptae extant in ejus regiſtris in Biblioth. Vatic. Extant adhuc aliae Apoſtolicae litterae de eodem argumento ſcriptae ab Alexandro IV. Porro rem adeo admirabilem ac tantopere teſtatam Benedictus PP. XI. anniverſaria ſolemnitate duplici officio Eccleſiaſtico voluit celebrari: quam neſcio quomodo lapſam, in Martyrologio Romano hac die recenſeri, Sanctiſſimus D. N. SIXTVS Papa Quintus tanti patris alumnus, mandavit. Praedictae autem litterae Apoſtolicae, ipſa ſacra diplomata Romanorum Pontificum, in ipſorum regiſtris poſita aſſervantur in Vaticana Bibliotheca: ſed eadem ipſa deſcripta, habes ac edita in ampliſſimo Chronico Franciſcanorum Marc. Vlixponen. &c. in prim. part. lib. 2. c. 55. 56. 57. 58. & 59. Haec cum ad ejus rei notationem ſatis eſſe videantur, praetermittimus coacervare innumera aliorum ſcriptorum teſtimonia, ut Antonini, Vincentii, & aliorum recentiorum, &c. (a).

EPISTOLA V.

VVILELMO LINDANO EPISCOPO RUREMUNDENSI (*b*)

CAESAR BARONIUS.

Primum de iis quae in ejus reditu acciderunt eidem condolet, deinde ſuas in Romanum Martyrologium notationes multos expertas adverſarios, ope Cardinalis Carafae typis imprimi ſubdit.

OPtatas ſemper, expectataſque diu pietatis tuae tandem accepi litteras, quum interim pro virili meum non defuerit officium, apud Deum agendo precibus, quo felix ad tuam Eccleſiam reditus pararetur. Legi eas ſanguine martyris exaratas, & tuis

(a) Cardinalem Sirletum Pontifici Sixto hanc Baronii notam communicaſſe, eamque Pontificem probaſſe, ex eo colligimus, quod in Martyrologii editionibus totidem fere verbis appareat; his tantum in fine ſubjectis: „ De mandato Sanctiſſimi Domini noſtri Sixti Papae, cujus ſupra meminimus, extat „ apud nos ejusdem Sacr. Chirographum, quo „ non tantum, quo loco hujus diei ſed quibus etiam verbis poneretur, eſt expreſſum „.

(b) Epiſtolam hanc, in qua nulla habetur temporis nota, & cujus autographum extat in Bibl. Vallicellana; anno ſaltem MDLXXXVI. ſcriptam fuiſſe, quo tempore Romanum Martyrologium cum ejuſdem Baronii adnotationibus primum ex Typographia Vaticana prodiit, ex

& tuis lacrymis conſignatas: ejuſmodi enim mihi viſae ſunt illae, in quibus catholici hominis mors acerbiſſima ei ab haereticis illata narrantur, & rerum patriae ſtatus luctuoſus deſcribitur. Viſus ſum mihi videre paſtorem illum Ezechielis in medio ovium ſuarum diſſipatarum, quae ſunt diſperſae in die nubis, & caliginis. Quid ad haec ego? Suſpiria ſuſpiriis reddidi, gemitus addidi, utinam ſemper, ut tu lacrymas, & ſemel, ut tu ipſe, ſanguinem rependere potuiſſem! Vae miſero mihi! qui hiſce atrociſſimi belli temporibus heic iners, & ocioſus ago, factus mihimet ipſi gravis, & dum alii clariſſimo illo ad Indos Apoſtolatu nobilitantur, aliique glorioſiſſimi milites in caſtris Eccleſiae tot, tamque illuſtri-

Y 2 bus

ex eo colligimus, quod in ea Baronius Lindano ſignificet. illud opus eſſe ſub praelo. Porro huic Lindano Sixtus V. Pont. Max. mandaverat, ut eoſdem in Romanum Martyrologium Caeſaris Commentarios, antequam imprimerentur, videret. Quare idem Lindanus hanc eidem Martyrologii editioni ad Chriſtianum lectorem Epiſtolam, praefigendam curavit. „Commentarii venerabilis Chriſti Sacerdotis D. Caeſaris Sorani in Martyrolog. Romanum a nobis locis omnibus ex juſſione SS. Domini noſtri Sixti Papae V. recogniti, nobis quidem nihil objecerunt, quod juſtam cenſuram mereri aequis lectoribus videatur, quod ad orthodoxam quidem fidem doctrinamque Catholicam pertinet. Si quae paradoxa quibuſdam forte videbuntur, illa equidem eo eſſe loco habenda arbitror, ut avidius expetantur, & cum ſolida firmaque veritate conſiſtant, libentius accipiantur: quod in iis inſunt, ut & in aliis hujus auctoris lucubrationibus erudita inprimis, praeclara, & incredibili Chriſtianae antiquitatis ſtudio in lumen eruta; quae admirandam ſcriptoris arguunt in Eccleſiaſticis hiſtoriis, aut corrigendis, aut conciliandis, aut de caligine morſuque blattarum eruendis induſtriam, ſicuti & rarum ejuſdem, idque argutum, variis de hiſtoriis aequo minus exactis, aut fide dignis judicium, & laboratiſſimum antiquitatis Eccleſiaſticae inter tot ſalebroſa, & ſpinoſa veluti dumenta inveſtigandae ſtudium. Ad cognoſcendam enim venerandam illam religionis Chriſtianae non modo antiquitatem, ſed Sanctorum etiam Patrum, & Synodorum, actarumque in Chriſti Eccleſia ab uſque ſui exordio rerum veritatem, certam annorum ſeriem, liquidamque temporum intricatiſſimorum ſupputationem faciant eximie potiſſimum iis, qui ſerio hiſtoriae Eccleſiaſticae, eae vero cognoſcendae ſtudio tenentur; vanas, apocryphas, & aniles, ne dicam ſuperſtitioſas execrati fabellas: quae longum poſt ſomnum ſcriptis, imo doctis alioqui ſcriptoribus ſenſim irrepentes Eccleſiaſticis, non leviter ſacras contaminaverunt SS. Martyrum hiſtorias. Denique, ut finem faciam, incomparabile ſibi adierant momentum ad ſolidam rerum in Eccleſia dubiarum in poſterum conſtituendarum confirmationem adverſus vertigiroſa, ne dicam ſemideliria quorundam hujus ſeculi ardeliorum, leviſſimorumque novatorum, (quorum hodie, proh dolor! magna eſt natio) ingenia, quae ſurſum deorſum omnia volventes, illas jampridem a SS. noſtrae Religionis Catholicae Patribus definitas, conantur in dubium revocare. Manifeſtiſſime enim in his agnoſcas Romani Pontificis in Apoſtolica S. Petri Chriſti Jeſu Vicarii paſtoris cathedra ſucceſſionem, quod nunc tempeſtatis contra unam Dei ſupra Petrum fundatam Eccleſiam infeſtiſſimae, tot inter fidei undique oppugnatiſſimae controverſias, caput eſt: quo uno evicto & conſtabilito, faceſſat, concidat facile, imo ſuos in fumos vaniſſimos evaneſcat oportet omnis infeſtiſſimorum Chriſti hoſtium, & coeleſtem illam Sion odientium, inanis molitio, vereque Theomachica conjuratio, & futiliſſima excogitatio, ut ad illuſtrem ſolis ſplendorem nebuloſa diffluit caligo. Vale Chriſtiane Lector, & his Commentariis felix fruere, brevi Annalibus Eccleſiaſticis ejuſdem ſcriptoris majori ſtudiorum tuorum emolumento, & fructu incomparabili perfruiturus. Romae XIV. Kal. Septembris MDLXXX.„ Hucuſque Lindanus. Ejus autem mentio habetur apud Poſſevinum in Apparatu ſacro tom. 1. pag. 614. ubi eum *virum doctum, & haereſum expugnatorem* nominat; ejuſdemque operum catalogum recenſet. Obiit Gandavi poſtridie kal. Novembris anno MDLXXXVIII.

bus Martyrii coronis donantur, ego peccator, pondere praegravatus ſervi illius, qui neque fodere valet, & mendicare erubeſcit, concors, & imitator invenior; utinam ſaltem ſicut ille inveniar & ego, ac ſciam quid faciam. Commendatur induſtria viri, qui feciſſet ſibi amicos de Mammona iniquitatis: conabor & ego, ſi quomodo aſſequar, ut faciens mihi amicos de communione charitatis, particeps fiam timentium Dominum, ſicque fiet, ut licet ob ignaviam illis non collaborem, flendo tamen cum flentibus, ac gaudendo cum gaudentibus, quoquomodo taliter converſantium ſocius efficiar. Lugebo & ego tecum interfectos Iſrael. Lamentabor quanta malignatus eſt inimicus in ſancta. Latus ſane undique patet miſeriarum campus, & acerbiſſimarum rerum congeries, quae a duriſſimo quoque, & ab invito licet, poſſint lacrymas extorquere, perfacileque videatur ut moerentis, ac tecum flentis partes impleam; ſiquidem licet abſens, ſaepe mihi videre videor, quod & Romae quum eſſes praeſens aſpexi, quum tibi eſſem a ſecretis, & abſque arbitro me admitteres in cubiculum, ſacras genas tuas, & Angelis venerandam caniciem lacrymarum imbre perfuſas, ſanctos oculos in Coelum ſublimes a Deo auxilium (quod vana eſſet ſalus hominis) expoſcentes, membra hebetata jejuniis, & attrita ciliciis. Haecque mecum reputo: ſi ſic abſens affici conſuevit; quid modo faciet quum praeſens tot, tantaſque lugendi cauſas ob oculos habet? Utinam ſicut lugendi tecum, ita, & tibi gratulandi ſuppeteret argumentum, ut & partem illam implerem, qua gaudere cum gaudente charitas Chriſtiana praecipit. Sed quid ergo, dum quae ſunt Chriſtiani hominis praeſtare conor, video me Chriſtianum eſſe pene oblitum. Chriſtianis etenim (quod miraculum videri debet) ex eodem fonte quo luctus, manat & gaudium, & quo ille magis abundat, uberius quoque iſtud fluit, dicente Apoſtolo, *ſicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra*. Hac ex parte, pater amantiſsime, tibi gratulor, mihi gaudeo. Ecce etenim, dum lavas manus tuas in ſanguine peccatorum, velut clariſsima purpura illuſtraris, aliorum tenebris clarior redderis, & ex aliena perfidia immortales concinnas tibi coronas, concilias praemia, trophaea erigis, paras triumphos, & ſe moventes, ac per totum Chriſtianum Orbem circumcurſantes immenſis laboribus ſculptas columnas in aeternum manſuras erigis. Taceo illa in praeſentiarum, quae tibi parantur in Coelis, quae quum omnem dicendi, vel etiam cogitandi ſuperent facul-

ſacultatem, libentius ſilentio involuta pertranſeo. Quieſcat ergo vox tua a ploratu, & oculi tui a lacrymis, quia eſt merces operi tuo: probe noſti, quid dicat Dominus Angelo Eccleſiae Epheſi: *Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam*. Et quia non potes ſuſtinere malos, eſt qui laborem, & dolorem conſiderat, ſcit ille, qui novit omnia, quod ſolus calcas torcular, & non eſt vir tecum ex gentibus; qui ſpiritu vehementi cónaris extinguere ollam ſucceſam a facie Aquilonis, qui Bethuſuram munis, ut habeat populus munitionem contra faciem Idumeae; qui reſtituis Turrim David cum propugnaculis, qui ante aciem pugnas, & tam ſiniſtra, quam dextera ſtrenue praeliaris, potenſque opere, & ſermone, quos oppugnas, expugnaſſes omnino, ſi didiciſſet aliquando obſtinata impietas dare manus; haec, inquam, qui conſiderat, haec & loquitur: *Dicite juſto quoniam bene, quoniam fructum adiventionum ſuarum comedet*. Sed de his hactenus. Quod porro a me petis, ut de rebus urbanis, de ipſa inchoata ſuorum reſtitutione, te faciam certiorem, praeſtabit haec diligentius noſter Voſſius: ego quidem potius ſequor tinnitum, quam res ipſas compertas habeo; liberioriſque vitae cupidus, inſtar omnium hominum conſuetudinum, eſt mihi noſtra bibliotheca tibi ſatis cognita: quod ſi aliquando foras egredior;ad Sanctorum limina Apoſtolorum, vel ad typographiam me lubentius, quam quovis alio confero. Sed ſatis tibi vitae meae inſtitutum notum, atque perſpectum exiſtimo. Quod autem ad res noſtras pertinet, ſic ſe habent. Notationes in Romanum Martyrologium ſummi Pontificis juſſu, ſolertique tua induſtria recognitas, examinatas, ac praeclaris elogiis conſignatas, jam Deo juvante ſub praelo eſſe noveris. Mentiar, ſi dicere ſatis me poſſe arbitrer; quibus illae antea invidorum ſint laceratae calumniis, quibus exagitatae furoribus, ac nebulis propemodum obſcuratae; rem tamen ipſam paucis abſolvam. R. D. Magiſter Sacri Palatii, cujus muneris eſt edendã cognoſcere, ſimul ac teſtimonium tuae pietatis perlegit, magnopere illud reveritus, eumdem Commentarium ſuo chirographo communivit. Praeſtitit id ipſum & R.D. Vicarius Apoſtolicus. Putabam jam rem abſolutam, quum repente typographias mihi occluſas reperi, & typographos, qui avidius opus expectarant, ac inſtanter expopoſcerant, ab ejus editione prorſus averſos inveni. Quid tandem dicam uno verbo? Judicavit Deus cauſam meam, utinam non tam ſevere. Probe noſti, Pater amantiſſime, quum de his tecum amice quererer in amaritudine animae meae, quum poten-

tentium robore opprimerer, me divinum imploraſſe judicium. Quum itaque magis magiſque in dies exagitarer, tandem excitavit Deus adverſus ſeniores Iſrael ſpiritum Danielis, ipſum dico Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum Antonium Caraffam Bibliothecarium Cardinalem ampliſſimum, cujus ſanctiſſimae vitae mores, egregiamque inſuper eruditionem tibi ſatis perſpectam eſſe ſcio. Hic inquam rebus noſtris percognitis, egregiis laudibus apud viros quoſque eruditos, ac denique apud ipſum Summum Pontificem mirifice praedicavit, eaſdemque perquam accurate edendas curavit. Itaque ſub praelo ſunt, ſimulque vita Sancti Ambroſii Epiſcopi, quam in fronte ſexti Tomi ejuſdem Ambroſii operum Summus Pontifex collocandam mandavit, praefixo auctoris titulo, qui non ut volebas, *Caeſarius*, ſed *Caeſar* inſcribitur, idque ex illorum ſententia, quorum arbitrio haec pendebant. Viſa eſt enim illis in homine jam ſeneſcente, eoque nomine tantum cognito, affectata nimis hujuſcemodi nomenclatura. Peccatis meis hoc totum tribuo, qui ut ſicut ex Abram, Abraham, ita ex Caeſare, Caeſarius dicerer, nondum merui. Jure interim reddenda ſunt, quae ſunt Caeſaris Caeſari. Concedat Deus tuis precibus, ut abjiciens veterem hominem, ac novum induens, novo etiam nomine, ſecundum propheticum ſermonem appeller, quo & adſcribar in Coelis. R.P. noſter Philippus, & collegae fratres ſalutem tibi plurimam impertiuntur. Chriſtus Dominus noſter te pro ſua Eccleſia gnaviter laborantem ſemper cuſtodiat. Vale, Pater amantiſſime, meque tui ſemper memorem (ut facis), dilige. Data, &c.

Saluto ſanctam Familiam tuam.

EPISTOLA VI.

SIXTO V. PONT. MAX.

CAESAR BARONIUS CONGR. ORAT. PRESBYTER.

Notationes in Romanum Martyrologium, quas mandante Cardinali Sirleto concinnaverat, ipſi Summo Pontifici offert.

Confeci, Pater Beatiſſime, non mediocri ſanè labore, ac diligentia, in Martyrologium Romanum, annis proximis reſtitutum, Notationes ad omnem Eccleſiaſticae antiquitatis hiſtoriam illuſtrandam accommodatas; quibus multiplices difficultates, multiſque interdum obſcuritatibus involutas, explicare, pro

mea

mea ingenii mediocritate ſum conatus. Id mihi, ut facerem, mandaverat vir ſingulari pietate, ſumma eruditione, piae recordationis Gulielmus Sirletus Cardinalis, & Bibliothecarius Apoſtolicus, (*a*) qui Martyrologio jam Romae edito, quum à pleriſque viris bonis, & ſtudioſis, multarum quaeſtionum, ut fit, explicationem requiri, uberioremque rerum notitiam deſiderari animadverteret; eorum ſive dubitationibus, ſive deſiderio ſatisfieri, ſive commodo atque utilitati conſuli, hac potiſſimum ratione cupiebat. Illius ergo ampliſſimi Cardinalis auctoritate permotus, plus fortaſſe oneris ſuſcepi, quam ferre poſſem; ſuſcepi tamen, divinae gratiae praeſidio fretus. Tametſi ad hanc ſcriptionem non omnino imparatus acceſſerim; qui multos jam annos, in tota Eccleſiaſtica hiſtoria tractanda, & accurata in primis temporum diſtinctione diſponenda ita verſor, ut non ſolum pervulgatis hiſtoricis legendis, ſed ſanctorum Patrum ſcriptis, & monimentis pervolvendis, & perſcrutandis, iis praeſertim, quae in optimis codicibus refertiſſima, & toto terrarum orbe nobiliſſima Sanctitatis V. Vaticana Bibliotheca recondita ſunt, magnam aetatis partem contriverim. Cujus rei, (ut ſpero) teſtes aliquando erunt Annales noſtri Eccleſiaſtici, quos ad Dei gloriam, pro ea exigua talenti portione, quae mihi à Domino credita eſt, Sanctitatis Veſtrae auſpiciis, & patrocinio optimi, & doctiſſimi Cardinalis Antonii Caraffae Bibliothecarii Apoſtolici, diligentius pertexere, & perpolire non deſiſtimus. Verę enim hoc mihi dicere liccat,

(*a*) Singulari quidem pietati ſummam erudit.onem Gulielmum Sirletum conjunxiſſe, multa ab eo exarata opera teſtantur. Scripſit enim Adnotationes in Pſalterium, Biblicum Apparatum; Correctiones & Additiones in Jus civile, Epiſtolas multas eloquentia, & eruditione praeſtantes, Tractatum de Monarchia Eccleſiaſtica, Tractatum item alium de Baſilica S. Mariæ majoris de urbe, cujus meminit Paulus de Angelis in ejusdem Baſilicae deſcriptione, & librum unum de Baſilicae Vaticanae praeſtantia, ut conſtat ex Lud. Jacobo a S. Carolo in Bibliotheca Pontificia. Nihil tamen ex ſuis operibus edere voluit, praeter variantes in Bibliis regiis Antuerpiæ excuſis lectiones; ſed ea fere omnia mss. adſervantur in Bibliotheca Vaticana, quum ipſe Sirletus teſtamento praeceperit, ut ſcripta quaecumque ſua, quae defenſioni, aut ornamento Apoſtolicae Sedis eſſe poterant, eidem Bibliothecae adjungerentur. Novimus inſuper ex Baronii noſtri in Romanum Martyrologium Commentariis ad diem tertiam Januarii, eumdem Cardinalem Sirletum latinitate donaſſe perveruſtum Menologium Graecum, quod propria manu majori ex parte conſcripſiſſe, refert idem Baronius loc. cit. Certe Sirletus in abſolutiſſima trium linguarum Hebraicae, Graecae, ac Latinae cognitione magnopere excelluit. Ejus autem opera uſus eſt Marianus Victorius Epiſcopus, in corrigendis, ſeu reſtituendis S. Hieronymi ſcriptis; ut ipſe teſtatur in Epiſt. Nuncupatoria ad Pium IV. Hic Pontifex Sirletum in Cardinalium collegium cooptavit. Obiit Romae VIII. Idus Octobris an. MDLXXXV. & in Eccleſia ſui tituli, hoc eſt S. Laurentii in Pane, & Perna, ſepultus eſt. Qui plura de Sirleto Card. ſcire deſiderat, conſulat Janum Nicium Erythraeum in prima parte Pinacothecae. pag. 161. nec non Ciacconii continuatores in ejus vita Tom. III. col. 974. & ſeq.

liceat, Pater Sancte, ſemper quidem Sanctitas Veſtra, quum Cardinalem gereret, & mihi ad haec currenti adderet calcaria, ſtudioſis hominibus ſuffragata eſt; nunc autem maxime illorum induſtriam excitat ſua iſta Pontificia ſollicitudine, & animi magnitudine, cujus proprium eſt magna, & praeclara ſemper agere; aliis item boni aliquid ad communem utilitatem molientibus benigne admodum favere. Interea vero, Pater Beatiſſime, noſtras haſce in Martyrologium Romanum Notationes, atque hoc quicquid eſt diligentiae, & lucubrationis, tuis ſanctiſſimis pedibus offero atque ſubijcio; non quod Sanctitati Veſtrae tantum a graviſſimis publicis curis otii ſupereſſe putem, ut haec poſſit legere, ſed ut ſua paterna, & ſalutari benedictione communitae, ſuoque beatiſſimo nomine ornatae Notationes noſtrae utiliores, & commendatiores, ad eorum manus perveniant, qui otio abundantes, ejuſmodi rerum cognitione, religioſis hominibus plane digna, delectantur. Hanc igitur benedictionem, Pater Sanctiſſime, omni animi demiſſione poſtulo, & Sanctitati veſtrae pro Eccleſiae Catholicae pace, & amplificatione dies noctesque laboranti, una cum fratribus meis Congregationis Oratorii, ſervis Veſtris, a ſummo Deo diuturnam vitam, & fauſta omnia, ac felicia precor.

EPISTOLA VII.

CAESARI BARONIO

HIERONYMUS DE RUBEIS. (*a*)

Ad Annales evulgandos eum hortatur, tum nonnullas circa Archiepiſcoporum Ravennatenſium hiſtoriam difficultates eidem proponit.

NON è maraviglia, ſtando io aſcoſo in queſt'angolo, & eſſendo da ogni parte, fuor che nel cognome oſcuro, ſe è nata occaſione a V.S. & ad altri di tenermi per morto. Son vivo per grazia di Iddio benedetto, & ſano, & grandemente affe-

(*a*) Hieronymus de Rubeis nobili genere Ravennae natus in Medicinae ſcientia eximius. Scripſit libros undecim *hiſtoriarum* Ravennatum Venetiis editos an. 1589. Indicem ſcripturarum ſpectantium ad Archiepiſcopatum & Eccleſiam Ravennae, in quibus continentur privilegia Pontif. & Imp. & jura quarumdam civitatum, ſive oppidorum, quae in Tabulario Romano adſervantur. Concilia Ravennatenſia Provincialia quatuor antiqua. An-

affezionato alla virtù, & bontà di V. S. la cui recondita eruditione ſparſa nelle fatiche fatte da lei ſopra il Martirologio Romano, ſiccome con ſua perpetua lode reca grande utilità, & profitto, così ha eccitato maraviglioſo deſiderio di veder preſto fuori quegli Annali Eccleſiaſtici, ch'ella promette, & che perciò non deve laſciar più lungamente eſſer deſiderati: & già io più d'una volta hò fatto cercar per le librarie di Roma, ſe ſiano ancor in luce. Trovandomi il meſe paſſato una mattina a pranſo con Monſignor Centurione, ch'era quì, entratoſi in ragionamento della mia Iſtoria di Ravenna, per riſponder a qualche laude, che piacque alla corteſia di quell' onoratiſſimo Prelato di darle, diſſi, che a tutti non pareva tale, eſſendo ſtato alcuno, che l'aveva taſſata, & nominai V.S. ſoggiungendo, ſe il Sig. Baroni mi aveſſe avviſato di queſto ſuo penſiero, forſe non avrebbe ſcritto di quella maniera. Con queſta occaſione entrò in diſcorſo il Sig. Angelo Ugolati, col quale poi altre volte sù di ciò lungamente ragionai, eſſendo la ſomma, che io ero con tutto ciò affetionatiſſimo a V.S. & a tutta quella ſua devotiſſima Congregatione, che mi par raſſembri à queſti tempi, il fervore, & converſatione di quei primi; *quorum erat cor unum, & anima una, cum exultatione & ſimplicitate cordis, inſtantium orationi, & miniſterio verbi*. Ora eſſendo piaciuto a V.S. moſſa da una lettera del detto Sig. Angelo, di ſcrivermi così gratioſamente, prima la ringratio, poi le dico, che per quanto hò potuto vedere, in trè coſe ella diſſente da me: cioè, *nella Vita di S. Severo*, *in Vitale Arciveſcovo*, che abbia edificato la Chieſa di Santo Andrea, ch'io aſcrivo a S. Pietro Chriſologo, & ultimamente *in Giovanni Arciveſcovo*, a cui ſcrive Gelaſio Papa. In queſto ultimo ſiamo d'accordo, come anco diſſi a Monſignor Centurione. Io non aveva infin quando ſi ſtampò la mia Iſtoria di Ravenna, la lettera di quel Papa, che ebbi poi, di cui fà anco mentione il Sigonio.

 Nell'

Antonius Poſſevinus in Apparatu ſacro tom. 2. pag. 35. de Hieronymo haec ſcribit: „ Sane vero quum vetuſtis libris evolvendis, ac temporibus conciliandis, reique tandem omni tractandae operam (quod & ipſe teſtatur) omnem dediſſet, Martyrum etiam, atque aliorum Sanctorum virorum geſta interſeruit; ut tum hoc nomine, tum ob Appendices Provincialium Conciliorum, & eorum, quae dicta ſunt, locum, & hoc in libro, & in Selecta noſtra Bibliotheca habere debuiſſe, nemini non viſurus ſit. Quod ſi haec Hiſtoria conferatur cum Annalibus Caeſaris Card. Baronii, ubi de iiſdem rebus ab utroque ſcriptum eſt, liquidior lux haurietur: atque in quibus expenſio aliqua integrior adhibenda ſit, intelligetur. Uterque enim, ut perveſtigator ſedulus, ac temporum collator fuit, nonnulla ſubinde obſervarunt, quae totum hujus hiſtoriae negocium maxime illuſtrant „. Alia ejuſdem Hieronymi de Rubeis opera a nobis laudata, ab eodem Poſſevino hoc loco recenſentur.

Nell' altre due, io già avea ſcritto il mio parere, diverſo da quello di V.S. nel raccomodar detta Iſtoria, che piacendo a Iddio, frà non molto ſi mandarà a riſtampar in Venetia, ampliata & riformata in molte coſe. Mando per ora a V.S. non volendola nojar di vantaggio, quel ſolo ch' io ſcrivo intorno *alla prima di S. Severo*, ne già con animo di voler, ch'ella perciò ſi ritratti, come ella dice, che tanto non oſarei, ne preſumerei delle mie ragioni, ma perchè ſappia quello che ſcrivo: eſſendo lecito, come ella anco afferma, diſſentire in ſimili coſe, ſalva l'amicitia, nella quale perchè V.S. tiene per ogni riſpetto il luogo molto ſuperiore, ſia certa, che da me ſempre ſarà onorata, riverita, & ſervita con tutti quelli officii, che dalle mie poche forze potranno naſcere; tenendo obligo al Signor Vgolato, che m'abbia fatto acquiſtar amicitia per me sì cara, & pretioſa. Che è quanto m' occorre in riſpoſta della ſua lettera delli 20. del preſente, da me ricevuta alli 27. Le bacio le mani, & dal Signor' Iddio le prego ogni bene. Di Ravenna li 30. di Decembre 1587.

Agapitus ſecundus in Archiepiſcopatu Ravennato anno eodem quadrageſimo octavo ſupra tercenteſimum, Severo eſt ſuffectus, non quidem per columbam coelitus demiſſam; quod adlectionis genus jam diximus in Severo deſiiſſe, ſed Sacerdotum populique conſenſu. Hic Concilio Romano a Julio Primo Pont. Max. menſe Septembri, hoc anno celebrato, ſimul cum Benedicto Aquilejenſi, Ruſo Carthaginenſi, Julio Mediolanenſi, Luciano Maurianorum Antiſtitibus, & reliquis aliis CXI. Epiſcopis interfuit. Nequè verò ineptum, mirumve cuiquam videatur, quod Concilium Romae ab Julio celebratum, in quo Agapitus Ravennatium Archiepiſcopus adfuit, poſt Sardicenſe habitum ſcribam. Id me ratio, & conjectura docet. Primum quidem illud, omnium Ravennatum Scriptorum conſenſu, atque etiam in choro Urſianae ſacrae aedis, & Spiritus Sancti picturis, ſanè veteribus conſtat, Marcellinum Archiepiſcopum, Severum proxime in Archiepiſcopatu anteceſſiſſe, ſatiſque diu vixiſſe. Is igitur, non autem Agapitus, ejus Romani Concilii tempore fuiſſet. Verùm quum plura Julius Pont. Concilia Romae habuerit, illudque quod Sardicenſe anteceſſit, quinquaginta tantum Epiſcoporum fuiſſe, ex Conciliorum libris pateat, certum quoque eſt, illud non eſſe, cui interfuit Agapitus, quum ad illud centum & viginti unus Epiſcopi convenerint. Deinde Concilium

cilium ad quod acceſſit Agapitus, indictione ſexta habitum eſt, ut in ipſius actis Concilii legitur; ea autem indictio in hunc annum quadrageſimum octavum ſupra trecenteſimum cadit. Praeterea interfuit Concilio Sardicenſi, cum Severo Archiepiſcopo Ravennatium, Protaſius Mediolanenſis Archiepiſcopus: in Romano cum Agapito Julius. Perſpicuum autem ex iis eſt, qui nuper ſumma cura, ac diligentia collegerunt Archiepiſcopos Mediolanenſes, & redegerunt in ordinem, viri doctiſſimi, & omnis antiquitatis bene periti, Protaſium ante Julium Mediolanenſi Eccleſiae praefuiſſe. In Romano, quod Sardicenſe praeceſſit, Arianos communione remotos, quod citati praeſto non aſſuiſſent, & Athanaſius omni crimine liberatum, ſcribitur, quorum nihil in eo, cui Agapitus interfuit, actum eſt. Itaque quum viderim Silveſtrum Pont. Max. in Concilio Romae ducentum ſeptuaginta ſeptem Epiſcoporum Occidentalium habito, ea probaſſe, quae fuerant in Concilio Niceno eodem anno habita, ut Divus ſcribit Athanaſius de Julii Pontificis Concilio ſcribens; non fuit difficillimum id etiam ab Julio de Sardicenſi fieri; quum praeſertim Divus ipſe Athanaſius, quanquam Sardicenſis Concilii decreto liberatus, tamen Sedem ſuam, etiam Conſtantis Imperatoris litteris munitus, non repetierit, ſed Aquileja, ubi tum erat, Romam ad Julium Pontificem acceſſit. Quemadmodum autem Athanaſio in ſedem deinde ſuam revertenti, quum Hieroſolymam adiiſſet, Maximus Urbis Epiſcopus, conventu Epiſcoporum è Syria, & Paleſtina coacto, ex eorum ſententia, communionem dignitatemque reſtituit: non erit, ut puto, abſurdum, idem ab Julio factum, accedente ad eum Athanaſio. Atque hinc illud eſſe, quod Athanaſium cum litteris ad ſacratos viros, populumque Alexandriae dimittens, in ipſiſque litteris de Athanaſio ſcribens Julius Pontifex, non a nobis, *inquit,* tantum, ſed a cuncta Synodo receptus eſt. *Quibus vero annorum ſexaginta quatuor numerus, quibus Severus in Archiepiſcopatu vixit nimium diuturnus videtur; iis forte excidit, quod & ipſi aliis locis ſcribunt; Divum Remigium in Epiſcopatu Rhemenſi, ut Sigebertus eſt auctor, ſeptuaginta, atque amplius annos vixiſſe: Zenonem Epiſcopum Tyrium interfuiſſe, ſubſcripſiſſeque Concilio Nicaeno, Conſtantino Magno Imperatore, atque item Conſtantinopolitano, Theodoſio Auguſto; quum anni inter utrumque intercidant circiter ſex, & quinquaginta; & per id tempus Julianus Apoſtata ſaeviſſime Chriſtianos afflixerit, multoſque*

Z 2 *Epi-*

Epiſcopos ob Chriſti Dei fidem occidi juſſerit : ut omittam Severinum Epiſcopum Colonienſem , qui ſaltem ſexaginta annos praefuit, quod & ipſi , quibus videtur Divi Severini Archiepiſcopatus diuturnior, alio loco teſtantur: Divus etiam Pharon Epiſcopus Meldenſis , ſex , & ſexaginta annos ipſi praefuit Eccleſiae, ut qui ejus vitam ſcripſit Alcuinus , docet . Quod enim plerique , ſcribunt, Conſtantio IIII. & Conſtante III. Conſulibus , Divum Severum fuiſſe Archiepiſcopum factum , ii neque verum dicere , neque veriſimile videntur ; quum hac ratione vix annum in Archiepiſcopatu vixiſſet ; quo tempore , quum eum ad Concilium Sardicenſe iviſse , & ibidem perſtitiſse , ac Ravennam inde rediiſſe neceſsie ſit , vix fuiſset a Ravennatibus viſus , nedum ea egiſset , quae tradunt . Nam ii Conſules , eo qui anteceſſit Concilium anno, ut doctiſſime Onuphrius Panvinus docet, inierunt quidem Conſulatum ,ſed circiter anni medium illum adminiſtrare coeperunt . Atque hae quoque me rationes adducunt , ut putem duos fuiſſe Agapetos Archiepiſcopos, alterum , qui Marcellinum praeceſserit , alterum ; qui Severum ſit ſequutus , cujus quum exigua ſit mentio, parum admodum ei locus datur in Hiſtoria poſt S. Severum . Et haec de Severo Ravennate .

EPISTOLA VIII.

CAESARI BARONIO.

JACOBUS DE MARQUAIS ABBAS
S. MARTINI TORNACENSIS

Laudat ejus Notationes in Martyrologium, atque promiſsum Annalium opus, quo ipſae faciliores reddantur, ac ſuaviores, quamprimam in lucem emitti flagitat.

QUAM utilem , & neceſſariam reipublicae Chriſtianae operam in tuis ad Romanum Martyrologium Notationibus navaveris , eruditiſſime Caeſar , teſtis eſt is applauſus , quo ab omnibus Eccleſiaſticae hiſtoriae ſtudioſis paſsim ſunt exceptae . Illae enim praeter inſignem rerum antiquarum cognitionem, habent etiam, & illud , quod nonniſi ex abſoluti cujuſpiam Theologi officina proficiſci poteſt , tametſi in eis ſit, (pace tua dixero) quod lectorem ſuſpenſum , & haerentem ſubinde detineat , hoc videlicet, quod eum ad Annales de rebus Eccleſiaſticis abs te conſcriptos ſaepiuſcule remittas, tanquam fuſius illi, & uberius expli-

plicent; quod contractius, & quaſi per tranſennam heic attingis. Quo fit, ut illi hunc reddas ſimilem, cui quum ferculum quodpiam appoſitum fuerit, non prius, aut certe remiſsius ori admovet, quam quod paratur opiparum condimentum ſimul ingerere liceat. Ita certe ad iſtos Annales tuos omnibus votis aſpiramus, ut ſi eos propediem non adjicias, cariturae ſint Notationes tuae non minima debiti ſaporis portione. Sed liberabis (ſpero) fidem tuam, qua data ad Summum Pontificem epiſtola, quod deſideramus facturum te promittis. Non repones lucernam ſub modium, quae ſuper candelabrum conſtituta, lucebit omnibus, qui in domo ſunt, & glorificabitur coeleſtis Pater in ſervo fideli. Nihil te remorari poteſt Horatii hoc: *nonum prematur in annum*: quum ille non noverit talenti nobis concrediti reddendam aliquando rationem, ut taceam foetum hunc tuum praecocem, & immaturum eſſe non poſſe, cui formando neque laborem, neque tempus ſubtraxeris. Verendum eſt, ne tibi eveniat, quod plerique accidiſſe novimus, qui e vivis prius exceſſerunt, quam ſibi perſuaſum haberent, ultimam ſe manum Operibus ſuis adjeciſſe, quo fit, aut illa ſupprimi, aut certe contingit, mutila in lucem prodire. Domiminus, ac magiſter noſter Joannes Molanus Theologiae Lovanii profeſſor, vir tum pius, tum doctus, mihi multis nominibus conjunctus; cujus & ipſe honorificam mentionem facis, de Sanctorum geſtis noſtri Belgii libros tres conſcripſerat; ſed eo jam mortuo, ne interciderint jure metuimus (*a*). Simile quid ſcriptis Domini piae memoriae Pamelii electi Epiſcopi Audomarenſis accidiſſe dolemus (*b*). Quae quum ita ſe habeant, piis omnium bonorum votis ut reſpon-

(*a*) Praeter hos poſthumos de Sanctorum Belgii libros, alia etiam opera Molanus conſcripſit. Edidit enim Lovanii an. MDLXVIII. Martyrologium Uſuardi auctum, & adnotationibus illuſtratum, & Coloniae editum an. MDLXXXIV. Tractatum de piis Teſtamentis, deque fide ac juramento, quae tyranno exigitur; etenon quatuor libros de fide haereticis ac rebellibus ſervanda. Hiſce operibus accedit Theologiae Compendium per concluſiones in quinque tractatus digeſtum, Coloniae item impreſſum an. MDLXXXV. & Tractatus de ſacris imaginibus Lovanii MDXC. Alia etiam opera inedita reliquit ex quibus haeredibus mandavit, ut Romanum Martyrologium novis multiſque notis locupletatum, conſcriptoſque abs ſe Annales urbis Lovanienſis, & Bibliothecam Theologicam, in publicam proferri lucem curarent.

(*b*) Hic fuit item Theologus Lovanienſis. Edidit autem Micrologum de Eccleſiaſticis obſervationibus, Antuerpiae a Plantino excuſum: Catalogum Commentatorum veterum ſelectiorum in univerſa Biblia cum Caſſiodori libro Inſtitutionis divinarum lectionum, Antuerpiae item apud Plantinum; Annotationes in S. Cyprianum ſparſim operibus illius interjectas, Antuerpiae in officina Steelſii MDLXVIII. Liturgiam Latinorum duobus Tomis digeſtam, hoc eſt de ritu Sacrificii Miſſae a Chriſto, Apoſtolis, & Patribus obſervatae, cum Ambroſianis collectis, Miſſa, Praefationibus, ac Miſſa Moſa-

ſa-

reſpondeas, non praetermittas. Quin tam optatum tuum Opus quam citiſsime evulgetur, tametſi illud ſuis omnibus numeris nec dum abſolutum eſſe judices. Dominus Deus ſacris iſtis laboribus tuis non deerit ad gloriam ſuam, & Eccleſiae ſplendorem. Quem ego, licet ignotus facie, rogo tibi propitium eſſe, ac ea largiri, quae ad praeſentem aeternamque ſalutem pertineant. Bene vale. Ex Monaſterio noſtro Sancti Martini Tornacenſis pridie kal. Februarii anno Domini MDLXXXVIII.

EPISTOLA IX.

CHRISTOPHARO PLANTINO ARCHITYPOGRAPHO REGIO

CAESAR BARONIUS.

Queritur ſuas notas in Martyrologium Romanum inemendatas iterum Venetiis in lucem editas fuiſſe. Gratias agit de diligentia promiſſa in lucubrationibus cudendis, eique pollicetur ſe quamprimum tranſmiſſurum Martyrologii adnotationes correctas, & auctas, ac primum Annalium Tomum, alioſque ſequentes.

PErgratas accepi abs te litteras nonis Martii, Plantine amantiſsime, quibus in cudendis noſtris in Martyrologium Romanum notationibus omne ſtudium & induſtriam polliceris: (*a*) quo certe nihil mihi optatius, ac jucundius potuit accidiſſe. Erit ſpero aliquando, ut meae lucubrationes (*b*), qualeſcumque ſint, ſed hactenus mendis obſitae, & ob eam cauſam non tam in lucem editae, quam offuſae tenebris tua induſtria illuſtrentur. Dolui eas e manibus meis, haud ſatis exultas, praereptas fuiſſe; ſed majori affectus ſum moleſtia, quum eas correctoris vitio ſcatentes mendis reperi: &, quod inſuavius acceſsit, eaſdem Typographus Ve-

rabae in Hiſpaniis oſitata, Coloniae anno MDLXXI. Scholia eruditiſſima in Tertullianum, quae primo Pariſiis prodiere. Librum denique de Religionibus diverſis non admittendis ad Ducem Alexandrum. Obiit vero Epiſcopus deſignatus Audomarenſis anno MDLXXXVII.

(*a*) Prodiit haec Martyrologii editio Antuerpiae ex officina ejuſd. Chriſtophori Plantini MDLXXXIX. Extat autem haec epiſtola ſolitio hujus editionis, poſt praefationem Baronii ad lectorem.

(*b*) Lucubrationes ſuas in lucem editas intelligit Baronius notationes in Martyrologium: anno namque 1586. eas publici juris fecerat, ab eoque tempore uſque ad illud, quo hanc ſcripſit epiſtolam, nullum aliud opus ediderat. Neque enim adhuc in lucem exierat ejus primus Annalium tomus.

Venetiis (*a*) emiſit adeo inemendatas, ut eas in deterius dilabentes, jam propemodum deſperarem in ſuum candorem amplius vindicandas. Inter tot vero animi mei fluctus, feliciſsimos illos exiſtimabam, qui accuratiſsimum Plantinum (dicam libere, ſicut vere) in rebus ſuis edendis Typographum nacti eſſent. Sed opportune accidit, ut his curis affecto, tuae mihi litterae redderentur; quod nonniſi divino conſilio factum exiſtimo, cujus providentiae cuncta mea ſemper ſubjicere conſuevi. Libentiſsime igitur curabo, quod petis. Mittam quamprimum ipſum Romanum Martyrologium emendatum, (*b*) & aliis compluribus auctum. Adjungam & primum Tomum Annalium (*c*), qui licet adhuc ſit ſub praelo, ſuperſunt tantummodo terniones, & index: abſolvenda ad ſummum omnia haec infra menſem. Interea velim, ut cui ſarcinulam ſim crediturus, quo fidelius ac celerius pariter tibi reddatur, me facias certiorem. Etenim neſcio, quo infortunio accidit, ut eaſdem notationes ante pene biennium ad R. D. Lindanum (*d*), miſſas

(*a*) Prodiit haec prima Veneta editio anno 1587. apud Duſinellum in 4. eſtque eadem cum priori editione Romana anni 1586. in fol.

(*b*) Plures acceſſerunt tam Textus, quam notationum emendationes, quarum ſpecimen accipi poteſt ex erratis ad calcem ejuſdem Antuerpienſis editionis poſitie, eaſque videre eſt ad diem 17. Januar. not. (*e*), 22. Febr. not. (*c*) 18. Martii not. (*b*), 11. April. not. (*a*), 25. April. not. (*b*), 26. Maji not. (*b*), quae in editione Romana anni 1630. apparent. Inter eas, vero illa potiſſimum recenſenda eſt de fictitia S. Xinoride ad diem 24. Jan. expuncta in hac primum editione, qua de re Irtigius de Bibl. Vngr. Raynaudus. Utrum autem expuncta fuerit in priori Veneta editione, de qua heic Baronius, ignoro. Minime tamen crediderim, quum Typographus Venetus putandus ſit, priorem Romanam anni 1586. in quam mendum illud irrepſit, deſcripſiſſe. Inter additamenta vero quorum heic meminit Baronius, illud notandum ad diem 22. Auguſti not. (*b*) ubi fuſe de Conſtantino, quod tamen in poſterioribus editionibus expunctum, locuſque ſubſtitutue ex Annalibus excerptus. Hoc autem loci monendum puto, Baronium *ad annum* 257. in fine num. 11. ſcripſiſſe: *Numquam hactenus conceſſum doleo, ut eaſdem notationes ad Martyrologium Rom. ſingulas recognoſcerem, licet lucri cupidus Typographus eas ab auctore poſuerit eſſe recognitas in pagina liminari*: quas querimonias edidit auctor in appendice tomi 2. quae extat ad calcem tomi 3. Quod quidem adnoto, ne quis auctori objiciat in Typographum (cujus nomen ignoratur, Baronius tamen forte innuit Martyrologii editionem Roman. 1598.) videlicet immerito ſuccenſiſſe, quod appoſuerit in *pagina liminari* Notationes fuiſſe ab auctore recognitas; quum ex hac epiſtola ad Plantinum data appareat *Martyrologium Rom. ab ipſo emendatum, & aliis compluribus auctum*. Ita ſane: ſed ſingulas notationes non recognovit.

(*c*) Primus Annalium tomus prodiit anno 1588. ex Typographia Vaticana.

(*d*) Baronium heic autumo *Notationes* ante pene biennium ad Lindanum miſſae, intelligere ad eum miſſum Martyrologium Notationibus ab ipſo illuſtratum. Biennio ſiquidem antequam hanc ſcriberet epiſtolam, Martyrologium ab ipſo illuſtratum prodierat, quod proinde miſerit Ruremundum ad Lindanum. Hic enim Ruremundenſis Epiſcopus priuſquam Romae commorabatur, ubi eum *ipſius Eccleſiae negotia detinebant*, (ut teſtatur Baronius in libello ſupplici ad Sixtum V. quo petebat praedictas ſuae notationes ab eodem Lindano cognoſci), qui proinde Eccleſiae ſuae negotiis expeditus, Ruremundum forte reverſus eſſet, antequam Martyrolog. in lucem prodiiſſet. Alioquin quo pacto cenſendum Baronium loqui de ſolis Notationib. ad Lindanum miſſis ante pene biennium, ſcilicet circa medium ann. 1586. (haec enim epiſtola ſcripta eſt VIII. Id. Martii 1588.) quum aliunde conſtet, eas Lindanum jam Romae legiſſe

miſſas, vix tandem his diebus ipſe acceperit. Vale, mi Plantine, neque hoc nomine tibi plurimum debiturum certo ſcias. Interim, quod mei muneris eſt, precibus apud Deum contendam, ut tibi in his quae ſunt Catholicae Eccleſiae laboranti, jugiter praeſto eſſe dignetur. Iterum vale. Romae. Octavo idus Martii, MDLXXXVIII.

EPISTOLA X.

SIXTO V. PONT. MAX.

CAESAR BARONIUS SEMPITERNAM FELICITATEM.

Primum Annalium Eccleſiaſticorum Tomum eidem inſcribit.

Quod a Beato Apoſtolo Paulo in re maximi momenti aliquando dictum eſt: *Non qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus*; id ego, Pater Beatiſsime, in Annalibus meis Eccleſiaſticis conficiendis, plane ſum expertus. Neque enim deliberate, ac conſulto tantum opus ante annos circiter triginta aggreſſus ſum, nec meis viribus fretus, quas nullas, aut perexiguas eſſe intelligebam, ad univerſam hiſtoriam Eccleſiaſticam maximis difficultatibus involutam explicandam acceſſi, qui id ab initio, ne cogitare quidem auſus eſſem; ſed Deo ipſo, a quo omne datum optimum deſcendit, ita diſponente, ac paulatim, me propemodum inſcio, incrementum dante, ex parvulo ſemine non parva arbor eſt exorta. Nota eſt Sanctitati Veſtrae vetus conſuetudo Oratorii noſtri, in quo ſingulis diebus, pomeridianis horis, panis verbi Dei ſic parvulis frangitur, ut non illo ſublimi dicendi genere, quod in ſacris concionibus adhiberi ſolet, ſed aliquanto ſubmiſſiore, ac magis familiari, verum ad permovendos audientium animos, (ut diuturno experimento comprobatum eſt), valde accommodato, res cominus, quaſi ex aequo loco, cum unoquoque agi videatur. Quam ob cauſam inter alia ex variis diverſiſque

gilſe anno antecedenti 1585. deſinente? Quod conſtat, tum ex ipſius epiſtola ad candidum lectorem Chriſtianum Martyrologio praefixa, Romae data XIV. Kal. Septem. 1585. a nobis ſuperius allata, tum ex ejuſdem relatione ad Sixtum V. exhibita Romae XI. Kal. Septem. eōdem anno 1585. tum denique ex ipſius teſtata fide de Norationibus imprimendis exarata die 2. Septembris anni 1585.

que Sanctorum Patrum ſcriptis ad mores optimos inſtituendos accepta, Sanctorum vitae, & Eccleſiaſtica geſta narrantur; quod ad virtutis, & pietatis ſtudium in auditorum animis excitandum, exempla magnam vim habeant. Cùm ergo ea de cauſa res geſtas Eccleſiae, atque Vitas Sanctorum legerem; coepi illius auctoritate & hortatu, qui mihi & ceteris fratribus meis parentis loco eſt in Chriſto praefectus, in ea lectione paullo accuratius ac diligentius verſari; eodemque ſuaſore atque impulſore, ad veteres Eccleſiaſticae hiſtoriae ſcriptores agnoſcendos examinandoſque animum penitus appuli. Cùmque delectatione ipſa jam trahente, longius pergerem, multaque excerperem, & notarem, ſuiſque locis ſeponerem, ac diſtribuerem; ſenſim ac paulatim factum eſt, ut magnam rerum copiam tanquam in aliquam cellam penariam una congeſſerim, praeſertim contra Novatores noſtri temporis, pro ſacrarum traditionum antiquitate, ac Sanctae Romanae Catholicae Eccleſiae poteſtate. Sicque cùm jam ſex luſtris ipſa Eccleſiaſtica hiſtoria fuerit a me ſepties ordine temporum repetita; accidit, ut amicorum cohortatione, & mea ſponte de Annalibus Eccleſiaſticis pertexendis ſerio cogitarem. Deo igitur bene juvante, e portu ſolvens, cùm in quamdam immenſam maris altitudinem invectus eſſem; ad multiplices, permagnas, ac pene inexplicabiles difficultates penitus ſuperandas, praecipue in temporum ſerie diſtinguenda, & Chronologia recte conſtituenda (quae in omni antiqua hiſtoria inprimis obſcura eſt, & difficilis) multo labore, magno ſtudio, & diligentia opus fuit. Non enim ſatis erat in hoc genere eos Hiſtoricos legere, qui ad manum ſunt; ſed omnia Patrum monimenta pervolvere, ſcriptos codices in Bibliothecis ſcrutari, latentem rerum notitiam apud externos etiam ſcriptores ſaepenumero perveſtigare, neceſſarium fuit: verum ad omnia ſuis ponderibus expendenda, judicii trutinam adhiberi oportuit; cùm nihil periculoſius ſit in hiſtoria, quam cuivis ſcribenti de quacumque re fidem habere. Nec vero, Pater Sancte, haec a me propterea dicuntur, quod me omnia perlegiſſe jactem, aut id alios de me exiſtimare velim; ſed potius, quod ob ſummam rerum difficultatem, ſi quae minus feliciter fuerim aſſecutus, mihi ab aequis judicibus ignoſci cupiam. Ego quidem quid profecerim, aut omnino an operae pretium in ſcribendo fecerim, haud ſatis compertum habeo: nam cui timorem non incutit illa Sancti Ambroſii ſententia, de ſuis ſcriptis ſibi adeo pa-

A a rum

Digitized by Google

rum fidentis, atque haec ad Sabinum ſcribentis? *Unumquemque fallunt ſua ſcripta, & auctorem praetereunt: atque, ut filii etiam deformes delectant, ſic etiam Scriptorem indecores ſermones ſui palpant.* Ceterum illud certo ſcio, me impigre laboraſſe; aut verius, non ego id operatus, ſed, cui innitor, gratia Dei mecum. Verum, quidquid ſit, hoc alii judicabunt: tuque in primis, Beatiſſime Pater, cujus, & ſingularis doctrina, & acerrimum eſt judicium. Jam enim in tuo nomine primum Annalium noſtrorum volumen è tua nobili Typographia Vaticana prodit, quam nuper, nullis parcens impenſis, inſtituiſti: ut pro tua paſtorali ſolicitudine, hac quoque in re, communi Eccleſiae utilitati optime conſulas, ſacris videlicet, Sanctorumque Patrum libris emendatiſſime imprimendis. Etſi enim timide admodum tam erudito ſaeculo lucubrationes has meas in lucem emittebam, eaſque diutius intra domeſticos parietes comprimendas cenſebam: me tamen optimi, & de me optime meriti Cardinalis Antonii Caraffae Bibliothecarii Apoſtolici auctoritas impulit, ut hoc tamquam aes alienum aliquando diſſolvere inciperem.

Tibi igitur, Pater Sanctiſſime, Sacerdoti Dei ſummo has laborum meorum tenues primitias offero; tibi, inquam, Chriſti Domini Noſtri Vicario, & Beati Petri Apoſtolorum Principis Succeſſori, veluti viventi Petro, ac per ipſum Chriſto, grati animi conſecro monumentum. Et perinde ac olim Jacob, ut a patre primam benedictionem poſſet facilius promomereri, Rebeccae matris conſilio, & induſtria e grege ſumptum cibum illi paratum attulit: ita pariter ego non è ſaltibus inviis, lociſque ſilveſtribus, piis omnibus inacceſſis, ſed acceptum ex ovili Dominico, & ex ſanctae matris Eccleſiae ſententia praeparatum, quo potiſſimum certum eſt Sanctitatem tuam libentiſſime veſci, edulium offero (volumina quippe in cibum etiam divinitus impartiri ſolita, divinae Scripturae moſtrant exempla), appoſiteque verba illius uſurpans, quem imitandum ſuſcepi, dicam tua fretus humanitate confidenter: *Surge Pater, & comede de venatione mea, ut benedicat mihi anima tua.* Primam, inquam, illam, Sanctiſſime Pater, benedictionem expeto, qua aeterna ſemperque manens haereditas impartitur: quam & fidelibus omnibus Petrus exoptat: nimirum ut coeleſtem haereditatem benedictione poſſideant: cujus virtute pariter mihi his majora conanti favor divinus adſpiret; quo & cetera, quae paro volumina, ſingula annis ſingulis (quod eſt in animo), ad pedes Sanctitatis tuae impreſ-

impreſſa deferam. Benedic una mecum, & ſervis tuis, fratribus meis, qui pro te aſſidue orant, & in vinea magni Patris familias, quae tibi credita eſt, pro virili laborant. Deus intereate, Pater Sanctiſſime, incolumen ſervet, ut ad magna, quae tam brevi Pontificatus tui ſpatio egiſti, majora addas, & praeclara multa, quae inchoaſti, quaeque ſemper moliris, & meditaris, ad Dei gloriam, & Eccleſiae utilitatem feliciſſime abſolvas.

EPISTOLA XI.

ANTONIO CARAFFAE S. R. E. CARD.

CAESAR BARONIUS FELICITATEM.

Primum Annalium Tomum ei offert.

TUA graviſſima auctoritate permotus, Cardinalis Ampliſſime, tuiſque cohortationibus confirmatus, in lucem emitto primum Annalium noſtrorum Eccleſiaſticorum volumen; cujus editionem in diem ex die, nec ſine cauſa (ut arbitror) differebam. Non enim ignoro, quàm difficile ſit id pro rei dignitate praeſtare, quod libri indice (*a*) ſum pollicitus, quamque arduum ſit, viris doctis, & veteris hiſtoriae peritis, quibus aetas noſtra abundat, in hoc ſcriptionis genere cumulate ſatisfacere. Tuum vero in primis peracre judicium perhorreſco, qui ad multiplicem doctrinam, qua praeclare excultus es, magnam quoque totius Eccleſiaſticae antiquitatis notitiam adjunxiſti. Sed me tua ſingularis recreat humanitas: teque, ſi minus expectationem tuam explevero, tuoque exemplo ceteros eruditos homines, ſi, quod omni ſtudio ſecutus ſum, minime aſſecutus fuero, imbecillitati meae veniam daturos ſpero. Quod ſi hoc qualecumque tandem eſt opus, laborioſum certe, & multaram vigiliarum, aliquid adjumenti ad aedificationem Templi Dei, quod eſt Eccleſia ſancta Catholica, attuliſſe videbitur; primum quidem Deo optimo bonorum omnium auctori gratiae agendae erunt; deinde etiam tibi, qui jampridem ſtudiorum meorum patrocinio pera-

A a 2 man-

(*a*) Ex Baronii litteris ad patrem ſuum datis VII. Kalendas Majas anno Chriſti MDLXXIX. patet hunc titulum Annalibus praefigendum: *Hiſtoria Eccleſiaſtica controverſa R. Patris Caeſaris Baronii Sorani presbyteri Collegii S. Oratorii, &c.* Vide Praefationem ejuſdem Baronii ad Lectorem tom. I. Annalium.

manter ſuſcepto, ſedulitatem, & induſtriam meam excitaſti, omnique officiorum genere perpetuò ſublevaſti. Suſcipe igitur, Cardinalis Illuſtriſſime, veteris clientis librum in fidem, & tutelam tuam, ut haec prima Annalium noſtrorum pars in aliorum manus, te patrono, commendatior perveniat, dum ſecunda non ita multos poſt menſes, ſi Deo placuerit, imprimendam paramus, ac perpolimus. Interea Deum oro, ut quod agis, diu agas; & de Eccleſia, de ſacris ſtudiis, de viris eruditis & piis, tu pietate, & eruditione excellens, ſemper optime merearis.

EPISTOLA XII.

CAESARI BARONIO

STANISLAUS RESCIUS (a).

Primum Annalium Tomum mirificis laudibus extollit.

NArro tibi, Caeſar, nullum in omni vita mea habuiſſe me comitem itineris ſuaviorem accuratiſſimis, & exactiſſimis rerum Eccleſiaſticarum Annalibus, quos in lucem hominum emiſiſti; ego vero tanta cum aviditate, voluptateque devoro, ut illum ipſum, quem coenantem videras helluonem diceres. Equidem haec ſolis, & pulveris incommoda, & reliqua, quae mordent, vel nulla, vel certe leviora duco hac una occupatione, cui diem in lectica totum, in taberna vero partem etiam noctium impendo; idque tibi omni aſſeveratione affirmo, quod mihi credas velim, nihil adhuc accidiſſe, in quo ità valde acquieſcerem; vel quod aequè meam minuere moleſtiam potuerit, niſi cùm me totum in tuorum Annalium lectionem immergo.

Ama-

(a) Stanislaus Reſcius Polonus Abbas Andreociae in Polonia, ob virtutem eximiamque litterarum peritiam omnibus notus; & in pretio habitus, ſcripſit *Miniſtromachiam*, *ſeu de peſſimis moribus miniſtrorum Evangelicorum* nuncupatorum, Coloniae editam anno 1592. ubi Atheiſmum haereticorum noſtri temporis aperte detegit, & vehementer inſectatur. Notandum tamen, quod in Epiſt. quae eſt XVIII. in editione ejoſdem Reſcii Epiſtolarum quae prodiit Neap. per Jacob. Carlinum & Ant. Pacem anno MDXCVIII. Tom. 2. in 12. notandum, inquam, quod in ea Epiſtola XVIII. Auguſtini Card. Veronen. in Epiſtola XIX. Cardinalis Salviati, & in Epiſtola XXX. Ptolomaei Cardinalis Comenſis ad ipſum Reſcium datis, illud *Miniſtromachiae* opus titulum praefert: *De Atheiſmis & Phalariſmis Evangelicorum*. Scripſit etiam paraphraſim in ſeptem Pſalmos poenitentiales. Commendatur a Sixto V. Pont. Max. in literis datis die XXI. Julii an. MDXC. Sigiſmundo Poloniae regi, cujus negotia in Romana Aula Reſcius gerebat; quod in muneribus ſuſcipiendis, & ſingularem integritatem, & ſummam in conficiendis ſolertiam praeſtitiſſet. Intimus fuit Cardinali Hoſio Epiſcopo Varmienſi, cujus praeclara geſta poſteritati mandavit. Obiit Neapoli anno MDXCII. Extant inferius ſuo loco aliae Reſcii ad Baronium litterae.

Amabam antea mirifice, mi Caeſar, tuam pietatem, & non vulgarem in me benevolentiam; nunc iſtos tuos labores, & vigilias ità valde diligo, nil ut me aequè delectet. Sexcenta ſunt in quibus acquieſco. Annalium inſcriptio perplacet, annorum accurata obſervatio, lenis oratio, methodica diſpoſitio. De natali Chriſti die, deque Magorum nomine aſſentior, nec certe cauſam video, cur Magorum de ſe teſtimonium recipere voluerit, qui ſe ſe praeſtigiis magicis inquinaſſent; Sathanae verò praeſtigiarum artificis cùm inclamaret: *tu es Filius Dei viventis*, admittere noluerit. Illa quoque Valentinianorum commenta de A. & B. riſi ſuaviter. Majeſtatem verò linguae Romanae, quam Tiberio Caeſari, Romaniſque Magiſtratibus curae fuiſſe, ex Svetonio memoras, quaque Martianus homo Graecus in Chalcedonenſi Concilio uti maluit; quàm vellem, ut noſtri quoque Principes, & Urbani Magiſtratus quaſi poſt liminio in ſedes ſuas reponerent. Sed garrio, non putavi me Romam ſcribere. De Gabbe, ſive ut putas Gabella, lepidum in agro praeſertim Etruſco legenti. Marcellum, quem nominas ſcire pervelim utrum ſit veſter homo in me ſuaviter effuſus: nullum enim ejus de Horis Canonicis ſcriptum vidi. De vino myrrato aſſentior, & mercati noſtri memoriam obſervo. Quum vero illius loci tuam expoſitionem legerem: *Jejuno bis in Sabbatho*, venit mihi in mentem hominis, quem nemo unquam natum putavit, Lutheranae peſtis adminiſtri interpretatio [Deus bone! quàm ei, quém colunt, Deo ventris conſentanea!] Bis, ait ille, jejuno in Sabbatho; hoc eſt ante prandium ſemel, ante coenam ſemel. Quod neglectus religionis exclamare te invitum, (ut ais) & praeter morem compellit, idque ita, ut facis parciſſime, nemo erit, crede mihi, qui te Romae ſcripſiſſe negaverit. De Caraba quum legerem, venit mihi in mentem hujus mei temporis. Sed hoc quoque praetereo, & annum Chriſti 42. ingredior. Spero antequam Venetias pervenero, centum tuos annos evolvam. Idque ex me te ſcire volui, ut te plurimum diligi, & me in tuis rebus omnibus magnopere acquieſcere exploratum habeas. Centuriatorum, ut vocant, nullam adhuc abs te video fieri mentionem. Multa ii, & craſſa mendacia in XII. Centurias hiſtoriae ſuae compegerunt, quorum ſive fraudem, ſive rerum geſtarum ignorantiam, putarem tuo quoque teſtimonio omnium ſibilis, & cachinnis eſſe exponendam. Bene vale, & quum in oratione Dei, arſeris animo, atque in Coelum evectus à corpore in conſideratione divinae

vinae benignitatis exultaveris, Reſcii peccatoris meminiſſe velis, ut antequam moriatur, moriantur in eo vitia. RR. DD. & PP. in Chriſto meos Philippum, Silvium, Thomam verbis, Antonium autem, & Juvenalem litteris ſalvere plurimum meo nomine jubebis. Tu verò, ſi me amas, vel potius quia amas, da operam, ut valeas. Florentiae, Natali S. Joannis Baptiſtae 88.

EPISTOLA XIII.

CAESARI BARONIO

DECANUS ET CAPITULUM ECCLESIAE CONCHENSIS.

De Martyrologio Romano Commentariis gratulantur, orantque ut in poſterum S. Juliani eorum Cathedralis ac Dioeceſis Patroni mentionem faciat in eodem Martyrologio.

PErvenit ad nos Martyrologium Romanum Commentariis ſummae eruditionis tuae illuſtratum: de quo labore pie ſuſcepto, & feliciter peracto, tibi pro parta gloria gratulamur, & pro beneficio publico gratias agimus. Sed quoniam de Divo Juliano noſtrae Cathedralis, & totius Dioeceſis Patrono mentionem ibi deſideramus, mittimus tibi per Petrum Corteſium noſtrae almae Eccleſiae negotiorum in Urbe adminiſtrum, unde tua eruditio ex Breviario Conchenſi aliquid depromat, quod in poſterum vulgare poſſit in Divi Juliani, id eſt Dei laudem, qui glorificatur in Sanctis ſuis. Quod ut facias, te vehementer etiam atque etiam in Domino rogamus. Vale. Ex noſtro Capitulo Eccleſiae Conchenſis Non. Decembris 1588.

D. Franc. Suarez Abb. S. Jacobi & Can. &c.

D. Herard. de EsCobar Archid. de Alarçon, & Can. Conchen.

De mandato Dominorum Decan. Capituli

Joan. de Lizaſſo Secretarius.

EPI-

EPISTOLA XIV.

CAESARI BARONIO

FR. VINCENTIUS JUSTINIANUS ANTIST (*a*).

Ejus in Martyrologium Romanum Notationes commendat, & nonnullas quaeſtiones, tam circa Martyrologium, quam circa eaſdem in illud Notationes proponit.

TUAE in Romanum Martyrologium Notationes ob variam, quam praeſeferunt lectionem, ſummum in amplectendis, aut rejiciendis opinionibus judicium, atque delectum, mirabilem in Deum, divoſque pietatem, & liberalem in omnes Eccleſiae ordines benevolentiam; ita me in tui amorem rapuerunt, ut vehementer doluerim, quod quum Romam anno 1580. ad Theologicas aſſertiones in generalibus Praedicatorum comitiis defendendas acceſſi, te minime fuerim alloquutus. Sed, quod praeſens agere non potui, abſens aggredior. Et primum quidem ea, quae in ipſo Martyrologio, deinde quae in tuis plane Angelicis Notationibus difficilia videntur, breviter, ac ſummatim proponam, tanquam novus hujus diſciplinae tyro, jam emerito praeceptori.

XVIII. Octobris quod dicitur de translatione corporis D. Lucae Patavium parum ſolide affirmari videtur; nam auctoritate Pii Papae II. Cardinalis Beſarion, adhibitis in concilium plurimis Epiſcopis, Abbatibus, & Prioribus, decrevit illud, quod Patavii habetur, non eſſe, neque unquam fuiſſe corpus D. Lucae Evangeliſtae, integrumque illius Cardinalis decretum adducit Gonzaga in Hiſtoria Minoritica, Romae ſub S. D. N. Sixto Quinto excuſa-

agens

(*a*) Vincentius Juſtinianus Antiſt, Valentiae Aragonum ortus, ibidem in Ordinem Praedicatorum aggregatur, vir optimi ingenii non tam Theologiae, quam ſacrae eruditioni omne ſtudium diligentiamq; erogavit, ut opera in utraque ſcientia ab ipſo in lucem edita teſtantur, quibus nomen immortale ſibi comparavit. Deceſſit Valentiae anno 1599. Scripſit Commentaria in univerſam Logicam, una cum quaeſtionibus, quae totam hanc facultatem elatiorem reddunt. Acceſſit etiam ejuſdem auctoris Theſaurus quaeſtionum iis, qui diſputaturi, aut aſſertiones defenſuri ſunt. Prodierunt Valentiae 1572. Venetiis 1582. & Coloniae 1617. Annotationes in Opuſcula S. Vincentii Ferrerii, Valentiae 1591. Item pro S. Catharinae Senenſis imaginibus diſputatio edita primum hiſpanice, Valentiae, & Barcinone 1581. tum latine ab auctore verſam, novis argumentis, noviſque teſtimoniis locupletatam, Valentiae 1597. & Antuerpiae, 1611. Extat ejuſdem de S. Officii dignitate, & origine opus ms. quod ieudet Lodovicus Paramo lib. 2. de Origine S. Inquitionis. Alia ejus opera tam latino, quam hiſpanico idiomate exarata recenſentur a P. Jacobo Echard. in Bibliotheca Script. Ord. Praed. tom. 2. pag. 326.

Digitized by Google

agens de coenobio Venetiarum B. Job dicato in provincia Sancti Antonii (*a*).

XXV. Octob. omnino explicare oportet quomodo dicatur SS. Chryſanthum, & Dariam ſub Numeriano Imperatore paſſos, ſi ut ex eorum actis etiam a te relatis conſtat, eorum paſſionem juſſu Stephani Papae per totum orbem vulgatam, ut omnes ſcirent eos jam cum Chriſto in Coelis regnare. At conſtat S. Stephanum in cujus Pontificatu illi Martyrium ſubiere, multis annis ante Numeriani Imperatoris tempora a Valeriano Imperatore Martyrem effectum fuiſſe, ut vel ex hoc ipſo Martyrologio 2. Auguſti die conſtat (*b*). Quod ſi dicatur, ipſum Valerianum fuiſſe binonymum, & vocatum etiam fuiſſe Numerianum, profecto oportet antiquum aliquem laudare ſcriptorem, qui id aſſeruit, quod ſi quiſque reperiatur, profecto oportebit emendare, quae 17. Martii de Beata Reſtituta ſcripſiſti. Caeterum illud indicare volo, etiam in Commentario inventionis SS. Diodori, & Mariani apud Surium eum Imperatorem, qui ſub Stephano Papa Primo perſequutionem in Eccleſiam ſuſcitavit, vocari Numerianum 17. Januar.

XXIII. Novembris refertur D. Clementis Papae corpus Romam ſub

(*a*) Spondanus hac de re ad an. 1463. num. 7. haec ſcribit: „ In Jadrae occupatione primum a „ Turcis facta, Franciſcani Patres corpus ſa„ crum ibi a multo tempore ſumma veneratio„ ne habitum, quod S. Lucae Evangeliſtae eſ„ ſe dicebant, ſubtraxerunt, & Venetias de„ latum Mauro Duci obtulerunt: qui illud in „ Eccleſia B. Job collocavit. Sed cum idem „ S. Evangeliſtae corpus jam antea Patavii in „ Monaſterio S. Juſtinae aſſereretur eſſe; mota „ inde grandi controverſia quodnam illorum „ verum corpus S. Evangeliſtae eſſet, judicio„ que a Pio Pontif. ad Beſſarionem Card. tunc „ Venetiis exiſtentem remiſſo; cùm ille pro „ recens allato pronunciaſſet, nihilominus Mo„ nachi S. Juſtinae rem apud Sedem Apoſtoli„ cam per provocationem proſequentes, ma„ ximum momentum cauſae ſuae comperere„ runt, Caput S. Evangeliſtae in Baſilica S. Pe„ tri aſſervari, delatum illuc olim a S. Gre„ gorio magno Conſtantinopoli, ubi Apocri„ ſariom egerat Pelagii deceſſoris ſui: ac pro„ inde cùm corpus Jadram delatum, integrum „ eſſet capite & corpore, Patavium autem ca„ pite careret, longe ſimilius vero eſſe Pata„ vinum Evangeliſtae, aliud cujuſdam alte„ rius Lucae eſſe. Perſtitit tamen res tunc in„ judicata, forſitan ob graviſſimam auctorita„ tem Beſſarionis ſecus ſentientis, donec ulti„ mis temporibus Gregorius XIII. Papa in re„ ſtitutione Martyrologii Romani, pro Pata„ vino viſus eſt ſententiam ferre, cum ad diem „ 15. Cal. Novembris, qui S. Lucae Evange„ liſtae ſacer eſt, juſſit fieri mentionem tranſ„ lationis ſacri ejus corporis Patavium ex ur„ be Conſtantinopoli: haud tamen propterea „ Franciſcanis a ſententia Beſſarionis abire „ conſentientibus. Narrantur autem iſthaec „ prolixe in hiſtoria Coenobii S. Juſtinae a Ja„ cobo Cavacio „. Vide etiam Floreo pag. 924. Paul. Carm. 26.

(*b*) SS. Chryſanthum & Dariam ſub Numeriano Imperatore Martyrio affectos fuiſſe, praeter Baronium, tum loc. cit. tum etiam in Annalibus tom. 2. ad an. 284. num. 6. & ſeq. plerique aſſerunt. Numerianus quidem imperium adeptus eſt ann. 283. illudque octo aut novem menſium ſpatio abſolvit an. 284. Verum enim vero, quum nullam ſub hoc principe excitatam in Chriſtianos perſequutionem conſtet, facile hinc conjectari licet hoſce Sanctos ſub Valeriano Imperatore paſſos fuiſſe, ſaltem ante menſem Auguſti ann. 257. ſi verum ſit, Sanctum Stephanum Pont. Max. qui eo tempore mortem obiit, mandaſſe, ut eorum martyrii acta litteris traderentur. Vide Tillemontium tom. 4. pag. 565. & 762. nec non Adr. Baillettum in Vitis Sanctorum tom. 7. pag. 385.

ſub Nicolao Papa Primo fuiſſe translatum. Cum Anaſtaſius Bibliothecarius, qui Romae ſub eodem Nicolao, ejuſque ſucceſſore Hadriano primo in Pontificum aula verſabatur ſcribens ad Carolum Regem Calendis Aprilis indictione 8. ſic dicat. *Vir magnus & Apoſtolicae vitae praeceptor Conſtantinus Philoſophus, Romam ſub venerabilis memoriae Hadriano juniore Papa venit, Sanctique Clementis Corpus Sedi ſuae reſtituit* (a). Et certe Anaſtaſio Bibliothecario, tanquam oculato teſti, magis credendum eſt, quam breviario Polonorum, quod a te citatur, tum 9. Martii in Cyrillo, & Methodio, tum 23. Novembris in Clemente. Quid quod etiam illud huic Martyrologio adverſatur, nam ſi S. Cyrillus, & Methodius Epiſcopi illud Romam adduxerunt, id fieri non potuit ſub Nicolao primo cum ex his, quae tu ſcribis 9. Martii conſtet S. Methodium a Joanne 8. (qui fuit ſucceſſor Hadriani II., qui ſucceſſit Nicolao primo) fuiſſe conſecratum Epiſcopum.

III. Die Decembris 6. Lucius Angliae Rex confeſſor appellatur, & in ſerie confeſſorum ponitur, cum tamen in Eccleſiae Anglicanae Tropheis Romae excuſis habeatur, eum in Germaniam propagandae fidei gratia profectum, & Curiae Epiſcopum factum, poſt lapidationem a furentibus Paganis infidelibus occiſum fuiſſe. Quod etiam de Sancto Leutio Brunduſii Epiſcopo in eodem Martyrologio factum, contra Divi Gregorii Papae repetitam ſententiam, tu doctiſſime 11. Januarii annotaſti.

XXI. Decembris, quod dicitur Beati Apoſtoli Thomae corpus Orthonae haberi conſiderandum eſt an magis e re chriſtiana eſſet id ſilentio praeteriri (b). Nam conſultiſſime Divus Auguſtinus admonuit, ne phiſicae quaeſtiones parum, aut nihil ad mores pertinentes in Eccleſia definiantur, ne gentilibus Philoſophis, qui contrarias opiniones pro demonſtratis habent, difficilior in Eccleſia introitus fiat, ſi putent, ſe cum primum baptiſma receperint, eas, quas ipſi veras credunt opiniones abnegare debere: eadem prorſus ratione cum Abiſſini chriſtiani, qui in latiſſimis Aphricae partibus interioribus habitant, fere cum lacte eam imbiberint exiſtimationem, apud ſe Divi Thomae Apoſtoli

Bb cor-

(a) Hanc Juſtiniani ſententiam amplexum fuiſſe Baronium, conſtat ex adnotationibus ejusd. Martyrologii, poſterioris editionis ad locum cit. ubi eumdem Anaſtaſii Epiſtolae locum in medium profert.

(b) De translatione S. Thomae reliquiarum Orthonam facta, extat una cum vita ejusdem Apoſtoli, ejusdemque miraculis libellus editus a Joan. Baptiſta Orthonenſi. Videſis hac de re Baron. Annal. tom. 2. An. a 37. num. 5. & in Martyrolog. ad diem 3. Julii not. (1) cujus tamen ſententia haud arridet Bailleto in Vitis SS. Tom. 8. pag. 558.

corpus conditum eſse, aegerrime valde ferent ſe, ſi Romanum Martyrologium admittant continuo conceſſuros illud, quod perpetua parentum traditione, ut S. Thomae corpus habuerunt, nihil minus eſse, quam quod ſemper exiſtimarunt. Cum igitur, ut praeclare Demoſtenes dixit, *non ſint in eo poſitae fortunae Graeciae* (dicamus nos Romanae Eccleſiae) *utrum* ita, *vel aliter dicatur*; melius eſſet in alia Martyrologii editione, nullum prorſus de ea re verbum facere, ſed ſuum cuique judicium liberum omnino relinquere, ſicut fit in eodem Martyrologio de quorundam Apoſtolorum corporibus.

Sed & hoc, quod levius eſt querere libet qua auctoritate 10. Januarii B. Nicanor apud Cyprum paſsus dicatur, cum Dorotheus in ſynopſi, eum in perſequutione, quae D. Stephanum prothomartyrem ſubſtulit, paſsum teſtetur, ex quo ſequitur eum Hieroſolymis, non apud Cyprum martyrium conſumaſse (*a*). Et mirum videtur potius novorum Martyrologiorum, quam antiquioris Dorothei ſententiam approbari. Nam quo quis Apoſtolorum temporibus vicinior eſt, eo magis eſt aliis praeferendus, niſi apertiſsime erret.

Mirum tandem videtur, quod Romani Martyrologii author, praetermiſsis quibuſdam ſanctis ſolemniter canonizatis, inſeruerit alios nondum ab Eccleſia ſolemni ritu divis adſcriptos, imo & nonnullos, de quibus nunquam officium Eccleſiaſticum fuit alicubi perſolutum. Nec de nimium antiquis loquor, qui ſcilicet ante hos quadringentos annos obiere, ſed de recentioribus. Videtur autem ad Sanctae Romanae Eccleſiae gravitatem pertinere, ut nullos toti mundo proponat, quos ipſa prius non abſolute canonizaverit, aut eos ſaltem, de quibus Eccleſiaſticum officium perſolvi jam ante conceſserit, alioqui fiet, ut contra Summi Pontificis mentem, utique altaria erigantur, laudes Eccleſiaſticae perſolvantur, ac Miſsae celebrentur in honorem eorum, qui nullo modo hucuſque ab Eccleſia canonizati fuere, vel uni tantum, aut alteri provinciae, vel civitati, vel ordini, Pontifices conceſserint, ut eum venerari poſsent: id autem ſequi poſse hoc exemplo demonſtro. Felicis memoria Paulus Papa III. anno MDXLII. conceſſit, ut in Eccleſiis Fratrum Praedicatorum Provinciae Aragoniae

(*a*) Conſulendus hac de re idem Baronius in Annalibus Tom. 1. an. 34. num. 324. Quin imo in poſterioribus ejuſd. Martyrolog. editionibus loc. cit. illum Dorotheum laudat; unde affirmat, quod potuerit contigiſſe in Cypro agi diem natalem ejus (ſc. Sancti Nicanoris) ob ſacrarum reliquiarum, quae illic habentur translationem factam. At *nec Dorothei* (ſubdit Baronius ibid.) *adeo firma auctoritas in omnibus ſubſiſtit*, *ut ſaepe decuimus*.

goniae, Divus Raymundus, qui tertius Generalis fuit, ac haereticae pravitatis inquiſitor, decretaliumque collector, venerari poſſet, id, quod in aliis Eeclefiis fieri nequit, quia id nunquam Pontifex incluſit; ſi vero in Romano Martyrologio poſitus fuiſſet, facile aliqui ſimplices de eo Miſſas in aliis regnis celebrarent; quod minime licet. Cur igitur non timebimus, ne idem accidat, in aliis divis, quos Martyrologii auctor addidit, qui nunquam fuere pro tota Eeclefia approbati? Cur denique non id amplius verebimur de aliis, de quibus in nulla orbis parte hucuſque Miſſae ex indulto, aut permiſſione apoſtolica celebrantur, & tamen in novo Martyrologio habentur. Ipſorum autem indicem ſi oportuerit, per alium Tabellarium mittam; hic enim nimis cito eſt receſſurus. Haec de Martyrologio, jam ad Notationes accedamus.

Die VII. Januarii litt. (b) quae narrantur ſub finem notationis ad Beatum Lucianum, de D. Helena, nimirum eam apud Drepanum Luciano templum erexiſſe, & civitatem ex ſuo nomine Helenopolim appellaſſe, non habet Nicephorus loco ibi citato; quin potius dicit Conſtantinum civitati nomen Helenopolis indidiſſe, nec de ullo templo ab Helena Divo Luciano erecto verbum facit. Alius itaque auctor citandus fuiſſet (a).

XXVIII. die Januarii in Valerio, poſtquam de primo conſtat ex actis D. Vincentii, & de ſecundo ex ſynodicis actis, nihil curandum eſt de Clericis Caeſaraugustanis. Nam dicere unum, & eundem eſſe Valerium fabula eſt. Nam jam erat valde ſenex ille primus, quando in hanc noſtram Valentiam una cum Divo Vincentio Martyre fuit pertractus.

V. Aprilis littera (f) annus mortis Divi Vincentii MCCCCXVIII. in MCCCCXIX. eſt mutandus, nam in proceſſu canonizationis ejus, cujus tranſumptum habemus, plurimi atteſtantur, eum ad Chriſtum migraſſe V. die Aprilis feria IV. ante Dominicam Palmarum, & ex computo liquet anno MCCCCXVIII. feſtum Paſchatis menſe Martio celebratum fuiſſe. Si ergo ante Dominicam in ramis Palmarum in humanis eſſe deſiit, profecto non obiit an. MCCCCXVIII. At anno MCCCCXIX. incidit Paſcha in XVI. diem Aprilis, & die V. illius menſis fuit feria IV. ante Dominicam in ramis Palmarum. Cauſa autem communis erroris haec eſt; nam in univerſa fere Gallia computant annos a die Paſchatis, quo fit, ut quod an. MCCCCXIX. ante Paſcha accidit; ibi an. MCCCCXVIII. factum

(a) Id correxit Baronius in Martyrologii editione anni MDXCVIII.

ctum dicatur. Unde duo teſtes in proceſſu memorato, poſtquam dixerunt, eum anno MCCCCXVIII. obiiſſe, ſtatim addunt ſecundum morem Gallicanum computando. Et Jacobus Meyerius in Annalibus Flandriae, in quibus ſemper a Paſchate reſurrectionis orditur, anno MCCCCXVIII. poſtquam notavit, quo die Paſcha fuerit celebratum, ſtatim narrat ea, quae facta ſunt ab ea die uſque ad menſem Martii ſequentem, & poſtremo ſubdit mortem Divi Vincentii, & ſtatim incipit annus MCCCCXIX. a die Paſchatis menſis Aprilis. Haec latius nos tractavimus in vita D. Vincentii, quam juſſu Conſulum Valentinorum ex proceſſu Canonizationis collectam typis mandavimus anno MDLXXV. (*a*)

XXIV. Junii litt. (b) ubi dicitur Sabinius Flavius, dicatur Lubrius Flavius qui fuit unus ex conjuratis contra Neronem, ut patet lib. xv. Cornelii. At Sabinius Flavius fuit alius de quo agit Cornelius lib. XIX. (*b*)

Die I. Auguſti agens de Sancto Vero Epiſcopo Viennenſi, non approbas eam opinionem, quae praeter Verum, qui Arelatenſi Concilio tempore Conſtantini Imperatoris interfuit, alium Sanctum Verum Epiſcopum Viennenſem multo antiquiorem fuiſſe tradit, & tamen Sanctus Pius Papa Primus, qui duobus fere annorum centuriis Concilium illud Arelatenſe praeceſſit, in ſecunda Epiſtola ad Juſtum Viennenſem Epiſcopum, agit de Sancto Vero Epiſcopo Viennenſi Juſti praedeceſſore in illo Epiſcopatu (*c*).

Die VI. Auguſti, quum tam Sixtus Primus, quam Secundus fuerint Martyres, qua ratione applicas ad Sixtum Secundum, quod ſcribit D. Gregorius in reſponſione ad nonam interrogationem; quum ſolum dicat *Sixtum Martyrem*, non diſtinguens inter Primum, & Secundum. Quid quod, nec Papam addit, & forte erat alius D. Sixtus Martyr (*d*).

Die XXX. Auguſti quod ſcribis de probatione ſanctitatis Divi Bononii per Joannem XX. quamvis etiam Surius idem aſſerat auctoritate Sigonii, corrigendum videtur. Nam ut ex Bononii actis conſtat, ejus approbatio per Papam Joannem facta eſt, paucis poſt ejus mortem diebus, & ſane Joanne XIX. Eccleſiam gubernan-

(*a*) Hunc de anno mortis S. Vincentii Ferrerii errorem correxit Baronius in edit. Martyrologii ann. MDXCVIII. Vide etiam hac de re ejusdem Sancti Vitam a P. Antonino Theoli Ord. Pred. Italicè conſcriptam lib. I. tract. III. cap. XXIX. pag. 277. & impreſſam Romae Typ. Joan. Bapt. de Caporalibus ann. MDCCXXXV.

(*b*) Corrigitur hic quoque error in laudata editione an. MDXCVIII.

(*c*) Convenit hoc loco Baronius cum Juſtiniano in editione ejusd. anni MDXCVIII.

(*d*) Quod in prima Martyrologii editione Baronius pro certo affirmaverat, D. ſcilicet Gregorium loc. cit. de Sixto Secundo verba facere, id in dubium revocat idem Baronius in altera editione.

nante, Bononius obiit, Joannes autem XX. multis annis poſt Bononium regnavit (*a*).

XVI. Octobris circa illam latiſſimam adnotationem de Epiſcoporum Cartaginenſium fide, & obedientia ad Sedem Apoſtolicam, dubium occurrit, ſi tunc in illa Provincia erant Epiſcopi, & Presbyteri Catholici, & non Schiſmatici; quid neceſſe fuit Romam pro Presbytero ad Gentiles illos baptizandos mittere? (*b*)

XXII. Octobris, in Melanio incredibile videtur, quod dicitur de Sancto Nicaſio Epiſcopo Rothomagenſi, cui anno 265. Sanctus Melanius fuit ſubrogatus. Certe quum D. Clemens Papa tertio Trajani anno fuerit occiſus, & ipſe miſerit ad praedicandum Sanctum Nicaſium primum Epiſcopum Rothomagenſem, ut doces XI. Octobris, ſequitur B. Nicaſium centum, & quinquaginta plus minus annis Epiſcopum fuiſſe.

IV. Novembris quod dicitur, ſanctum Emericum Hungariae regis filium canonizatum eſſe a Benedicto VIII. dicto IX. una cum patre S. Stephano, parum convenit, cum his, quae ſcribit Surius die 2. Auguſti de elevatione corporis B. Stephani Primi Hungarorum regis anno MLXXIX. & conſtat anno MLXXIX. floruiſſe Gregorium VII. non Benedictum VIII. dictum IX. Item parum convenit, cum his, quae ſcribit Surius die IV. Novembris; nam Divi Emerici elevationem authoritate Synodali poſt Triduana jejunia factam ſcribit ſub rege Hungariae Ladislao, qui profecto Ladislaus multo poſterior fuit Benedicto VIII. dicto IX.

Quum haec amanuenſis noſter ſcripſiſſet, tabellarius importunis precibus litteras poſtulabat, & ita vix ad errata corrigenda tempus ſuperfuit. Valeat igitur V. perilluſtris Dominatio, ac pro me Deum oret, ut ſalver. Valentiae Hiſpaniarum anno 1589. 20. Martii. Ex domo Praedicatorum.

EPI-

(*a*) Id etiam emendatum repetitur ab ipſo Baronio in altera editione.

(*b*) De hac Epiſcoporum Carthaginenſium ad Apoſtolicam Sedem Legatione, haec habet Baronius in Annalibus Tom. VI. ad annum 456. num. XIV. „ Quod autem iidem „ Martyres ſuaſerint pro ſactis Miniſtris legationem eſſe mittendam ad Romanum „ Pontificem, cum tamen illi provinciae „ proxima eſſet Mauritania Caeſarienſis, quae „ nondum erat exhauſta Sacerdotibus: inde „ conjicimus hos Martyres ex Romana urbe fuiſſe captivos, & unde venerant petiiſſe miniſtros; vel potius voluiſſe ex ipſo limpidiſſimo fonte petere Catholicae „ fluenta doctrinae. „

EPISTOLA XV.

CAESARI BARONIO

NICOLAUS SERARIUS (*a*).

Laudat Annales : Proponit quaeſtiones aliquot circa eos , & Martyrologium occurrentes , & mittit quaedam Opuſcula .

DUM Reverende domine doctiſſime Vir , anno ſuperiore novum gratiſſimae ſerinae genus , ſummo Eccleſiae Chriſtianae Iſaaco offerres , venatorem te ipſum profeſſus es . Quam ob cauſam mirari minime debes , ſi ego tibi de facie nunquam notus , ipſo etiam nomine prorſus inauditus , alloqui te audeam . Fit enim hoc non raro , ut mediis in ſylvis , ac ſaltibus , quem nunquam aut vidit , aut cogitavit , viatorem venator offendat , ab eo ſalutetur , quidpiam interrogetur ; & verò , ſi quem uſpiam viderit , apri , vel cervi moneatur . Sanè ut primum doctiſſimae tuae in Martyrologium Romanum Notationes exierunt , cùm doctrinae , & antiquitatis tantum afferrent ; tenere vix me potui , quin è media tibi Germania , tam felicia retia gratularer . Sed quam tum , ne importunior eſſem , continui , eam mihi planè Annales Eccleſiaſtici vocem extorſerunt . Verum ita , ut non tam tibi , quam nobis Catholicis omnibus gratulandum , & gaudendum putarem , Praeſtitiſti enim quod in hiſtoria ſaepe , & diù à quam

(*a*) Fuit natione Lotharingus, patria Rambervillanus Metenſis Dioeceſis . Poſt ſuſceptas Dummartioi primas literas , quibus puerilis aetas informari ſolet , ad Philoſophiae ſtudia , Coloniae animum appulit , ubi Clericorum Regularium Soc. Jeſu familiae nomen dedit an. MDLXXII. Inde ad divinarum rerum cognitionem omni ſtudio raptus , tantos in Theologicis diſciplinis fecit progreſſus , ut in illis edocendis viginti annorum ſpatium ſumma cum laude conſumpſerit . Erat praeterea Serarius Hebraicae , Syriacae , Graecae Latinaeque linguarum , ſi quis alius , egregie peritus , ut multa ab eo exarata opera reſtantur , quae in tres Tomos in fol. collecta , prodierunt Moguntiae typis Joannis Albini an. MDCXI. Edidit praeterea Commentaria in ſacros libros , nempe in Joſue , in Judices , & in Ruth tribus Tomis in fol. Moguntiae MDCIX. Inſuper in Tobiam , Judith , Eſther , Machabaeos , ibid. MDCX. Item in omnes Epiſtolas Canonicas SS. Apoſtolorum Jacobi , Joannis , Petri , & Judae ; ibidem MDCXIII. in fol. Prolegomena Biblica , ibidem in fol. Epiſtolas quoque S. Bonifacii Martyris primi Archiepiſcopi Moguntini notis illuſtratas , quae extant in Bibliotheca Patrum Tomo VIII. Scripſit etiam Serarios de rebus Moguntiacis libros quinque , Moguntiae MDCIV. in 4. Quaeſtiones de S. Nicolao , & Germanice Noctilocium Lutheri . Reliquit praeterea Commentarium imperfectum in libros Regum . Tractat. de Paradiſo , & Epiſtolas didacticas de rebus variis . Obiit Moguntiae die XX. Maii an. MDCIX. aetatis ſuae LIV. Baronius Tom. XII. Annalium ad annum MCXXVI. illum *lucis jubar Eccleſiae Germanicae* appellat .

Digitized by Google

quam plurimis optatum, ut non geſta tantum narrentur, ſed ſingulorum etiam teſtes tum optimi, tum vetuſtiſſimi citarentur: clariſſima ſanctiſſimorum virorum dicta factaque notarentur, ſacroſanctorum rituum, & caeremoniarum origo, & vetuſtas indicaretur, varia etiam è tenebris eruerentur, quae ad Eccleſiae Catholicae utilitatem & ornamentum valere plurimum poſſent; idque totum ea diligentia, & accuratione, ut qui occurrerent nodi, varii ſane ac perdifficiles diſſolverentur; neque ita quiſquam reprehenderetur, ut vel de contumelia queri, vel Chriſtianum candorem & modeſtiam requirere jure poſſit. Quae omnia quantum pleriſque omnibus placeant, vel ex eo ſtatuere poſſes, quod autumnali hoc Francofurtenſi mercatu Tomus ſecundus cupidiſſime quaeſitus, & expetitus fuerit; Tomus verò primus etiam jam Antuerpiae pereleganter recuſus ſit, & ſummae auctoritatis, ac nobilitatis viri non deſint, qui de eo Germanice convertendo ſerio, ut ego quidem audio, cogitent: ut meritiſſimo gaudere, Deoq. Optimo Maximo gratias agere debeas tam feliciter hos a te labores ſuſceptos, & exantlatos, & porrò deinceps pergere, non indagando, & inveſtigando, ſed quae tibi jam indagata, & inveſtigata ſunt, efferendo, & conquiſitiſſimas, uti coepiſti, epulas extruendo. Magnus labor: ſed merces major. Aevi genium habent, vivunt libri. Ceterum eſt, mi Reverende Domine, quod a te ſi pateris, quaerere velim. Scribis tam in Annalibus, quam in Martyrologio, memoriae a D. Baſilio proditum viguiſſe apud Neocaeſarienſes, temporibus magni ipſorum Gregorii litanias. At Baſilii noſtrates Graeci & Latini contrarium, prorſus affirmant (a). Quaeſo te, ſi quod ſummis quandoque viris, occupatis praeſertim, accidit; μνημονικὸν ἁμάρτημα, non eſt, quo modo libri veſtri habent? Martyrologii notatio quaedam refert, S. Ignatium martyrem ab Herone diſcipulo invocatum, ejuſque ſcriptum quoddam vetus in Annalibus pollicetur. In his ubi de Igna-

(a) Ita quidem cenſet Baronius in Annalibus ad annum LVIII. num. 112. & in Martyrolog. ad diem 25. Aprilis. Sic enim D. Baſilius in Epiſtola 207. juxta edit. Monach. S. Mauri, reſpondens Neocaeſarienſibus Clericis, qui eum criminaverant propter inſolitum canendi, pſallendique ritum Thaumaturgi tempore inauditum: *Sed haec*, inquit, *non erant tempore magni Gregorii: ſed neque LITANIAS, quas nunc ſtudio habetis*. Animadvertendum tamen eſt, hac voce *Λιτανείαν* qua utitur S. Doctor loc. cit. non deſignari proprie *ſupplicationes*, ſive *proceſſiones*, ut habetur in Euchologio Graecorum, ſed preces ad poenitentiam accommodatas. Loquitur enim hoc loco Baſilius de diſcrimine, quod inter Neocaeſarienſium ritum, & Caeſarienſium intercedat; nimirum, quod hi oraculis Spiritus Sancti Deum placare ſtudebant; Neocaeſarienſes vero verbis humanis idem peragebant. Vide adnotationes clariſſim. Monachorum Congreg. S. Mauri ad ejusd. S. Baſilii Opera Epiſt. 207. edit. Pariſien.

Digitized by Google

Ignatio diſputas, quaeſivi, nec illud inveni. An in tomum ſecundum id dilatum? Euſebium Caeſarienſem idcirco D. Areopagitae operum mentionem nullam feciſſe ais, quod apertiſſime filii divinitatem ſanctiſſimamque Trinitatem aſſeruerit; cui Euſebius iniquior fuerit. Haec plane cauſa valde probabilis, & quae non ita pridem erudito, & nobili e Lutherana quadam republica viro, cùm eam ei oſtendiſſem, egregie fecit ſatis: cùm tamen video tam multos alios, & tam inſignes ejuſdem ſacroſanctae Trinitatis aſſertores ab eodem Euſebio, in quibus etiam Alexandrinus Dionyſius ab eodem illo D. Athanaſio, a quo Theognoſtus, Eudotus; commemorari, ſummiſque laudibus ornari; vereor, ut haec ratio, & conjectura ſatis firma ſit. Et quia D. Athanaſii memini, cujus hiſtoriam accuratiſſimam, ut Martyrologium indicat collectam habes, magnopere humanitatem tuam rogatam velim, ut ſi de ſymbolo quod ipſius nomine in Eccleſia celebratum, detonatum quid, & ſepoſitum habeas (habebis autem ſine dubio, cùm Symbolum illud a nonnullis cum alio, de quo D. Nazianzenus, & in hiſtoria Theodoretus, confundatur) quod a Genebrardo in 3. de Trinitate praeteritum ſit, id mihi comunicare ne graveris (a). Mihi vero ad certam quandam rem valde prodeſſet; maxime

(a) Ven. Card. Baronius ad annum 340. §. *Jam*; cenſet Symbolum, quod S. Athanaſio tribuitur, & ſub illius nomine in Eccleſia recitatur exaratum ab ipſo extitiſſe, dum Romae moraretur evocatus ab Euſebianis apud S. Julium Pontificem ob calumnias ſibi inflictas. Mos Romanae Eccleſiae erat, ut Epiſcoporum nullus ad Synodum convenientium admitteretur, nec reus audiretur, niſi emiſſa Catholicae Fidei profeſſione a Pontifice, eique aſſidentibus ſuſcepta, quae deinde in Eccleſiae Tabulario erat collocata. Poſt multam annorum ſeriem inventa, ob tanti Viri de Fide Catholica optime meriti, meruit Eccleſiae tradi recitanda. Huic ſententiae non deſunt alia gravia fundamenta. Concilium Toletanum IV. anno 633. fidei confeſſionem edidit, in qua aliqua ex hoc Symbolo deſcripta videntur, Synodus Auguſtodunenſis anno 1170. celebrata, illud Symbolum Athanaſio tribuit. Auctores plurimi decimi ſaeculi, S. Thomas, Theologique omnes, imo Eugenius IV. in decreto inſtructionis Armenorum, Athanaſio adſcribunt. Eruditi tamen non pauci in oppoſitam ſententiam flectunt. Quia neque Athanaſius, neque coaevi Auctores, aut qui ante ſaeculum ſeptimum ſcripſerunt, hujus Symboli mentionem fecere. Gregorius Nazianzenus aſſerit quidem Fidei confeſſionem ab Athanaſio oblatam fuiſſe Joviano Imperatori, ſed contendit, illam nil aliud eſſe, quam Epiſtolam Synodicam ab Athanaſio ſcriptam nomine Epiſcoporum Thebaidos Aegypti, & Lybiarum. Si ab Athanaſio conditum Symbolum fuiſſet S. Cyrillus Alexandrinus, Concilia Epheſinum & Calcedonenſe, illud laudaſſent, quum haereſim Neſtorianam, & Euthichianam damnent. Item Latini adhibuiſſent contra Graecorum errorem de proceſſione Spiritus Sancti, quod nemo Latinus ante Gregorii IX. tempora praeſtitit. Illud Symbolum inter Opera Athanaſii in antiquiſſimis probatiſſimiſque Codicibus MSS. deſideratur. In hoc Symbolo haereſes poſt Athanaſium ortae, ut Neſtoriana, & Eutichiana, ita diſerte expreſſeque refutantur, ut ad illas non potuerit non intendiſſe auctor illius Symboli. Sanctus Athanaſius in Epiſtola ad Antiochenſes teſtatur ſe ſemper alieniſſimum fuiſſe a condenda nova profeſſione, ſeu formula fidei, & contendit Symbolum Nicaenum eſſe abſolutiſſimum, & pro illis temporibus ſufficiens. Et vero id inter alia ab eodem Athanaſio, & aliis

Digitized by Google

xime ſi adderes qua primum lingua editum illud, & ab Athanaſio conſcriptum putes. Multis enim rationibus, quas ne plus aequo ſeria Reverentiae tuae ſtudia, & occupationes interpellem, ſileo, eam in ſententiam fere praecipito, ut latina exiſtimem. Neque enim ejus ignarum, aut plane inſolentem fuiſſe D. Athanaſium cum animum paulo diligentius adverto, ſuſpicari poſſum. Fallor fortaſſe. Sed ideo, ne fallar, quid ex vetere memoria de hoc promptum habeas, interrogare audeo. Auderem & alia plura ſumma illa tua humanitate, & modeſtia fretus, quam in tuis hactenus editis monumentis expreſſiſſimam notaſſe mihi videor, niſi, quam jam jam indicavi ratio, mihi manum, uti ajunt, de tabula removeret. Neque tamen adhuc omnino tacebo. Indicabo unum, vel alterum, quem alicubi conſpexi, non quidem aprum, aut cervum, ſed lepuſculum fortaſſis, aut cuniculum. Memini legere me, fore ut in Patrum vitas aliquid commenteris; opus equidem utiliſſimum, & expectatiſſimum. Ad iſtud utilis eſt, quem ſaepè nominas, Sophronius, ſeu ejus pratum; quod & ſi Lipomanus inſigniter perpolitum nobis dedit, ſi plura tamen graeca ejus exemplaria conferrentur operi, uti opinor, precium foret. Eſt verò exemplar unum hac in Germania, Conſtantinopoli, non ita pridem allatum. Cui Pandectes quidam adjunctus, liber variis graecorum moribus inſtitutiſque ſacris refertus, cujus auctor Antiochus Monachus Laurae Abbatis Sabae ad Euſtathium Abbatem manſionis Atalinae manu priſca ſatis uterque, ſcriptus eſt, & illi quidem inſcriptio λόγοι καί βίοι διαφόρων γεροντων, καὶ ἁγίων πατέρων. Eſt in hac etiam Germania pervetus Martyrologii codex Graecus foliorum 137. quem Joan-

& aliis Fidei Catholicae defenſoribus exprobatum fuit Arianis aa Semi-Arianis, quod novas ederent fidei formulas praeter Nicaenam. Teſtimonia, auctoritatesque oppoſitas eludunt, praedictas Synodos, & Auctores deceptos fuiſſe falſa inſcriptione nominis Athanaſii, quam habebat illud Symbolum in Codicibus, in quos inciderant; nec unquam ſuſcepiſſe examinandum, an Symbolum illud revera Athanaſii eſſet. Qui ſic ſentiunt, inter ſe diſſident de vero Auctore hujus Symboli. Multi exiſtimant illud a Vigilio quodam Tapſenſi in Africa Epiſcopo, qui ſub finem quinti Saeculi floruit, editum fuiſſe ſub nomine Athanaſii, eo quod ſummam Athanaſianae Fidei vera contineret, & ne quiſquam Africanorum Epiſcoporum de condito hoc Symbolo in ſuſpicionem apud Arianos veniret, ac propterea, ſaeviente tunc Vandalorum perſecutione in certum vitae diſcrimen adduceretur. Idem ipſe Vigilius dialogum quemdam adverſus Arianos alioſque haereticos ſub nomine Athanaſii compoſuit, ut teſtatur ipſe Vigilius in ſua praefatione cujuſdam dialogi, quem conſcripſerat. Vide Tillemontium, Fleury, Natalem Alexandrum, adnotationes Monach. S. Mauri in Opera Sancti Athanaſii tom. 3. pag. 719. Pariſiis 1698. Teſtatur Ughellus Tom. 4. Italiae Sacrae, Gaudentium Brixienſem, qui quarto Saeculo vixit, commentationes addidiſſe in Symbolum Athanaſii, quas extare ait in veteri PP. Bibliotheca. Verum illae Commentationes nuſquam comparuerunt, nec à quopiam Scriptore animadverſae ſunt.

nes de Raguſio Cardinalis Tituli S. Sixti Baſileae, eum Synodo inibi habitae olim intereſſet, reliquit. Cum tamen Bibliothecas tot excuſſeris, venit mihi, in mentem dubitare, an ejus ſimilem aliquo in pluteo inveneris, ponam exempli cauſa unam de Sancta Catharina hiſtoriolam; è qua ipſe optimè ſtatueris, num hic aliquis in manus tuas liber venerit: Αὕτη (ἡ ἁγία μάρτυς Κατερίνη) ὑπῆρχεν ἐξ Ἀλεξανδρίας τῆς πόλεως. βασιλίσκου τινὸς θυγάτηρ τοὔνομα Κώστου. Μέγεθός τε ἅμα καὶ κάλλος ἔχουσα σώματος εἰς ἄκρον ἐκπαιδευθεῖσα πᾶσαν ἑλληνικὴν, καὶ ῥωμαϊκὴν παιδείαν. καὶ τοῖς κατὰ ἰατρικὴν φιλοπονήσασα συγγράμμασι. καὶ φωνὰς ἑτερογλώσσους πολλῶν ἐθνῶν ἐκμαθοῦσα. διὰ δὲ τὴν εἰς Χριστὸν ὁμολογίαν ἐπὶ τοῦ βασιλέως Μαξεντίου πολλῶν βασάνων πεῖραν λαβοῦσα τὴν κεφαλὴν ἀποτέμνεται, καὶ τοῦ μαρτυρίου στέφανον δέχεται. Hi ergo libri, ſi Reverentiae tuae ejuſmodi videantur, qui ad coeptas lucubrationes opis aliquid, & momenti afferre queant, viam, & modum, quo haberi facillimè poſſint aperiam. Sunt illi quidem in Wirtembergicorum haereticorum manibus, & timendum ne illos aliquis, more ſuo turpiter perverſos, ac depravatos edant. Sed & Rever. Veſter Herbipolenſis Dominus Julius Ectherus magna propter vicinitatem, & Imperii foedera neceſſitudine conjunctus Duci Virtembergico, ab eo ſi vel utendos, vel exſcribendos petierit, nullo eos negotio impetrabit. Rurſum vero eſt idem Reverendiſſimus Catholicae Religionis ſtudioſiſſimus, omniumque litterarum, praeſertim vero antiquarum amantiſſimus. Si ergo; vel tantillum litterarum ad eum dare volueris, gaudebit optimus Princeps occaſionem ſibi dari optimos libros ex ergaſtulis in libertatem vindicandi; & tibi, cujus in hoc ſcriptionum genere, induſtriam valdè admiratur, gratificandi. Mitto ego interea Reverendae Tuae Dominationi libellum unum variarum in plurimas Sanctorum res geſtas notationum, quas vir doctus, & bonus, verus in medio nationis pravae Job, aut ſi mavis (cùm tot jam annos peregrinis Chriſti ſervis ſumma hoſpitalitate domus ejus pateat) Abraham, D. Joannes Latomus Francofurti Decanus Breviario Moguntino jampridem attexuit, ut ſi forte in iis de aliquo Noſtrate martyre, aut Sancto alio eſſet, quod uſui eſſe queat, eo non careres. Adjunxi & ſchedas duas, in quibus, multo antequam ingenii tui nobis lux effulſiſſet, Te, tuumque hoc ſcribendi ſtudium vehementer noſtra in Germania optatum, & expectatum, liquidò perſpicias. Miſiſſem, & opuſculum, cui illae praefixae erant, ſi quod Romam videret, dignum judicaſſem. Deum Optimum Maximum, Reveren-

verende admodum Domine, precor, ut admirabilem iſtam, qua tot tamque retruſa haeroicorum Eccleſiae temporum monunumenta cingere aggreſſus es, indaginem felicisſimè, fauſtisſimeque fortunet. Eaſque corporis, animique vires, quibus ad opus tantum opus eſt, benignisſimè, uti hactenus, largiri dignetur. Vale, & quae ab animo ſincero profecta eſt, meam hanc vel audaciam, vel importunitatem meliorem in partem, quaeſo accipe. Herbipoli 4. Kal. Octobris 1589.

EPISTOLA XVI.

CAESARI BARONIO

HIERONYMUS BLANCAS CAESARAUGUSTANUS (a).

Gratias agit, quod ei ad amicitiam aditum aperuerit, & Annales Eccleſiaſticos mirifice laudat.

QUamgratum mihi fuerit, atque etiam nunc ſit, & quam magni faciam, quod nuper doctor Chriſtophorus Blancas conſanguineus meus, qui iſthuc commoratur ad me ſcripſit, & per quam honorifice de noſtris Aragonenſium rerum commentariis, & loqui, & ſentire, non eſt doctiſſime Baroni, cur paucis coner, quod pluribus verbis vix poſſem explicare. Equidem ut a ſapientibus, & bonis diligerer, optavi ſemper: eo quia hoc uno eram ipſe jam contentus ſatis: & vero etiam ut laudarer, ſi fortaſſe optare aliquando potui; ſperare tamen, cum ipſe me noſsem, nec potui nec debui. Id pridem ſummopere concupivi, ut ea eſſent in me, quae habent ii, qui laudabiles ducuntur, ornamenta: Si ergo ſolent eſſe, quae minus expectantur gratiora, interdumque ma-

(a) Hieronymus Blancas Caeſarauguſtanus Valentinae ſub Petro Joanne Nunneſio humanas litteras aliaſque ſcientias, praecipue hiſtoriam ſacram atque prophanam comparatus eſt, vir omnigenae Doctrinae & in pervolutantis veterum rerum monumentis, in explicandis, exornandis, atque in communem utilitatem publicandis animi ſenſibus naturae vi ac facultate, ad eruditiſſimas ſive aliorum ſive proprias lucubrationes vulgo communicandas fuit eximius. Scripſit Aragonenſium rerum Commentarios, in quibus memoratis rebus a Zurita jam deſcriptis, in Juſtitiae Aragonum Magiſtratu, eorumque qui poſt receptam a Mauris Caeſarauguſtam ei praefuerunt, hiſtoria illuſtranda praecipuam operam voluit auctor impendere. Prodierunt Caeſarauguſtae 1588. deinde in Syſtematis Hiſpaniae illuſtratae vol. III. A Ven. Baronio tom. xi. Annal. ad annum 1074., & tom. xii. ad Annum 1118. commendatur nomine Hiſtorici accuratiſſimi. Alia ejus opera idiomate hiſpanico exarata recenſentur a Nicolao Hiſpal. in tom. 1. Biblioth. hiſp. pag. 436.

magis ob eam ipſam cauſam ſuſcipienda; quid mihi accidere potuit, unquam tam gratum, aut quid pluris facere debuiſſem, quam me in nullo Scriptorum numero habendus, qui ſim, a te tanto viro laudari, qui in omni genere doctrinae ita excellis, jure ut venias cum praeſtantiſſimis illis veteribus hiſtoricis comparandus? Quamobrem gratias tibi habeo, & ago quam maximas poſſum, & quod graviſſimo hoc judicii tui teſtimonio me ornari, & quod praeclaro iſto, ac humaniſſimo officio tuo aditum, quem optabam ad amicitiam tecum ineundam aperueris. Hoc mihi tamen, jam pro noſtra hac neceſsitudine nova concede, ne cui forte videar velle me modo iſta tua tanta humanitate ad ullam quantumvis leviſsimam ambitionem abuti; ut quas tu in me peramice ſatis confers, laudes in te transferam, atque etiam majores, cum ita elegantia linguae, gravitate dicendi, ingenio, judicio, aliiſque omnibus naturae dotibus, ac bonis abundes, ut ſi a quo ullo unquam maximum hoc ſcribendorum Annalium Eccleſiaſticorum munus ſperandum erat, perfici, & abſolvi potuiſſe, a te ſolo uno intelligamus, idque jam pene rem ipſam experti in prima eorum parte, quam edidiſti nuperrime noverimus. Ego quia plane nihil ſum, de iſtis laudibus tantum aſſumam, auctoritatis tuae pondere motus, ne tibi aſſentationis inſeram crimen, ut paulo altius me efferens paſsus ſim aliquo, tametſi tenuiſsimo, quod negare non poſsum cujuſdam gloriolae flatu permulceri; nam ſive ſerio loquutus fueris, ſive etiam jocoſe, ſatis eſt mihi, quod in tam lubricum, ac perdifficile, in quo verſatus ſum, argumentum, videri poſsim non inanes, aut perditos omnino, quos paravi conatus effudiſse. Nunc quando me dignum tua amicitia duxiſti, patere quaeſo, me a te quod te viro officioſiſſimo eſt dignum deprecari; nempe Chriſtophori ipſius, quem unice diligo commoditati, ſic faveas, ut cum eum per te eſſe amplificandum, & ornandum propoſueris, quod ut facias, & oro, & obteſtor, nequaquam graveris ad eam rem, ſi occaſio tulerit, ampliſſimi Cardinalis Carafae, tui, ut intelligo Maecenatis, peropportunam illi gratiam conciliare: De te enim non minus prolixe mihi polliceor, ut poſſis, quod velis quam de me ut id omne tua cauſa facere velim, quod poſſim, ſum tibi paratiſſimus polliceri, ſic ut in muneribus amicitiae explendis, re quidem ipſa tibi ſtudio autem, & voluntate non cedam. Cura, ut valeas, & quamprimum poteris mihi, ut reſcribas. Ceſarauguſtae A. D. xi. Kal. Decembris Anno Domini MDLXXXIX.

EPI-

EPISTOLA XVII.

HIERONYMO BLANCAS CAESARAUGUSTANO

CAESAR BARONIUS.

Amicitiae ſuae aditum probis omnibus patere ſignificat, & illius ſcripta laudat.

DAtas abs te litteras XI. kal. Decembris ſero nimis Idibus Maiis accepi, quibus mearum laudum plane pancarpum contexuiſti, ſed ſic, Apis inſtar flores illius attigi, ut quae intus latebat, caritatis tuae dulcedine deguſtata, eos Deo O.M. cui honoris, & gloriae flores debentur, offerendos eſſe putarem. Quod ad amicitiam noſtram aditum ſollicite quaeris: patere illam probis cunctis, certo ſcias, quibus nunquam janua pulſanda fuit, nec pro foribus excubandum: Illis vero, quibus cum honeſtis moribus eſt quoque conjuncta doctrina, in via adhuc poſitis occurrere conſuevi, eoſdemque amice complecti, & exoſculari: quod obſequium caeteris impendi ſolitum, ut tibi in primis exhibeam, cogunt me multiplicium virtutum tuarum προτίμωντες & egregiarum ſcientiarum tuarum aſſeclae, quibus comitatus, factus es Chriſtiano Orbi conſpicuus: legi namque diſertiſsimas lucubrationes tuas tanto Viro digniſsimas. D. Chriſtophoro tuo conſanguineo, quem commendas, licet meae facultates ſint pertenues, non deero tamen omni officio praeſto eſſe. Vale, meque tui memorem apud Deum precibus adjuva. Romae.

EPISTOLA XVIII.

CAESARI BARONIO

MARCUS FUGGERUS (a).

Facultatem expoſcit edendi primum Annalium Tomum a ſe in germanicam linguam translatum.

LAborem meum in vertendo primo tomo tuorum Annalium in linguam paternam tibi probari, perlibenter ex tua accepi

(a) Fuit hic nobilis Baro in Kirchberg & Weiſſenhorn, nec non Rodulphi Caeſaris Auguſti

pi Epiſtola XV. Kal. Decembris ad me data, quem ſane laborem inter multas occupationes, quibus quotidie premor, non laudis, aut ambitionis ergo, quarum nunquam fui cupidus, in me ſuſcepi, ſed propter communem Reipublicae Chriſtianae utilitatem. Expertus enim ſum multa in Eccleſia noſtra Catholica Romana a multis improbari, quorum fundamenta, & prima principia ſi haberent cognita, proculdubio aequiores ſe nobis judices exhiberent. Cum ergo in primum Tomum tuorum Annalium incidiſſem, ſtatim intellexi me id inventurum, quod tantopere deſiderabam, nempe veram, & ſolidam narrationem rerum Eccleſiaſticarum, ex qua prima principia, & incrementa multis poſſent innoteſcere. Nam licet multi hiſtorias ſcripſerint Eccleſiaſticas, animadverti tamen multos erroribus implicatos minus dextere; aliquos autem negligentiores in Chronographia minus vere; aliquos vero ita obſcure ſcripſiſſe, ut quid velint a paucis intelligatur. In tuis autem Annalibus nihil horum invenitur: omnia ſunt dextere, & maxima obſervatione temporum vere, & dilucide ſcripta, ut nihil amplius in illis deſiderari poſſit. Quare ita ſum permotus, & in eam ſpem erectus, quod dubitare non auſi, me magnam utilitatem, multis, qui praeter patriam linguam nullam callent allaturum ad antiquitatem Eccleſiaſticam cognoſcendam. Aggreſſus igitur ſum animo magno primum Tomum interpretari, in eoque hactenus laboravi ſedulo. Sed hic labor plane erit irritus, ſi tu manum tuam non porrexeris. Nam ex praefixa Epiſtola Summi Pontificis in editionem primi Tomi, ſatis intellexi nemini licere tuos Annalium Tomos alieno idiomate in lucem emittere abſque tuo permiſſu. Peto igitur ut pro tua humanitate ſtudium, ac benevolentiam tuam mihi hac in parte deferas, concedaſque ut Germania noſtra virtutibus, ac laboribus tuis per me fruatur, & gaudeat. Ego Deum Optimum Maximum precabor, ut tibi & aetatem, & gratiam largiatur, quo omnes Tomos, ſicut incoepiſti, perficias. Magnum enim Reſpublica Chriſtiana acciperet detrimentum, ſi tantum opus permaneret imperfectum. Meae vero imbecillitati opem ferat, ut unum, aut alterum Tomum (ſi anni plures non permiſerint) cum utilitate multorum perficiam. Bene vale. Auguſte 16. die Decembris 1589.

EPI-

guſti a conſiliis. Praeter hunc primum Annalium Tomum, Nicephori etiam Eccleſiaſticam hiſtoriam, aliaque opera ex Latino in Germanicum idioma tranſtulit, & aliquos etiam de re equeſtri libros ſcripſit. Haec autem Fuggeri ad Baronium Epiſtola, cum ſequenti Baronii reſponſione, praefixa reperitur Tomo ſecundo Annalium.

EPISTOLA XIX.

MARCO FUGGERO

CAESAR BARONIUS.

Ejus conſilium Primum Annalium Tomum in Germanicam linguam vertendi laudat, ejusdemque verſionis edendae facultatem tradit.

SUmmo, vir clariſsime, fuerat mihi pretio redimendum, ut amplitudo tua dignaretur accipere, quod amantiſsimis litteris a me ſibi poſtulat impertiri. Quid enim gratius atque jucundius, quidve honorificentius accidere potuiſſet, quam ut noſtri Annales Eccleſiaſtici in Germanicam linguam germane atque fideliter verterentur, a tali tantoque potiſsimum viro, cujus pura atque ſincera omnibusque ſpectata religio eſſet (nam tuo vigilantiſsimo ſtudio & conſpicuo vitae exemplo Catholici in officio continentur, & in haereſes lapſi ad Eccleſiam revocantur) cujus quoque munificentia eruditi quique proficiunt, & bonae litterae penes Catholicos in Germania coaleſcunt, quorum lucubrationibus ab eisdem tibi dicatis Bibliotheca illa tua aemula Philadelphia illuſtratur. Talia igitur de Annalibus a me editis, & edendis a te praeſtari, ne mente quidem concipere mihi fas eſſe videbatur, ne dum ſperare: ut plane intelligam id te divino aggreſſum eſſe conſilio. Quis enim ducat in animum, hominem curis innumeris preſſum, laboribus aſſiduis fatigatum, ac ſenio inſuper praegravatum, adeo laborioſam provinciam ſuſcepiſſe: niſi divinus Spiritus ſuaſiſſet, imperaſſet, ac vehementiori quoque impetu compuliſſet? Etenim vel legiſſe tantum Annalium tomos, haud mediocris laboris videri poterat eſſe negotium: eos vero ſaepius attente perlegere, accuratius atque ſolertius perſcrutari, & in aliud inſuper idioma transferre; neque tantum ſententias ex ſententiis, ſed dum licet, verba etiam verbis reddere: opus quidem ejusdem eſſe Spiritus, cujus quoque muneris eſt interpretari ſermones, omnes intelligent. Studueram (probe noſti) ſuſceptum laborem aliqua ſaltem ex parte minuere, cum ſuperioribus meis datis ad te litteris ſuaderem, ut praetermiſſis quibusdam prolixioribus quaeſtionibus, licet ad hiſtoricam facultatem ac veritatem maxime pertinenti-

bus

bus, aliiſque nonnullis quae rudis lector eſſet haud facile percepturus, ex eis Epitomen potius Germanica lingua conficeres: ſed redditis ad me litteris, id facere renuiſti, ac plane exhorruiſti; perinde quaſi religio eſſet ex illis vel apicem unum excidere; ſic in omnibus fidelis, & accurati munere perfuncturus interpretis. Quo quidem officio illuſtratum olim Marci nomen in eo qui Evangeliſta & Petri pariter praedicatur Interpres, ut in te quoque feliciter propagetur, ſancte pieque aemulatus eſſe videris. Dum enim res a Petro, Petrique ſucceſſoribus, ejuſdemque Petri nomine in Eccleſia Catholica geſtas potiſſimum interpretaris: quodammodo & tu Petro acceſſiſſe putaris interpres. Sed & de te illud Pauli de Marco ad Thimotheum uſurpare liceat: *Aſſume Marcum & adduc tecum: eſt mihi utilis in miniſterio*. Haec Paulus cum eſſet Romae (ut ait) ſolus cum Luca Apoſtolorum Acta ſcribente; non ſatis ſibi eſſe Lucam exiſtimans ſine Marco, ſed tunc bene conſultum, ſi Marcum ſibi Lucaeque conjungat. Opportune ſane Lucae in ſacra hiſtoria laboranti Marcus inhaeſit, eidem profuturus ac Paulo. Perutilis plane Apoſtolo in Miniſterio Marcus noſter, qui ejus exemplo ingemiſcens ac deplorans aſſidue cladem ſuorum gentilium, aeſtuanſque pro illorum ſalute immenſo caritatis ardore, omnia perveſtigat; ſeduloque ſemper ſtudio collaborans, nihil prorſus omni ex parte intentatum relinquit, ut immaniſſimae ex haereſi inflictae cladi proſpicere valeat, atque mederi. Deſideriorum ſane vir, qui Danielis inſtar, inter captivos liber, & in obſcuriſſimis tenebris fulgore Catholicae religionis elucens, populi tui acerbiſſime perferens captivitatem, in priſtinam eum libertatem vindicare deſideras, & in antiquum patrium ſolum, in Catholicam inquam Eccleſiam poſtliminio reſtituere. Annuat, votis Deus, ut merearis inſtar Abrahae, Pater dici recte credentium, & occinat tibi propheticum illud: *Quieſcat vox tua a ploratu, & oculi tui a lacrymis: quia eſt merces operi tuo, & ſpes noviſſimis tuis; revertentur filii ad terminos ſuos*. Has demum, optime Marce, quas expoſcis a me, accipe literas, conceſſionis teſtes, amoris pignus, & mei erga te ſtudii indices, quae in ſecundo hoc Annalium tomo excuſae, veluti publico in archivo repoſita, perſpicuae omnibus tibique integrae conſerventur. Vale: tibique ſtrenue laboranti pro fide Catholica, & pro Germanis tuis egregiam operam navanti praeſto ſit Deus, cujus potentia ad ſubeundos labores renovetur, ſicut aquila juventus tua.

EPI.

Digitized by Google

EPISTOLA XX.

FRANCISCO PANICAROLAE EPISCOPO ASTENSI ET COMITI (*a*).

CAESAR BARONIUS

Laudat tranſlationem ab eo ſuſceptam ſuorum Annalium in linguam Italicam.

SIcut perpetuo obruenda eſſe ſilentio impie dicta, nec in aures populi notiori ſermone ſinendas illabi blaſphemias, exemplo admonemur divinae Scripturae dum prudentiſſimi Haebreorum cohibere conati ſunt blaſphemos Syros, ne lingua loquerentur Haebraica; ita e contra praeconia veritatis omnium nationum debere ſermone proferri, divinus Spiritus impartiendo Fidelibus diverſarum dona linguarum, reddidit manifeſtum. Haec tu ipſe conſiderans, ampliſſime Praeſul, Chriſtianae eloquentiae decus, cum Romae populum pro concione doceres, non ſatis tibi viſum coram frequentiſſimo coetu ſummis laudibus noſtros Annales efferre, ſed & quo eos in omnium animos penitus inſinuares, ut ex illis omnes aeque proficerent, in Italicum idioma reddendi eos conſilium iniſti, explorataque noſtra voluntate, & facultate conceſſa, mox inſtar Prophetae linguam in calamum ſcribae velociter ſcribentis convertens primum Annalium tomum compendioſa

 trans-

(*a*) Qua adductus ratione Franciſcus Panicarola Aſtenſis Epiſcopus ex Ordine Min. ad Eccleſiaſticos Baronii Annales in Italicam Linguam transferendos, atque in Epitomen ſimul redigendos, animum adjecerit; declarat ipſemet in Epiſt. ad Lectorem eidem verſioni compendioq. praefixam hiſce verbis. „ Sicchè (inquit) quando uſcì il primo To„ mo degli Annali, & accompagnato dalle „ laudi di tutti gl' intendenti pervenne alle „ mie mani: ch' io deliberaſſi ſubito per mia „ utilità di fargli così alla groſſa qualche fatica „ intorno, queſto, come ſentite, non fù, ſe non „ commune penſiero di coſa, che ſoglio fare in „ tutti gli altri Libri, & un compiacere ſemplicemente all' inclinazione, ſe non forſe „ meglio, un ſervire alla neceſſità dell' inge„ gno. Ma, che letto, ch' io n'ebbi poche car„ te, mutaſſi ſubito opinione, & invece del „ rozzo lavoro, che aveva deſignato, mi ri„ ſolveſſi à doverne formare il più accurato, „ & più eſquiſito Compendio, che ſapeſſi; „ queſta ſingolarità di penſiero confeſſo, che „ nacque dalla ſingolarità del Libro. Perchè „ in vero a me parve di non aver mai veduta „ la più ricca coſa: Mi parve di vedere un'O„ ceano di coſe belle, mi parve di leggere „ non un libro ſolo, ma quattro libri interi, „ & tutti claſſici, cioè una compita Iſtoria „ Eccleſiaſtica, un dottiſſimo Commento del „ Teſtamento Nuovo, una valoroſa contro„ verſia contro gli Eretici moderni, et una „ minutiſſima raccolta di tutti i riti Antichi: „ & in ſomma tale lo giudicai, che eccellen„ temente foſſe per doverſi domandare ſpeſo „ ogni tempo, che vi s'impiegaſſe attorno: „ et che però nel formare un Compendio do„ veſſi io porvi, come io feci, ogni fatica, „ & ogni diligenzia. „ &c.

tranſlatione linguae maternae dicto citius, reddidiſti, caeteriſque idipſum in aliis linguis praeſtandi, viam aperuiſti. Verum urgens neceſſitas a coeptis te invitum avulſit; ipſa, in quam, juſſio Pontificia, quae legato a latere lateri te conſultorem adjunxit. Sed accidit plane feliciter, ut tunc areſcentes Galliae ſiccitate irriguo Verbo Dei e tuo pectore copioſe manante, vireſcere coeperint atque floreſcere. Cùm & primaria ipſa Pariſiorum Civitas, infracti roboris catholicae Fidei, & Chriſtianae conſtantiae dignum exemplum, longiori obſidione vallata, aerumnoſaque fame confecta, te concionante, ſaepe experimento didicit, quod auditu ex divinis Scripturis acceperat; *Non in ſolo pane vivere hominem, ſed omni verbo, quod procedit de ore Dei:* expertaque pariter eſt, *Fidelium arma non eſſe carnalia, ſed potentia Dei, ad deſtructionem munitionum*; dum tu ibidem ampliſſimum patefeceris horreum Verbi Dei, & divinae Scripturae armamentarium reſeraveris, quorum altero paſceres eſurientes, altero vero armares ad pugnam. Sed tandem licet ſero, intelligens impius ille Benad fruſtra oppugnari civitatem, quae Eliſaeum ſecum haberet, ſpe vane concepta eluſus, ſolvit obſidionem. Cum jam feliciter confecto negotio, redeuntem te auctum coronis hilaris tua recipit Eccleſia, detinuitque tui cupida arctius, adeout nec ſinuerit vel oculos ad externa convertere; vixque demum te obtinuiſſe, tuis litteris ſignificaſti, ut coeptas in Annalibus lucubrationes proſequereris. Quo magnopere gaviſus ſum nuncio, Deoque immenſas gratias egi, qui dedit hanc ſolicitudinem in corde Titi. Perge igitur, opuſque inchoatum abſolve, quod omnes exoptant, expetunt, atque expectant. Hac enim ſibi via probe conſultum exiſtimant, ut quem longe abſentem audire concionantem non liceat, dum ſcripta legunt, cumulatius idipſum ſe aſſequutos intelligant; quod in audiendo non horae unius brevi ſpatio coarctentur, nec baſilicae, licet amplisſimae, anguſtiis ex confluentium auditorum compresſione urgeantur, ſed qualibet hora & loco, die noctuque, quoties libuerit, pro pulpito librum, & pro concione habeant lectionem. Sicque fiat, ut licet munere paſtorali Cathedrae inſideas ſemper Aſtenſi, aſtes tamen ubique omnibus jugiter profuturus. Vale dignisſime Praeſul tui Baronii memor, quem ſanctis tuis ad Deum precibus jugiter fove.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA XXI.

SIXTO V. PONT. MAX.

CAESAR BARONIUS FELICITATEM.

Secundum Annalium Tomum ejus nomini inſcribit.

ANtiquiſſimae, ac nobiliſſimae Gentes tanti momenti eſſe intellexerunt, Beatiſſime Pater, majorum res geſtas perpetuae memoriae commendare, ut ad hujuſmodi opus veluti ſacroſanctum, non omnes paſſim quantumlibet eruditos ac probos, ſed praeſtantiores dumtaxat, & ſacros viros admiſerint. Etenim apud Aegyptios atque Chaldaeos (ut Joſephus auctor eſt) ex longiſſimis olim temporibus ejuſmodi circa conſcriptiones rerum geſtarum diligentia fuit, ut id muneris Sacerdotibus tantum injunxerint. Id quoque non minori, verum etiam potiori induſtria ab antiquioribus Judaeis idem tradit eſſe curatum, apud quos eamdem conſcribendae hiſtoriae functionem Pontifices ſolummodo atque Prophetae explere ſolebant: ſed & Romani ab ipſo urbis exordio id ipſum accuratiſſime praeſtiterunt: nam ſcribendorum Annalium facultatem penes ſe Pontifices retinebant: ut plane appareat, nonniſi impellente numine tot gentes adeo inter ſe diverſas, locorumque intervallo diſtantes perinde ac populum unum, uni ſubditum Domino, eidem veluti praeſcriptae ſibi divinitus legi obtemperantem, in unam eamdemque ea de re ſententiam conveniſſe. Quod igitur a tot Gentibus ſolertiſsima fuerat procuratum induſtria, in Eccleſia Chriſti nequaquam fuit oſcitanter a majoribus praetermiſſum atque neglectum: nam ab ipſis propemodum Eccleſiae Romanae cunabulis, ſummus Chriſtianae religionis Antiſtes Sanctus Clemens, ſeptem elegit Notarios, qui in idem opus ſtrenue ac diligenter incumberent: quibus poſtea totidem additi ſunt ſubdiaconi cognitores. Quae omnia diligentiſſime ſcripta atque recognita, a Romano Pontifice, ſingula pariter exactiſsime diſquirente, in publicis Eccleſiae Tabulariis condebantur. Sed haec ipſa tam accurato ſtudio comparata, fide publica obſignata, ſummaque diligentia cuſtodita, proh dolor! in ſaeviſsimo atque vaſtiſsimo illo Chriſtiani Orbis incendio, Diocletiani Imperatoris edicto ubique promulgato, ſumma jactura, maximoque totius Eccleſiae detrimento,

to, impie nimis abſque delectu una cum ſacris Divinae Scripturae libris concremata fuere; adeo ut vix pauca quaedam, veluti tenues ex buſto reliquiae ſuperfuerint. Ad haec igitur colligenda, aliaque ruinis aliis immenſa pene aggerum mole obruta, & alta oblivione ſepulta, e ruderibus in lucem denuo vendicanda, omnis ſemper noſtra ſolertia (longa jam in opus aetate contrita) ſummo ſtudio atque induſtria laboravit: Haec, inquam, Sanctitas tua, ſatis tibi cognita atque probata, Vaticanis quoque excudenda fore praelis appoſito ſacro chirographo ſua auctoritate mandavit. Editus itaque jam primus Annalium Tomus, tua benedictione inſigniter roboratus, ſummaque tua gratia praeclare admodum illuſtratus, atque litteris Apoſtolicis egregie communitus mirifico eruditorum applauſu ubique ſuſceptus eſt, quod adgratulantes non pauci ſuis humaniſsime datis ad me ſaepe litteris ſignificarunt. Sed ecce quem tua pariter benedictione feliciter auſpicati ſumus ſecundum Annalium Tomum, idem divina gratia abſolutus Beatitudini tuae itidem ſe offert benedicendus ut ſic (quod in Divinis Benedictionibus eſt) ſit benedictus egrediens, & ingrediens, domique ac foris benedictionibus repleatur. Novi plane, ſanctiſsime Pater, (liceat quod verum eſt, libere profiteri) novi, inquam, quanta vis Apoſtolicis benedictionibus inſit, quippe quibus mox Divinus favor adſpiret, earumdemque virtute (quod in me ſum expertus) quae arida terra eſt, aquis exundet, & quae ſterilis, frugum ubertate laetetur; adeout ex Divinae illius quoque Benedictionis praeſcripto apprehendat tritura vindemiam, & vindemia occupet ſumma ubertate ſementem. Nam nec dum quidem abſoluto primo Annalium Tomo, in editione ſecundi fuit laborandum, eodemque nec penitus conſummato, tertius Tomus importune ſe manibus ingerit exſcribendus, elimandus pariter & excudendus. Quare cum nullus prorſus a laboribus ſibi invicem ſuccedentibus, imo & ſeſe arctantibus ac comprimentibus detur reſpirandi locus, excuſatione veniaque dignum me exiſtimet Sanctitas tua, ſi, quod pridem pollicitus eram, ſingulis annis ſingulos Tomos edere praeſcriptum terminum excedere videar. Non enim temporis aeque ac ſumptuum, quos ad perficiendum opus, ſatis eſſe ſciebam ratio recte ſubduci potuit; ſiquidem quod compertum ſatis habui, res maximi ponderis haud poſſunt curriculi velocitate moveri, vel trochleae unius volubilitate ſubſtolli, ſed (quod vidimus in Obeliſcis tuo juſſu nuper erectis) permul-
tis

Digitized by Google

tis opus eſt machinis, ut vel lento moveri gradu ac ſenſim erigi ſuperque baſes valeant recta linea collocari. Dabo tamen operam ut pollicitum tempus haud longius praetergrediar, nam nec ſi vellem differre liceret, viris eruditis litterarum me ſuarum ſtimulis undique impellentibus, ſed & ipſa aetas ad ſenium vergens, opus maturare, magnopere perſuadet. Succumberent plane oneri graviſsimo vires impares, ſed videlicet tantam fiduciam de Apoſtolica benedictione concipio, quam licet indignus, ſubmiſſo tamen animo vehementer expoſco. Qua copioſe a tua Benedictione impertita, idem qui coepit in nobis opus bonum ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitque. Vale Beatiſsime Pater, Deus autem pacis conterat Satanam velociter ſub pedibus tuis. A.D.MDXC.

EPISTOLA XXII.

FEDERICO BORROMAEO S. R. E. DIACONO CARDINALI AMPLISSIMO (*a*)

CAESAR BARONIUS.

Secundum Annalium Tomum eidem offert.

MAgno quidem & gravi damno tunc, Cardinalis Ampliſsime, affecta eſt Eccleſia Dei, cum Carolus Borromaeus Cardinalis S. Praxedis (cujus pia, dignaque memoria in benedictione eſt) non tam immatura ſibi, quam bonis omnibus acerba morte ex hoc exilio aerumnoſo ad caeleſtem patriam commigravit. In eo enim adeo divinae gratiae ſplendor eluxit, ut ipſum omnes alterum Ambroſium non immerito praedicarent. At qui ſublimium ſuarum virtutum ſumma potentia omnium animos ſibi devinxit, me ipſum arctioribus charitatis vinculis obligavit, ut eum omni genere obſervantiae, ſtudii, atque officii colere, celebrare, ac

(*a*) Fuit hic S. Caroli nepos, egregius illius virtutum imitator, a Sixto V. Pont. Max. ad Cardinalatus dignitatem evectus. Hic, dum Romae moraretur arctiſſimo familiaritatis vinculo ſibi devinctum habuit S. Philippum Nerium, nec non ex eadem Sancti ejuſd. Patris familia Juvenalem Ancinam, qui poſtea Salutiarum Epiſcopus moriens, magnam in opinione hominum ſanctitatis ſuae famam reliquit. Clemens deinde VIII. eumdem Cardinalem Borromaeum invitum ac repugnantem ad Mediolanenſis Eccleſiae Archiepiſcopatum evexit; ibique inſignem Bibliothecam erexit, Ambroſianam, ex D. Ambroſii nomine dictam. Deceſſit Mediolani aetatis ſuae anno ſexageſimo ſeptimo, poſtquam Eccleſiam illam annorum XXXVII. ſpatio gubernaſſet, ad X. Kal. Octobris anno MDCXXXI. Vide quae de eo habentur apud Ciacconii continuatores Tom. IV. col. 186. & ſeq., tum etiam apud Joſephum Ripamontium, qui ejus vitam fuſe deſcripſit, nec non apud Janum Nicium Erythraeum in Pinacotheca prima num. CXLVII. pag. 264.

ac frequentare ſtatuerim, deſtinaverimque has meas lucubrationes, licet tenues, ſi quando darentur in lucem eidem in primis offerre, magnum inde fulgorem conſecuturas, ſi illuſtratae ejus nominis gloria ederentur. Id praeterea ut facerem compellebat, & quaſi jure debitum exigebat immenſus ejus amor, quo me collegaſque fratres meos proſequebatur, reſque noſtras & auctoritate & patrocinio conſovebat. Eo autem ad aeterna praemia (ut pie credimus) evocato, ſane dolebam, quaſi abrupto filo ſpem mei deſiderii concidiſſe; ſed Dei providentia, qui graviora damna ſarcire, & dolorem bonorum non parum linire, atque demortui ſemen in fratre ſuperſtite excitare ſtatuit, te nobis dedit, & ipſum in te reddidit, ſic meam jacturam duplici emolumento compenſans, cum liceat haec noſtra ejus jam viventis in coelis clariori atque celebriori memoria inſignire, nec non tuo tanto nomine conſignare. Siquidem ratio videtur exigere, ut quae illi elaborata erant, tibi jure optimo perſolvantur, qui illius & ſi minus mortalium & caducorum bonorum, quae jampridem cum aeternis, aucto foenore, commutaverat, virtutum tamen relictus es locupletiſſimus haeres; id quidem moribus tuis, veluti teſtamenti vivis tabulis, aperte teſtantibus. Non aſſentor Deus, Deus ſcit: taceremque libentius, niſi haec tibi jam currenti urgentia fore calcaria judicarem, ſciremque Deo rem gratam facturum; nam prophetico oraculo declaratur, eos illi placere, qui timentes Dominum laudibus celebrant. Ex ſententia plane ei accidit, ut ſummo labore atque induſtria, divina adſpirante gratia, partas divitias ſpirituales in te transferret, atque foecundo germine feliciter propagaret. Id namque ſemper fuerat meditatus (quod & ſedulo curabat officio) ut te puerum inſtar puriſſimae cerae, ſuis compoſitum manibus formaret in virum omni ex parte perfectum. Sed dum ad abſolutum omnibus numeris virtutis exemplar te ſtuduit conformare, ſuam in te expreſſit imaginem: quam quidem cum ex iisdem lineamentis eamdem ferme omnes intelligant, gaudent ipſum in te conſpicere redivivum, & in tua adoleſcentia refloreſcere. Hanc attentius proxime ſpectans S. D. N. Sixtus V. Pont. Max., ut eamdem ipſiſſimam in omnibus redderet, qui tantum deeſſe videbantur, colores appoſuit; cum te exornans purpura, creavit S. R. E. Diaconum Cardinalem: id ſummis votis expetente populo Chriſtiano, idque divino ſpiritu (libere dixerim) imperante. Quam felix, quam fauſtum nomen Cardinalis Borromaei Fidelium auribus tunc reſtitutum inſonuit, cum

cum tu, qui ille ipſe moribus videbaris, dignitatis etiam gradu idem eſſes, ac nomine pariter dicereris! Quamobrem ad ſummam illam ſpem concipiendam omnium te intuentium animos erigis, ut, qui inſtar Eliſaei in Eliae pallio, ampliſſimae illius dignitatis, & inſignia conſequutus, duplicis quoque ejus ſpiritus haeres fias. Id ut feliciter aſſequaris, cum omnes exoptent, ego in primis ſummo expeto deſiderio: qui cum illum in te maxime veneror, te in ipſo plurimum diligo: dumque eum in te contemplor, te complector, & magnopere colo, cum ipſum recolo. Sic igitur oppignoratas illius ſummae virtutis meritis has meas lucubrationes jure tibi rependo, eaſque offero, quibus ſcio te plurimum delectari. Accubanti namque tibi menſae illi, quam oppipare divina Sapientia praeparavit, voratiſque jam avido pectore Theologicae diſciplinae Scholaſticis facultatibus, hauſtoque cratere, quem Hebraicis miſcuit tibi laticibus; adhuc avidius eſurienti eadem apparatu regio nova infert fercula ex eccifis tauris illis atque altilibus Evangelicis. Praeſtat enim haec praeſens tomus ſecundus Annalium, quo excitatae ab Imperatoribus Ethnicis immanes perſecutiones in Eccleſiam continentur, martyrumque caedes, imo victoriae atque triumphi glorioſiſsimi deſcribuntur: ſed & innumera haereticorum certamina, deque illorum ſuperata perfidia trophaea praeclara narrantur. Ex quibus etiam eadem Sapientia ſic ludens in orbe terrarum, cum leones ovibus ſuperat, & columbis ſerpentes exagitat, perjucunda tibi nobili dignoque convivae exhibet acroamata. His fruere & delectare. Vale, viveque feliciter, ſemper Catholicae Eccleſiae profuturus.

EPISTOLA XXIII.

CAESARI BARONIO

THEOPHILUS EPISCOPUS EBORENSIS.

Hortatur ad proſequendum Annalium opus, & in eo omnem ſuam operam, & auxilium pollicetur.

NOminis tui fama, quae per univerſas mundi partes ſumma cum gloria pervagatur pietaſque illa tua, qua in Catholicae Religionis utilitatem dies, noctesque incumbis, ſic me commovebant, ut nihil ardentius exoptarem, quam occaſionem aliquam

quam, qua quantum te diligerem, quantique eruditionem, ſapientiam, & reliquas animi tui virtutes facerem, apertiſſime demonſtrarem. Sed cum poſtea ex aliquibus intellexiſſem te Franciſco Mariae Taurulio (*a*) arctiſſime conjunctum eſſe, viro mihi amiciſſimo, cujuſque dulciſſimam ex animo meo memoriam nulla delebit oblivio, is ad eum amorem quo te antea proſequebar, cumulus acceſſit, ut me continere non potuerim, quin has ad te litteras darem, teque ad veterem meam cum Franciſco Maria amicitiam pro parte tua continuandam adhortarer, meamque tibi operam omnibus tuis in rebus promptiſſimam pollicerer. Praeterea cum mihi publica Religionis noſtrae cauſa, quam privata mea, majoris ſit, illud a te iterum, atque iterum contendo, ut eas Eccleſiaſticorum Annalium partes, quae nondum in lucem prodierunt, typis quamprimum mandes, reliquaſque omnes feliciſſime abſolvas. Is enim labor tuus eſt, unde clariſſima Eccleſiaſticis rebus lux oriatur, unde incredibile univerſae Encyclopediae incrementum accedat, unde denique Chriſtiani viri Eccleſiae ſuae principium, progreſſum, & augumentum elegantiſſime, & fidelisſime ſcriptum in promptu habeant. Ebora Madritium veni, ut de viſendis Apoſtolorum liminibus conſtitutioni ſatisfacerem. Hic me Romam cogitantem, Romanaeque Sedis obedientiam vitae ipſi anteferentem, tertiana febris intercepit, quam bon. me. Sixti V. quam deinde Urbani VII. tam dolenda, quam accelerata mors ſubſequuta eſt. Novam modo venturi Pontificis electionem expecto, qua ſoleo obedientia, ſeu petiturus Romam, ſeu rediturus Eboram, in utrumque paratiſſimus. Tu vero ſive te Romae videre contingat, quod mihi vel ob eam ſolum cauſam gratisſimum ſane erit, ſive Eboram me rurſus conferam, poteris me, meiſque omnibus, cum ut Marianae amicitiae ſocius, tum ut de

(*a*) Fuit hic nobilis Politianus, ex illuſtri Taurulioruni familia in Hetruria natus, Antonii Cardinalis a Monte Magni equitum Hieroſolymitanorum Magiſtri, & Julii III. Romani Pontificis pronepos, a S. Philippo Nerio in Congregationem Oratorii adſcitus. Hunc Clemens VIII. a ſecretis primum Congregationi Epiſcoporum elegit, deinde Avenionenſi Eccleſiae invitum ac recuſantem Apoſtolico juſſo praefecit, illumque non multo poſt 1597. in Cardinalium Collegium cooptavit, ac poſtea die xv. Menſis Septembris ad Senenſem Eccleſiam regendam translatus eſt. A Ven. Baronio ob eximiam ejus eloquentiam appellatur *dux verbi*. Obiit Romae in aede Vallicellana tertio Idus Junii anno MDCVIII. Qui plura de Card. Taurulio ſcire deſiderat, adeat ejus vitam a P. Jacobo Ricci Procur. Gen. Ord. Praed. conſcriptam ad calcem vitae S. Philippi Nerii. Lod. Denium d'Attichy in florib. Hiſt. Card. Tom. 3. pag. 578. Ferdinandum Ughellium in Italia Sacra. Andream Victorellium in additionib ad Ciacconium Tom. IV. col. 288. & ſeq. Joan. Bapt. Cancellottum in Vita S. Severini, Cardinalem Bentivolum in Mem. hiſt. Franc. Sacchinum in Hiſt. Soc. Jeſ. ac tandem Jo. Bapt. de Rubeis in Opuſc. S. Bonaventurae.

de Eccleſia Catholica ita meritus cum maxima mea voluptate confidentiſsime uti. Deus Optimus Maximus &c. Madriti 4. Idus Novembris MDXC.

EPISTOLA XXIV.

CAESARI BARONIO

THEOPHILUS EPISCOPUS EBORENSIS,

Narrat ſe ſummopere Annalium lectione delectari.

ET tuas, & Taurufii noſtri maxima voluptate accepi litteras; agnoſco enim in utriſque ſpiritum eumdem, eumdem animum pleniſſimum pietatis, & religionis. Agnoſco eum in me amorem, qui mihi omnibus rebus pretioſior eſt; quid enim debet eſſe pluris, quam optimorum benevolentia? In Annalibus tuis multa notavi; ſed digna ſcitu, digniſsima veneratione: nihil enim vel ipſa aemulatio in tam exquiſito opere invenerit corrigendum. Vix dici poteſt, quam docti homines illud approbent, quam Eccleſiae neceſſarium, quam utile eſſe dicant, quod denique ſit illorum de tua eruditione judicium. Ego & ad opus perficiendum, & ad nova quotidie inchoanda non deſiſtam te invitare, praeſertim eo Pontifice, ſub quo litterae, & virtutes eum principatum tenebunt, quem ipſe inter doctos, interque pios ſemper tenuit (*a*). Doctori Antonio Gomez (*b*), qui mea negotia ad urbem agit, do in mandatis, ut lucubrationes tuas ſingulas exquirat, ſi quid novi in lucem prodierit, ſtatim ad me mittat. Volo enim doctiſsimi hominis lectione multa, & ad me ipſum, & ad Eccleſiam meam ſpectantia exempla diſcere, vitamque meam ita componere, ut videar a libris tuis nonnihil animo meo utilitatis hauſiſſe. Nihil de Romano itinere certi habeo; tu, quid certius habebis nihil, quam meam in tuis rebus paratiſsimam ſemper operam, ſive in Hiſpania, ſive Ro-

E e mae,

(*a*) Gregorium XIV. intelligit, Nicolaum antea Sfondratum Cremonae oriundum, qui poſt inopinatum Urbani VII. obitum, fuerat Pontifex renunciatus Nonis Decembris anni MDXC.

(*b*) Fuit hic Gomez doctiſſimus juriſconſultus, qui deinde praefecturam totius ditionis Comitatus Fuenſalidae adminiſtravit; ediditque dum hoc munere fungeretur, *Dilucidam, veram, & fidelem Bullae cruciatae explanationem, cui ſubinnxit interpretationem motus proprii Pii V. Pont. Max. de cenſibus*, Compluti apud Joannem Iniguez de Lequerica MDXCIII. in 4.

mae, noſce me tibi addictiſsimum, neque in occaſione aliqua, quae ex re tua fuerit, defuturum. Deus Optimus Maximus, &c. Madriti pridie Kal. Aprilis MDXCI.

EPISTOLA XXV.

CAESARI BARONIO UNIVERSITAS LOVANIENSIS.

Lovanienſium univerſitas Baronium in primo Collegii ordine adſcribit, eumdemque ſummis laudibus extollit.

ERas jam antea nobis, abs eruditionis celebri fama, atque adeo abs illuſtriſsima tua prima Hiſtoriae Eccleſiaſticae centuria, non notus ſolum, ſed & nobilis, de tanta humanitate, pietate, & in peregrinos miſericordia, quam in eximio viro D. Gravio (*a*) oſtendiſti, (quamquam peregrinum, quem Romae haberi vix ratio admittat, cum haec communis patria ſit, & nunc potiſsimum in iſto poſtremo Eccleſiae ſtatu, in quo illa ſummam benedictionem, & olei lenticulam tenet, Gravium pro peregrino cenſeri, qui tantum pro illa laboravit pene piaculum ſit) at certe quam in Dominum Gravium exercuiſti, & ille nobis praedicat, experimento quidem ipſo jam edocti, & certiores ſumus. Sed, ſi futurum praecogitaſſemus, ut haec ſe offerret occaſio, facile probare potuiſſemus ipſam bonitatem, ſive abs tam pia eruditione, ſive abs tam erudita pietate. Deus miſericors, & beneficus, qui res librat, diſponit tempora, iſtiuſmodi ingenia, animos, ac mores huic deploratiſsimo ſaeculo, ad Eccleſiae, & a doctrina, & ab exemplis aedificationem, piiſsima ſua providentia, per-

op-

(*a*) Haec de HENRICO GRAVIO habentur apud Nicolaum Vernulaeum in ſuae Academiaa Lovanienſis lib. III. pag. 179. „ Lovanienſis urbis, patriae ſuae decus HENRICUS GRAVIUS; poſtquam xx. annos „ publicam Cathedram ſumma cum laude „ tenuit, Romam a Gregorio XIV. ut Pontificio Typographio, & Bibliothecae Vaticanae praeſſet evocatus eſt. Gratus admodum purporatis Patribus, ſed in primis „ Cardinali Baronio, qui acre ejus judicium, „ & ſolidam doctrinam mirum quantum admirabatur. Ideo, cum quinto ab adventu „ menſe anno CIↃ. IↃ. XCI. poſtridie Cal. „ Aprilis lugentibus doctoribus omnibus in „ Vaticano Palatio obiiſſet, amico tumulum „ ad Sanctam Mariam poſuit. „ Porro epitaphium; quod ejuſdem tumulo inſcripſit Baronius, habetur inferius ad calcem Epiſtolaa ſequentis, quam idem Baronius ejus mortem deplorans, univerſitati Lovanienſi dedit XII. nonas Aprilis ejuſdem an. MDXCI. Ex lucubrationibus tamen hujus egregii viri, praeter breves Annotationes in S. Cypriani ſcripta, Coloniae ann. MDXLIV. impreſſas, quaſque Pamelius auctas denuo edidit; quibuſque etiam Gravius S. Auguſtini de haereſibus, & S. Paulini Nolani Epiſcopi opera illuſtravit, Reipublicae litterariae bono, ut aliquid aliud in lucem efferretur, notumque eſſet, adhuc non contigit. Jacobus Sanſonius Doctor Theologus eum oratione funebri laudavit. Habetur ejus mentio in Romano Martyrologio cap. IX.

Digitized by Google

opportune, & pene neceſſario excitavit. Quod ab omni memoria tum in Republica, tum in Eccleſia ſimiliter accidiſſe teſtantur hiſtoriarum, & Annalium monumenta. Piarum mentium eſt tantum Dei Optimi Maximi beneficium agnoſcere, & recolere, gratiſsimis animis, & omni ſtudio & favore proſequi viros tam illuſtres, utiles, & neceſſarios, ſanctiſsimos illorum conatus juvare qua poſſumus, quando alia non poſſumus, continuis votis, ac indefeſsis precibus apud Deum inſtare, ut aura illa infinitae ſuae bonitatis, & Sancti ſui Spiritus aſpiratione in iſto vineae ſuae cultu laborantes ac ſudantes recreet, adjuvet, reficiat, incrementum denique fructuum, & profectuum tribuat, tam ſanctis conatibus par, ac condignum. Nos profecto iſtud pro tua reverentia facere continuo non intermittemus, & niſi fallimur, aut nobis ipſis abblandimur, habes a nobis, ut opinamur in iſtis tuis ſanctiſsimis laboribus, Dominum Gravium, qui vel ſuccenturiari tibi in hoc pulvere poſsit, vel doctiſſimis ſuis colloquiis oblectare & reficere. Velle eum ſane haec praeſtare, ac percupere, & omni te amicitiae officio colere, & habere quam devinctiſſimum, quando iſta ſunt tuae Reverentiae publice in omnes, privatim in ipſum merita, ex litteris ipſius nobis eſt certiſſimum. Et hanc animorum, & ſtudiorum veſtrorum conjunctionem publice omnibus ad aedificationem, privatim utrique veſtrum pro ſolatio futuram non dubitamus. Nos, ſeu pro glutino conſervandae tuae erga illum tantae benevolentiae, (quamvis opus quidem eo eſſe non putamus, nec veremur ut deſtrui poſſint, quae iſto pietatis, ac doctrinae philtro ſunt conciliata) ſive pro gratiarum actione, perpetua te obſervantia proſequemur. Et quando Baronio cum Gravio ſibi tantam animorum conjunctionem eſſe placuit, cum Gravio Baronium in primo noſtrorum ordine adſcribemus. Quod ut nos volentes, lubenteſque facimus, ita, ut te volente; & lubente fiat, amantiſſime rogamus. Deus Optimus Maximus per Jeſum Salvatorem noſtrum R. T. pietatem augeat, & conſervet cum omni Spiritus Sancti benedictione. Lovanii IV. Kal. Aprilis MDXCI.

EPISTOLA XXVI.

UNIVERSITATI LOVANIENSI

CAESAR BARONIUS.

Henrici Gravii in Lovanienſi Academia publici Theologiae Profeſſoris mortem deplorat, eique Epitaphium inſcribit.

VIX digitis inhaeret calamus prae dolore, quo affectus eſt animus, & habetatum eſt corpus amiſsione clariſsimi Viri Domini Henrici Gravii: quem anhelantem ad coeleſtem patriam, invitum retinere in hac vita nullatenus, potuimus; licet in hoc plurimum ſtudii atque officii impenderimus. Vix credi poteſt quantum moeroris eruditi quique ac probi viri in urbe conceperint: jam deguſtaverant egregiam ipſius eruditionem, & ſinceram morum probitatem. In pluribus comitiis de nonnullis Eccleſiaſticis controverſiis, ſummae peritiae ſpecimen edidit: quam ob cauſam cunctis admirationi ac venerationi pariter eſſe coepit. Coluit eum inter Illuſtriſſimos ac Reverendiſſimos Cardinales, vita, moribus, & eruditione praeclarus Cardinalis Borromaeus, Columna etiam, Cuſanus, & alii complures eum omni officio proſecuti ſunt. Ego autem indignus inter tales adnumerari, prae omnibus (dicam audacter) amplexus ſum virum, & inſtar Jonathae cum Davide conglutinata eſt anima mea cum anima illius; adeoque tenaci vinculo, ut nec mors ipſa, quae ſolvit omnia, valuerit me ab eo ſeparare. Verſatur aſſidue veneranda ejus imago in mente mea: ſonitus verborum ejus adhuc in auribus meis perſonat. Repeto frequenter illud: O quando, Gravi, tecum Chriſto perfruar? Sed quid in his verſor? Luctum iterum provoco, & vos, quos ſolari debeo, acerbiori dolore conficio, tanti jactura viri. Unum illud ſic habetote, Patres amantiſſimi, me ardentiori requirere ſtudio in vobis, quod jam poſſidebam in Gravio. Recipite me, & connumerate inter collegas veſtros, accipite inter amicos Baronium veſtrum, licet doctrina longe imparem, amore tamen nulli ſecundum. Sint hujus optatiſsimae conjunctionis nexus digna merita Gravii. Valete, mihique haec non ſine lacrymis ſcribenti ignoſcite. Romae III. Nonas Aprilis MDXCI.

Epi-

Digitized by Google

Epitaphium quod Gravii Tumulo inſcripſit Caeſar Baronius;

HENRICO GRAVIO EXIMIAE PIETATIS
SPECTATAEQVE ERVDITIONIS VIRO
QVEM POST QVATVOR LVSTRORVM
IN FLORENTISSIMA LOVANIENSI ACADEMIA
SACRAE THEOLOGIAE
PVBLICAM PROFESSIONEM
SIXTVS V. PONT. MAX.
INSIGNIS ERVDITIONIS ERGO
ROMAM EVOCAVIT
GREGORIUS XIV.
IN PONTIFICIAM AVLAM EXCEPIT
SED AMPLIORIBVS HONORIBVS DIGNVM
CHRISTVS IN COELVM EVEXIT.

EPISTOLA XXVII.

RECTORI, AC CAETERIS PATRIBVS
VNIVERSITATIS LOVANIENSIS

CAESAR BARONIUS.

Primum de morte Gravii iterum dolet; tum Petrum ejusdem Gravii famulum in patriam revertentem, & ſuo, & Cardinalis Borromæi nomine iisdem commendat.

PAtres Ampliſsimi, ac diſertiſsimi. Reſricatis plane dolorem meum, cum veſtris officioſiſsimis litteris meum ſtudium erga R. D. Gravium commendantes gratias egiſtis, quem a nobis jampridem ſubreptum aſſiduis ſuſpiriis ingemere non deſinimus, eoque nos dolor interdum impellit, ut eum potius non noviſſe, quam agnitum amiſiſſe optatius videatur. Caeterum cùm ratio intercedit, plurimum hoc nomine etiam Deo nos debere cognoſcimus, quod talem tantumque virum, vel videre ſaltem meruimus, & quod amplius eſt alloqui, & amicum habere, digni habiti ſumus. Sed & in hoc meus itidem animus cruciatur, dum haud (ut par erat) eum officiis frequentaſſe me ſen-

ſentio, quod putarem in poſterum cumulatius id praeſtare licere, ut hac ex parte, me potius objurgatione, quam officioſa veſtra gratiarum actione dignum intelligam. Caeterum de his omnibus, quibus me R. D. Gravio defuiſſe profiteor, me vobis omnibus Ampliſſimis Patribus conſtituo debitorem, confecturus auctione. Et ſi quem miſeritis Romam loco Gravii, erit mihi alter Gravius ſui ſimilis exactor. Redit modo in Patriam Petrus famulus ejusdem Gravii, adoleſcens optimi quidem ingenii, ſed cui ad conſummationem aliqua deſunt. Excepiſſet eum in familiam ſuam Illuſtriſsimus Cardinalis Borromaeus; ſed quod cupit veſtro ſtudio litteris Graecis, & Hebraicis excultiorem reddi, (*a*) ut ad vos revertatur, accepturus ultimam manum, hortatus eſt; recepturus eundem, cum id ipſe vobis videbitur aſſecutus. Quamobrem ipſe Illuſtriſsimus, & ego vobis eum pluribus commendamus. Valete Patres, veſtrique Baronii, qui vos omnes obſervat & colit, ſemper memores. Romae pridie Cal. Julias anno Domini MDXCI.

EPISTOLA XXVIII.

CAESARI BARONIO

NICOLAUS FABER (*b*).

Scribendi occaſionem narrat, Baronii virtutes extollit. De civili ſuae urbis bello conqueritur, ſuamque de myrrhato vino, quod Chriſto oblatum fuit, ſententiam exponit.

VEnerande Chriſti Sacerdos. Binis litteris mecum egit Triſtanus Guildemerius Abbas Montis S. Martini eruditionis, & probitatis ſuae merito cum cura dicendus, ut ad ſe mitterem partem actorum Concilii Arelatenſis primi, & geſta purgationis Felicis ordinaroris Caeciliani, quibus in tuis Annalibus utereris:

(*a*) Erat ea tempeſtate in Lovanienſi Academia Graecae linguae praeceptor (ut ego quidem ex ejusdem Acad. faſtis conjicio) Henricus Zoeſius: Hebraicas vero litteras profitebatur Petrus Plerius e Smenga, cui in eo munere ſucceſſit Valerius Andreas Juris utriusque Doctor, qui trilinguis ejusdem univerſitatis Collegii exordia ac progreſſus ſcriptis conſignavit.

(*b*) Nicolaus Faber Pariſienſis & Regius Cancellarius, humaniorum litterarum, jurisprudentiae, Theologiae, & Eccleſiaſticae Hiſtoriae peritiſſimus. Ejus cum laude meminerunt Cardinalis Perronius, Rapinus, Pithoeus, Sirmondus, aliique. Typis edita ſunt quaedam ejus Opuſcula. Manuſcripta ſua moriens legavit Jacobo Auguſto Thuano. Obiit vero Pariſiis die VIII. Novembris MDCXII. aetatis annorum 69.

reris: alteris etiam hortatus eſt, ut ea ad te dirigens, inde ſcribendi occaſionem arriperem. Prioribus quidem facile ſatisfeci. Nam & obſequi viro amiciſſimo, cui omnia volo & debeo, & quacumque occaſione gratiam aliquam, apud te demereri, quam vel vita contra emerem, jucundiſſimum fuit. Poſterioribus an obtemperarem non ita liquido conſtitit. Pudebat tam levi munere tibi innoteſcere, & in re, ut ita dicam, quadrantaria munificum velle videri. Nam quae petis, vir maxime, hic ante triennium fere cum geſtis collationis Carthaginenſis coram Marcellino habitae inter Epiſcopos Catholicos & Donatiſtas typis emiſſa ſunt, in quae publici uſus effecta, non mihi plus juris eſſe, quam cuivis e populo juriſconſulti reſponderent. Occurrebat etiam illa jam dediſſe tabellariis, quae ſi perlata fuerunt, iterum mittendo actum agerem, ſi intercepta, creſcentibus in dies itinerum difficultatibus non erat, cur melius ſperarem? Ita quidquid ſcriberem, vel abſque numeris commendatione ingratum fore, vel omnino ad te non perventurum videbatur. Sed maxime obverſabatur animo nominis tui ſplendor & gloria. Quid enim a me proficiſci poteſt, quod aut tuo judicio probari, aut eruditioni ſatisfacere, aut dignitati convenire queat? Vicit tamen clariſſimi, chariſſimique viri auctoritas, & ab eo teſtata mihi tua humanitas, vel potius in Chriſto Deo charitas. Apud hanc enim, quae πάντα ςέγει κὶ ὑπομένει, benevolentem tui animum, vel abſque effectu, ſi non gratiam initurum, improbioris tamen ſpei excuſationem inventurum confido. Non hic, vir praeſtantiſſime, praeconium tuarum virtutum faciam. Laudatur pubes ille, qui in Iphigeniae tabula patris vultum velavit, cujus moerorem exprimere digné non poterat. Gratias tamen non agere bonorum omnium largitori Deo piaculum eſſet, qui te labore, ſtudio, diligentia, induſtria, judicio antiquitatis, & doctrinae, tam Eccleſiaſticae, quam ſaecularis cognitione, & quod familiam ducit, pietate in ſua familia praeſtare voluit. Ejuſdem ſpiritus ſunt ingenuus animi candor, libertas abſque faſtu, & indeflexus veri tenor; quae ſic in ſcriptis tuis aequaliter lucent, ut quodnam ex iis emineat, agnoſci non poſſit. Hoc enim eſt non meum, ſed doctorum omnium, quos vidi de iſtis judicium. Martyrologium tuum quotidie legimus, & quotidie magis, magiſque miramur. Annalium utrumque, precario tantum licuit percurrere. Horum enim unicum eſt in hac Urbe exemplar: prioris quidem, quod inſignis Theologus Crellius, qui nunc iſthic eſt,

Digitized by Google

eſt, ante biennium huc attulit: poſterioris, quod ipſe Sonnio Typographo miſiſti, ut Antuerpiam ad Raphalengium curaret. Itaque guſtum tantum ſui fecerunt, iterumque legendi deſiderium injecerunt. Male noſtris furoribus. Neque enim quod hic geritur bellum, civile eſt, nec humanum; belluarum more earumque ferociſsimarum inter nos ſaevimus. Male, inquam, noſtris furoribus, per quos omnia ſuſque deque ferentes, non ſolum fortunis, & pignorum noſtrorum ſuavi converſatione prohibemur, ſed etiam animis, & muſis infeſtos; doctorum hominum, & librorum commercio, quod unum tantis miſeriis ſupererat levamen, interdicimur. Vel potius male noſtris ſceleribus, per quae benignum, & clementem Dominum provocavimus, ac, velut καινίας τὰ νῦν horrendum ejus judicium in nos attraximus. Complevit enim Dominus furorem ſuum, effudit iram indignationis ſuae, & ſuccendit ignem non magis quondam in Sion, quam nunc in hac afflicta, & affecta penitus urbe, & devoravit fundamenta ejus. Sed nimis ruſticus ſum, qui ſtudiorum tuorum tranquillitatem moleſtis his querelis interpello: . . ., inquit ille Comicus, (*Hoc in loco Graeci Comici, qua Faber utebgtur ſententia, in apagrapho, exſcribentis graecarum litterarum inſcitia, exaratam non habemus*) Nec ruſticitatis notam deprecabor, ſi a te impetravero ferventiſſimis piae Congregationis veſtrae precibus, conclamati pene hujus regni ſalutem, miſericordi Domino commendari. Illuc igitur, unde diverti, redeo, inter caetera, quae in primo Annali tuo mirifice placuerunt, praecipua docta illa nova diſputatio de vino mirrhato pulcherrima viſa eſt (a). Neſcio enim quomodo ab antiquis Patribus tam Graecis, quam Latinis, aut intacta relicta eſt, aut ſic tractata, ut non tetigiſſe videantur. De qua, quid aliquando mihi in mentem venerit paucis accipe. Perſuaſeram mihi οἶνον ἐσμυρνισμένον, de quo Marc. xv. penitus diverſum a Myrrhato, ſive murrato vino Catonis, Columellae, Plinii, Dioſcoridis, & caeterorum a Murrata potione, & Murrina, ſive nectare Antiquorum; quae aut morbis curandis, aut voluptati gulae, vel libidini parabantur. Myrrhati vini, de quo agimus, longe alius uſus: Diſcorides notat Mirrhae vini ineſſe καρωτικὸν. Ideo, qui graves erant ſubituri dolores, quo fortius eos tollerarent, leviuſque ſenſibus gravedine ſopitis afficerentur, Myrrham praeſumebant. Duo hujus Myrrhae uſus inſignia teſtimonia, ſuppeditabit Aſinus Apulei, ſi modo hac in parte ſtrigoſus, & male habitus levi opera cure-

(a). Vide Annotationem inferius litt. (a) in epiſtola, ſcripta XIII.Kal. Februarii an.MDCXII.

curetur, locos indicare ſufficiet qua emendandi ſunt. *Itidem*, inquit ille lib. VIII., *ſeſe multimodis commulcet ictibus Myrrhae contra praeſumptione munitus*. Et Lib. x. *Sed obfirmatus Myrrhae praeſumptione nullis verberibus, ac ne ipſo quidem ſuccubuit igni*. Et fortaſſe illud medicamentum eſt, qui *Sopor* latinis ab effectu dicitur; & a Seneca vocatur Lib. de Benef. V. cap. XIII. & Epiſt. LXXXIV. in veteribus membranis; illae enim ſic legunt. *Veneficus eſt, qui ſoporem, cum venena crederet; miſcuit, &, nec ſopore ſumpto dormiturum*. Nempe quo & Quintilianus declamator, XVII. Declamatione, *mentem auferri* ait, *quo corpus gravari, quo membra ſolvi*. Eo fine Galatinus ex Lib. Sanhedrin refert, reis convictis, & condemnatis Judaeos vinum Thure conditum dediſſe. Non dubito, quin Hebraicum vocabulum, vel myrrham ſignificet, vel Thus pro myrrha, ſcriptor unde tranſtulit, acceperit; quemadmodum ait Plinius quoſdam voluiſſe ex eadem arbore utrumque colligi. Plane non eſt obſcurum quam parum conſtet inter recentiores Hebraeos de germana herbarum, arborum, lapidum, caeterarumque id genus apud Antiquos appellatione. Ex eo more, non autem παίζοντες, ut volunt Graeci vinum myrrhatum Chriſto Domino praebuerunt, eamque fuiſſe B Hireonymi ſententiam, quo nemo diſciplinarum externarum inſtructior, nemo rerum Judaicarum excellentior Theologica tractavit, planum faciunt, quae in Matth. cap. XXVII. notavit; ad eum enim morem alludens. *Uſque hodie*, inquit, ſcientiſſimus Pater, *Judaei, & omnes increduli Dominicae Reſurrectionis, aceto & felle potant Jeſum, & dant ei Vinum Myrrhatum, ut eum conſopiant, & mala eorum non videat*. Haec ille. Chriſtus autem, qui non ſolum infami, ſed etiam acerbo ſupplicio noſtra ſcelera luere voluit, ſolitum praeſtare viliſſimis cruciariis humanitatis officium recuſavit, ne pro nobis ullum cruciatum defugiſſe videretur. Sed otio tuo nimis abuterer, vir praeſtantiſſime, ſi graviſſimis intentum ſtudiis diutius levibus hujuſmodi nugis detineam. Tu igitur eximium opus, & immortalitatem apud Deum, & homines Auctori pariturum, quo coepiſti auſpice, urge, & perfice. Nec enim celebre illud apud Homerum augurium de Dracone, quem Juppiter firmavit tegmine ſaxi, magis Graecos ſpectat, quam omnes, quos ardua aggreſſos, in propoſito conſtantes immortale nomen οὗ κλέος οὔποτ' ὀλεῖται, ſecuturum eſt. Nos interim bello, ſame, & captivitate oppreſſi, quod unum miſeris ſupereſt votis, egregia conantem proſequemur;

 tibi-

tibique otium, tranquillitatem animi, firmam corporis valetudinem, & longos annos, quae tanto operi perficiendo ſufficiant, a Patre luminum, a quo omne bonum, tribui orabimus, atque obſecrabimus. Fragmenta, quae requiris mitto. Nactus ſum B. Auguſtini Commonitorium quomodo agendum ſit cum Manichaeis, qui convertuntur; & quos poenitet hujus nefandi erroris; cui ſubjicitur incerti auctoris, antiqui tamen & Mavi aequalis narratio; quod Maves non ſit auctor hujus haereſis, ſed potius Stutianus (*a*). Is eſt, qui ab Epiphanio, & Theodoreto *exutiavis* dicitur; caetera enim abſimilis iis, quae de Mave apud illos eoſdem auctores leguntur. Ad finem narrationis habentur: *Explicit liber S. Selini Epiſcopi, & Martyris ſcriptus tempore Hugonis prioris*. Quae potius ad Monaſterii nomen, cujus uſui volumen conſcriptum fuit, in quo ultimo loco poſita ſunt, quam ad auctorem refero. Utrumque eujuſmodi ſit, ſi nondum videre contigit, ſcies ab eruditiſſimo, & exactiſſimi Judicii viro Religioſo Sirmundo Societatis Jeſu ſodali, qui hinc paucis ante menſibus Romam profectus eſt. Si in rem tuam eſſe putes, aut ſi quid praeterea ſit, quod a nobis deſideres, jure tuo exige. Bene. Vale VIII. Kal. Mar. Anno Domini MDXCI.

EPI-

(*a*) Scribit S. Cyrillus catech. 6. Scythianum genere Saracenum & ex mercatora divitem, Alexandriae quatuor compoſuiſſe libros, ut perverſiſſimum dogma ſuum de duobus principiis bono & malo, conſtabiliret. Fuit Ipſius auditor Terebenthus, qui improbitatis ejuſdem diſcipulus, non modo auri, & librorum ejus, ſed haereſis quoque factus eſt haeres. Hic vero quum propter ſuam perverſitatem haud ſecurum ſe in Judaea noſceret, in Perſidem ad quamdam viduam profugit, ubi divinitus percuſſus, & de domo protractus, extinctus eſt. Ejus librorum & pecuniarum vidua haeres ſervum Perſam, Curbicum nomine, emit, qui libris, ac pecunia potitus, tamquam haeres demortoae viduae; in ſemiphiloſophum evaſit, nefandoſque errores diſſeminavit. Ne autem Curbici nomen tanquam nomen ſervitutis, eb ullo poſſet exprobari, *Manes* dein appellari voluit. At quum hoc nomen apud Graecos a *mania*, ſeu inſania derivatum videretur. quidam *Manetis* diſcipuli quaſi doctiores, ex eo ipſo mendaciores, geminata N littera, *Mannichaeum* vocarunt, quaſi *manna* fundentem: uti teſtatur D. Auguſtinus in *Libro de haereſibus*. Quamobrem merito animadvertit Ven. Cardinalis Baronius *ad annum Chriſti CCLXVII. n. 5. & ſeq. errare Suidam, alioſque, qui cum MANETE confundunt SCYTHIANUM, eumque genere BRACHMANUM dicunt.*

EPISTOLA XXIX.

NICOLAO FABRO

CAESAR BARONIUS.

Ejus pietatem commendat. Severum operum ſuorum correctorem exoptat. Probat ejus de myrrhato vino ſententiam; quam tamen haud ſatis ſibi facere fatetur. Et de fragmentis miſſis gratias agit.

ACcepi abs te litteras, immo dixerim egregiam tabulam, in qua nobilis animi tui imago vivis coloribus habeatur expreſſa. Ex quo & illud plane admirandum accidit, ut prius ejuſdem animi tui quam corporis effigiem noverim, vultuſque interioris hominis Deo tantum perſpicui, perſpectus in oculis mihi fuerit. Intuitus enim ſum virum maxime pium, virtutibus inſigniter excultum, atque praeclare eruditum. Si ex linea una Apellem pernoſci licuit, cur te ex tot ſcriptis verſibus haud exploratum haberem? quot enim in eis elementa numerantur, & apices, tot tuarum noſcuntur eſſe lineamenta virtutum, inter quas princeps, atque regina omnium pietas eminet, quae te glorioſo titulo confeſſionis illuſtrat, jam tot annis ſine ſanguine Martyrem, dum una cum Sanctis concivibus tuis, ut cum patriae fidei jacturam pati contingat, tanta omnibus nota patimini. Quo quidem nomine, (liceat illud Apoſtolicum uſurpare) aemulor vos Dei aemulatione: & ut aliqua ſaltem ratione particeps ego, atque collegae mei, imo & pii omnes, qui in Urbe ſunt, inveniamur meritorum veſtrorum, non deſumus officio noſtro diuque, noctuque pro Pariſienſibus potiſſimum, proque omnibus, qui ſancto foedere in catholica unitate junguntur preces ad Deum fundere. Speramus quod reſpiciet tandem Deus, nec relinquet omnino virgam peccatorum ſuper ſortem juſtorum. Quod autem iisdem tuis litteris noſtra leviſſima tanto praeconio tollas, quae inexculta edita erubeſco, & edidiſſe interdum poenitet, animi tui liberalitatem declaras, ejuſdemque inſinuas verecundiam, atque modeſtiam, dum nec, quae in eis intelligis tibi diſplicere, celebrare laudibus praetermittis; & leviori manu ea pertentans, tanquam podagricum quendam attrectans, vereris amico inferre moleſtiam.

leſtiam. Age ſecurius, perge liberius, me veri amantiſſimum ſcito; illudque Auguſtini ſolere mihi in ore verſari; Verum atque ſeverum diligo correctorem meum. Quae igitur de vino myrrhato te cum majoribus ſentire ſignificas, haud ſpernimus, verum & admiramur, atque probamus etiam; ſed illud in primis animum meum reddit ambiguum. Quonam modo ex Ariſtotele Athaeneus affirmat ad curandam, avertendamque ebrietatem proficere myrrham, ſi ipſa ex iis, quos citas, ſententia, reddit hominem pluſquam ebrium, nempe e ſenſibus prorſus amotum? Et ne quis putet Ariſtotelem, vel Athaeneum hallucinatos. Plutarchus in libro de Iſide, Ægyptiorum ſententia, penes quos myrrha notior, idipſum probe confirmat, dum ait, myrrham Ægyptii, Bal, nominant; quae vox, ſi interpreteris, delirii ſignificat motionem. Quonam pacto ergo, quae alienationem inducit a ſenſibus, eadem abalienatum a ſenſibus, ſui compotem reddere myrrha dicitur? Quod autem ad haec dicam? nihil plane eſt, niſi quod Galenus habet de Simplici. Medicam. Lib. 15. cap. 19. prope finem his verbis. *Myrrha ſi largius bibatur, aut dementat, aut mortem affert*; ſicque ex Galeni ſententia non rei, ſed quantitati nimiae illud adſcribitur, ſed abſque myrrha praeſtat hoc ipſum vinum, ut immodice hauſtum una eum ebrietate ſenſuum amotionem cauſetur. Verum haud iſtud ipſum abs te queritur; ſed potius cur praetermiſſa majorum ſententia, ipſe primus myrrhatum vinum pro myrrhino nectare uſurpaverim. Audi quaeſo ex tuis ipſis litteris reſponſionem, atque meae ſententiae defenſionem. Affirmas ex antiquorum ſcriptorum ſententia, eam fuiſſe vini myrrhati naturam, quae dicta eſt, ut eo potato, alienet a ſenſibus. Rurſus inculcas veterem conſuetudinem apud Haebreos, ut omnes viliſſimi licet eruciarii, ne vehementem dolorem ſentirent, myrrhato vino potarentur. His ſic ſe habentibus, cum conſtet auctoritate ſanctorum Evangeliſtarum, latrones, pendentes in Cruce, a verbis, quae tunc loquuti ſunt, ſatis ſuperque ſui fuiſſe compotes, neceſſe eſt affirmare, eoſdem minime bibiſſe myrrhatum vinum; ac proinde eam conſuetudinem exoleviſſe. Sicque neque Domino noſtro illud ipſum myrrhatum vinum propinatum fuiſſe, commune omnibus eruciariis, unde aliam potionem illam fuiſſe affirmare neceſſe videtur. Quamobrem ſtare noſtram ſententiam de vino myrrhato, puto conſenties: quam exemplo firmatam in ſecunda Editione Romana reperies; ſed etſi

etſi dabitur, ut adhuc me ſuperſtite, tertia cudatur editio, hanc habitam in ea inter nos diſputationem intexam (*a*). De Fragmentis miſſis, gratias immenſas ago. R. Pater Sirmondus (*b*) nondum

(*a*) Promiſſa exacte complevit Baronius; non ſolom enim rationes hinc inde adductas retulit, ſed partem etiam Epiſtolae, cujus initium Litterie tuis ſub datum XIII. Kal. Februarii 1592. a Fabro acceptae, in lucem edidit ad annum Chriſti 34 num 95. & ſeq.

(*b*) Jacobus Sirmondus Societatis Jeſu natione Gallus. Vir omnibus numeris abſolutiſſimus, ingenio maximo, judicio acerrimo, excellenti memoria, in linguis Latina & Graeca peritiſſimus, humanioribus litteris Theologicam facultatem copulavit: in Bibliothecae Vaticanae Codicibus plurimum laboravit, illoſque perluſtravit. A Ven. Card. Baronio commendatur Tom. I. Annal. in Append. Tom. IX. ad annum 814. Tom. X. ad an. 956. & in append. pag. 662. Scripſit multa, quae a P. Alegambe in Bibliotheca Script. Societ. Jeſu recenſentur p. 212. & 213. & Pariſiis denuo in lucem prodierunt ex Regia typographia an. 1696. in Tomos 5. diſtributa. De doctrina, pietate, ac Baronii ſanctitate hoc luculentiſſimum teſtimonium exaravit Sirmondus, cujus autographum adſervatur inter Codices MS. Vallicellanae Bibliothecae ſignato lit. Q num. 74. pag. 277.

Della ſanta memoria del Cardinal Baronio poſſo dire con verità ch' in tanti anni che l'ho praticato, mai da lui ſono partito ſenza particolare edificazione per i lodevoli coſtumi ſuoi e per li atti di virtù, o di devozione ed elevazione di mente a Dio, o di carità, che di continuo ſoleva eſercitare. Il che confirmando col P. Aquaviva Generale noſtro, quando venne la nuova della morte ſua aggiunſi, che ſe per ſalvarſi foſſe neceſſaria tanta perfezione, quanta fu la ſua, puochi al mio parere, arrivariano a tal ſegno, ma che io credevo che ſe n'era acquiſtato più di quello che baſtava.

Frà molti favori mi fece grazia che foſſi conſapevole di due arcani ſegreti ſuoi. L'uno fu della rivelazione ch'Iddio gli fece dell'anno dell'età ſua, nel quale s'aveva da morire: Allogiava all'ora in S. Silveſtro di Monte Cavallo, quando mi cominciò con queſte parole; Che farà di me queſt'anno, che viene: E dimandato, perche? riſpoſe, ve lo dirò, ma con patto di ſegreto. Molti anni ſa, che trovandome in eſtremità di maladia, ſi che ricevuti i Sagramenti, non s'aſpettava altro che il tranſito; mi venne come voglia di dormire (era ſonnio diceva egli) quando mi parve di vedere ſcritto inanzi di me il numero di LXIX. di che ſpaventato, ſebbi ricorſo all'orazione, e ſubito mi ſentii una inſpiratione, come ſe diceſſe, queſti ſono gli anni della vita toa. Il che mi reſtò talmente perſuaſo, che accoſtandoſi da me quelli che m'aſſiſtevano, per vedere ſe morivo, diſſi loro che di ſicuro non morivo per queſta volta. Poi aprendo la Biblia ſua che ſtava ſopra la tavola, mi moſtrò nella prima pagina detto numero LXIX. ſcritto di mano ſua: e dicendo io che bene m'ero accorto di quella nota quivi, ed in altri libri ſuoi, non ſapendo però che coſa voleſſe dire, per ciò riſpoſe egli la tengo notata in molti luoghi perche ſpeſſo mi viene in mente. Fu vera la profezia, perche nato alli 30. d'Ottobre 1538. muorì alli 30. di Giugno 1607., di maniera che viſſe anni 68. ed otto Meſi preciſamente.

L'altro fù del voto ſuo circa il Pontificato, del quale mi parlò nella Galeria del Vaticano, che va dalle ſtanze del Bibliotecario verſo la Galeria del Papa. Eſſendoſi dunque ragionato delle brighe, che ſi dicevano fatte in Roma, mentre il Papa Clemente fu ammalato in Fraſcati, alzando le mani, & li occhi al Cielo, lodato ſia il Signore, diſſe egli, ch'io mi trovo libero di queſti intrighi; e dimandando io in qual maniera, mi riſpoſe parimente con ſegreto, che vedendo ſe Cardinale, e che la tentazione gli poteva naſcere come ad altri, s'era riſoluto di levarſene il penſiere con un voto che aveva fatto a Dio di non aſpirare, ne cooperare a chi voleſſe attendere alla ſua promozione. Non paſsò lungo tempo, ch' il Signor Giovanni Priamo Franceſe, ſervidor del Card. San Giorgio per le lettere latine, venuto da me, mi parlò per congettura di queſto voto, dicendo che in un Tomo delli Annali ſuoi, quale heveva impreſtato a S. Giorgio, vi era una ſcrittura di lettere la più parte ſingolari, & difficili ad intendere, ma che al parere ſuo era di quel voto. Non feci moſtra, che l'aveſſi indovinato. Ma venuto poi al Cardinale, gli diſſi ridendo, che mi haveva fidato un ſegreto, del quale ſi parlava in Roma, e quando inteſe la coſa, ſi burlò di ſe ſteſſo, come di balordo, che non ſi foſſe accorto, quando mandò il Libro a S. Giorgio.

Quando hebbe dedicato il Tomo IX. al Rè di

dum Romam pervenit. Si erit otium, ut deſcribantur, quae duabus paginis tui indicis continentur, nempe uſque ad tempora Valentiani, illis exceptis, quae apud diverſos auctores jam impreſſa leguntur, erit ut plurimum hoc quoque nomine tibi debeam

di Francia, mi dimandò poi, che coſa ſi dicaſſe di quella ſua Epiſtola, riſpoſi che ſin qui noo havevo ſantito niente. Ma preſto toroando a Caſa, inconirai ſul ponte una perſone honorata, che coo ſdegno mi diſſa, che con queſta ſua Epiſtola s'era levato la tiara dal Capo. Il che avendo poi riferito al Cardinele ſe ne rallegrò, e cavando la barerra ringraziò Iddio, dicendo che non haveva puoco guadagnato con quella Epiſtola ſe na ſeguiva tal effetto.

Quanto foſſe ricordevole di queſto ſanto ſuo propoſito lo dichiarò ne' Conclevi, e mi ricordo haverlo ſentito dire, che quando ſi ſentiva nominare nelli Scrutinii, gli pareva foſſero tanti colpi di martello. E quando lo volſero tirare per forza nella Capella, s'attaccò talmente alli balaoſtrei, cha della violenza fattagli, reſtò più d'una hora con palpitazione di cuore. E dolendoſe coo lui il Cardinal Viſconte, che impediſſe tutti i diſegni loro, riſpoſe moſtrando il Crocefiſſo, che altro di quello non lo potava muovere.

Hebbe divozione particolare al Beato Luigi Gonzaga dicendomi una volta, che alcuni biaſimavano, cha ſi proponeſſero per Beati due giovinetti d'età, e di religiona, Luigie Stanislao, perche nella Religiooi riformate, tutti i Novizj ſono come Santi, ed havandoli riſpoſto, che a me ſteſſo era venuto il medeſimo penſiere; ma che legendo la vita del B. Luigi, puoco prima data in Stampa, m'era parſo che haveſſe più del commune. Volſe vederla, e poi deſiderò, havetna delle Reliquia, le quali portandogli, incontrai ch'era già loor di camera, per uſcire di caſa: però ſentendo, che io portava dette Reliquie, tornò in camera, ad ingenocchiandoſi le baſciò, miſa ſopra la teſta, e poi poſtele dentro l'oratorio, s'incaminò dove voleva. Quindi poi pigliò divozione d'andare di tempo in tempo a venerarlo nella Chieſa del Collegio noſtro, dova era ſepelito.

Havendolo pragato un povero Cittadino, cha dimandaſſe al Papa la dote per una ſua figlia, che doveva maritare, reſtò ſoſpeſo il Cardinale, temendo d'una parte di eſſer moleſto a Sua Santità, iterando troppo ſpeſſo ſimili Offizj, e dall'altra non havendo lui al preſente per fare del ſuo quella limoſina. Dimandò al Cittadino quanta doveva eſſere la dote di ſua figlia, riſpoſe, che non poteva eſſere manco di cento Scudi, perche tanta era ſtata quella della Sorella. Dimandò poi quando biſognava haverla ed riſpondendo egli, di quà un'anno, Di quà un'anno diſſe il Cardinale, non pigliare faſtidio, ve la darò io del mio, ſenza cha biſogni ricorrere al Papa.

Quando fu fatto Abbate di S. Gregorio, ful pregato da un Padre de' noſtri a favore di una povera vedova Romana, come diceva, la quale teneva certe poſſeſſione dependente da S. Gregorio, e per non haver pagato il canone per ſpazio di molti anni, meritava di perderla. Però prometteva di pagare al futuro, ſe piaceſſe al Cardinala farle grazia del paſſato. Deſiderava egli ſapere il nome; ma non mi era ſtato detto Non laſciò però il Cardinale di fare la grazia. Poi quando tornai, ſi riſe di me che me foſſi laſciato perſuadere che foſſe povera, eſſendo in fatto una Signora delle nobili famiglie di Roma, alla quale nondimeno ſerviva, quando compar ſe confermata la grazia.

Quando fu morto il Papa Clemente, diſſi al Cardinale cha s'era levato un gran peſo di ſopra le ſpalle. Inteſe quello che volevo dire, e riſpoſe, che due coſe lo conſolavano, l'una che confeſſava un Papa di conſcentia timorata, e l'altra che era dotto ed intelligente, eſſendo ſtato gran Penitenziere, che delle coſe publiche, non mancava d'aviſarlo, quando era voce di qualche promozione o gravezza, che doveva diſpiacere; & alle volte gli riſpondeva, che il rumore era falſo, e che non haveva tal penſiere, altre volte che era vero, ma che prima di riſolverſi, s'era conſigliato coo perſone di valore, & di conſcienza, e ſe gli nominava, & in una & altra maniera l'aquietava: ſe bene con tutto ciò haveva caro, di trovarſene per ora libero affatto dopo la morte del Papa.

Riceveva volontiari gli avviſi e correttioni che ſe gli mandavano intorno alli Annali, a con lode di quelli che l'avviſavano, amendava quello che biſognava: non deſiderava però che ſi riſutaſſero d'altri, per non impadire il frutto che facevano. Sentendo che l'opinione ſua *de vino mirrhato* non ara da dotti tenuta per vera, & ch'il Fabro, il quale gliane diede

ſi

beam; ea enim tertio, & quarto tomo Annalium intexentur digno nominis tui praeconio, qui haec latebris magno labore in lucem vindicaveris. Et licet id minus liceat praeſtare in tertii Tomi editione, quae jam vergit ad finem, ſi ea nactus citius fuero, ponam in appendice, vel in ſecunda editione cuncta ſuis locis, ordine rerum, ac temporum diſponentur. Faxit Deus, ut hoc ipſum, quod certo mihi ſpondes te praeſtiturum, tibi per otium, ac rerum tranquillitatem liceat. Vale mi Faber, tuoque Baronio in omnibus quibus vales praeſto eſſe, ne praetermittas. D. Pitheo, nomine meo, rogo ſalutem plurimam dicas. Romae nonis Julias. Anno Domini MDXCI.

EPISTOLA XXX.

CAESARI BARONIO

RECTOR ET UNIVERSITAS LOVANIENSIS.

Magnum dolorem oſtendit ob amiſſionem Henrici Gravii, & loquitur cum magna aeſtimatione de eodem Baronio, eumque rogat, ut aliqua ſua negotia in Romana Curia adjuvet.

NOn facile dici queat, Doctiſſime Baroni, quanto moerore, ac luctu Academiam hanc noſtram compleverit triſtis, & inexpectatus de obitu clariſſimi nuper viri D. Gravii nuncius, poſtquam eum paulo ante tanto Sanctiſſimi Pontificis, tanto Illuſtriſſimorum, & Reverendiſsimorum Cardinalium ac Epiſcoporum amore, tanta ſuae Paternitatis benevolentia acceptum iſthic eſſe intel-

il primo avviſo, per modeſtie ſua non volſe conteſtare, quando ſece moſtra di cedere alle riſpoſta del Cardinale, e che in fatto quelle opinione non era vera, ſi dolſe di quello il quale a lui heveva inſegnato, ed ſi riſolſe le prima volta che ſi riſtamperà il primo Tomo, leverne affatto tutta quella riſpoſta: e sò di certo che l'averia eſeguito, ſe ſopreviveva, perche mi diſſe di volerlo fare.

Dopo la morte del Cardinale volſe il Signore di Novez Maeſtro di Camera ſua, che io faceſſi officio col Bellarmino, per entrare in ſervizio ſuo come ſucceſſe, acciò, diceve, che io poſſa conſolarme di haver ſervito duoi Cardinali i più Santi della Corte.

Quando al tempo di Paolo V. gli fu ſcemato l'intrata di modo che di dodici mila l'anno non li reſtavano più di otto, mi diſſe che perciò era coſtretto, come ſe queſto foſſe il più grande faſtidio che ne' riceveva a certe povere famiglie, alle quali dava ogni meſe dodici ſcudi di limoſine, di non dar loro più di otto.

Ego Jacobus Dinet Societatis Jeſu teſtor hanc eſſe manum Patris Jacobi Sirmondi piae memoriae, mihi quidem probe cognitam, ut qui cum eo diutiſſime & familiariſſime ſemper vixerim, quin & pleraque eorum, quae hic recenſet, a me pridem ex ejus ore, ſumma mea cum voluptate audita meminí Romae 7. Martii, ann. 1652.

intellexiſſemus, ut votis noſtris nihil hac quidem parte cumulatius accidere potuiſſet, ſed nec ipſius quidem Gravii, qui iſta tam eximia tantorum virorum charitate delibutus, poſtrema ſua ad nos ſcriptione aperte, ac ingenue beatum ſe praedicabat, ſi valetudini cum coelo, & aere poſſet convenire. Sed quo modo illam de eo, cum a nobis diſcederet, ſpem omnes conceperamus, quibus pernota erat eximia viri doctrina ac eruditio in loco tam illuſtri, & inter tam illuſtria virorum judicia, hoc adepturum, quod eſt conſequutus, omnium bonorum ac magnorum Virorum amorem, ac gratiam, huic autem Academiae ex iſtius alumni eminentia, magnum apud Sedem Apoſtolicam decus obventurum ac gloriam; ita profecto quam juſtus nobis, ab ejus interitu doloris ſtimulus ſit incuſſus, illis qui illum vel pauxillo illo tempore in Urbe cognoverunt judicare permittimus. Ex quibus, ſat ſcimus, nemo eſſe queat aequior aeſtimator Baronio ſive abs amore, ſive a judicio; nam ut doctrinae proprium eſt Doctorum judicium ac cenſura, ſic & amor. Et ſane hac re vere te Baronium oſtendiſti, quod tantilli temporis conſuetudine, tanta inter te & Gravium animorum facta eſt conjunctio. Itaque maximo tuo merito antea tibi cum Gravio in primo noſtrorum ordine locum deſtinavimus; majore multo nunc decrevimus, ut hunc locum pro te & Gravio porro teneas maxime, quando etiam hoc nos honore, hoc amore proſequi voluiſti, ut pro Gravio nobis adſcribereris: quod factum eſt non conſentiente ſolum, ſed cupiente totius Univerſitatis judicio, ejuſque actis inſcriptum hujus allectionis monumentum; cujus exemplum hic tranſmittimus. Ita nobis Baronius amiſſi Gravii ſolatium prebet alter ipſe Gravius; Baronio, qui & ipſe conſolatione indiget, ab hoc luctu pro ſolatio erit hujus Academiae perpetuus in ipſum amor & obſervantia, par illi quam Gravio pro ſuis meritis debebamus; utriſque vero & Baronio & nobis, primum mortalitatis noſtrae conditio, quae ſaepe numero cum maximo in vado videmur conſtituti, mox adverſo aeſtu abripit nos in profundum; tum deinde magis, illa contemplatio ſalutaris, quod Gravium ſi recte expendimus non amiſimus, praeceſſit tantum ille nos prior a clementiſſimo Deo evocatus ad Beatorum conſortium, quo omnes anhelamus ubi ipſe vere vivit, & quae ipſius charitas ſemper fuit, vota pro communi omnium noſtrorum ſalute facit ad Deum: & tu interim hic in nobis pro maximis tuis meritis; nos ibi in te ab eximio tuo amore Gravium retinemus. Hoc quando ita eſt, doctiſſime Baroni veniam dabis, atque adeo

adeo ut opinamur velut aurum habemus, verae hujus noſtrae in te, aut mutuae potius invicem inter ſe noſque fiduciae, & conjunctionis, ſi in rebus noſtris, quas proprias etiam tuas, tibique communes nobiſcum ex hac conjunctione facere voluiſti tuo conſilio, opera, ac patrocinio liberius uti videbimur ubi, res, ac uſus poſtulat: quod verecundius ſane faceremus, ne Amicum ad utilitatem noſtram magis, quam abs amore ac benevolentia, quaeſiſſe aut amplexi eſſe videremur. Sed fecit primum rerum noſtrarum neceſſitas, ut audeamus, aut debeamus etiam; deinde quod pietatem hanc a Deo ter optimo hoc tempore tam opportune ad praeſidium noſtrum excitatam eſſe opinamur. Et crede non aliam magis uberem materiam exercendae huic tuae pientiſſimae caritati tota vita obventuram, aut melius eam uſque facile impendi poſſe, quam huic Academiae nuper florentiſſimae, jam a tempore, incuria, ſupra quam credi queat, attritae ac dejectae juvandae, ac ſuſtinendae. Quare ſi hac re, caeteris tuis graviſſimis ſtudiis ac ſanctiſſimis occupationibus decedit aliquid, non aeſtimato eſſe deperditum, & fortaſſis re ipſa etiam experieris nihil deceſſurum; ſed quod benignitatis propriae divinae eſt, in compendium convertere, quae in ſpeciem diſpendioſa pio animo per caritatem lubenter ſuſcipimus, Deum afflatu quodam benigniore caetera tua ſtudia actioneſque ſanctiſſimas, eo fecundiore curſu provecturum, quo te in juvandis nobis magis magiſque impenderis. Sunt autem impraeſentiarum tria, quae operam tuam in rebus noſtris expoſcunt. Primum quod cum ita Deo viſum eſt, Gravium rebus humanis eximere; & ab initio, quando primum ad nos ex mandato Sixti Quinti de mittendo ad hujus muneris functionem Noſtrorum aliquo perſcriptum eſt, ſimul hoc etiam fuit adjectum, quo illo, qui mitteretur, defuncto, vel translato ad alterius muneris functionem, ſucceſſoris eligendi facultas eſſet penes Univerſitatem, & hunc pro perpetuis futuris temporibus: idemque hoc Bulla erectae Typographiae Apoſtolicae continere videatur, quantum ex uno ejuſdem capitulo ad nos a D. Petro Delouvv, qui iſthuc cum Gravio venit, eoque mortuo remanſit, tranſmiſſo animadvertimus. Amice nobis ac ingenue praeſcribi cupimus, an plane gratam hujus officii electionem, cui nunquam deerimus, ſed nec deerunt ex noſtris, qui digne Gravio ſuccedant, ſanctiſſimo Pontifici futuram eſſe exiſtimes. De quo ſcribimus quidem impraeſentiarum ad Pontificem, ſed verecundius, ut convenit eos, qui paratos magis ſe exhibere, non qui enixius ſe in-

ingerere contendant, ante exploratam a te paulo propius S. Beatitudinis voluntatem, uti ex exemplo litterarum, quod his adjunximus Paternitas tua deprehendet. Alterum quod, cum ad trecentos quinquaginta circiter ducatos auri de Camera in hanc Gravii profectionem impenſum ſit per Univerſitatem, certa plane ſpe ac fiducia recuperandae hujus primae erogationis a Sede Apoſtolica, cum is qui a nobis mittebatur illuc adveniſſet, quod & Gravius poſtquam in Vaticanam receptus eſſet, non ita multo poſt futurum eſſe renunciavit, hac de re cum Reverendiſſimo Britonorienſi Epiſcopo agere digneris: quod & facturum te apud illum noſtro nomine ac rogatu aperte ei his litteris ſignificavimus, ne multis ac graviſſimis occupato, longiore ſcriptione eſſemus importuni. Exiſtimabis fortaſſe praeter dignitatem eſſe hujus Academiae de tantilla re, nos eſſe ſollicitos apud Sedem Apoſtolicam, cujus tanta ac tam luculenta ab omni memoria in eam beneficia extiterunt; ſed ut aperte loquamur cum Amico; quomodo eximia ſemper fidei, ac obſervantiae, ſic nulla pene unquam publici peculii a nobis noſtriſque majoribus habita eſt ratio; ita ſine aerario publico hucuſque pene ſemper fuimus, ſtetitque hujus Univerſitatis corpus ſolo pene ſpiritu & officii zelo, ſine oſſibus ac nervo pecuniae: & quoties uſus publicus poſtulavit, viciſſim per indictiones collecta ſunt impendia: cujus rei, profligatis ex iſto tam ferali bello privatim ac publice fortunis, omnium jam dudum defecit facultas ac ratio; & niſi ante annos circiter novem, ſingulari quadam ſua benignitate rebus iſthic noſtris ſubveniſſet piiſſimae memoriae Gregorius Decimus Tertius per donationem bis mille ducatorum, interceſſione Reverendi Patris Toletani, cui cum aliis tum hoc etiam nomine non parum obſtringimur, vix ſtetiſſet ſane haec Univerſitas ad praeſens. Tertia multo maximi momenti cauſa eſt, & quae torſit nos jam & cruciavit multo tempore, & ſane ſpem pene omnem melioris rei excuſſiſſet, niſi melius de Sede Apoſtolica ſemper ſperaſſemus, quam de quorumdam ingeniis, qui iſthic in auctoritate ſunt, & a nobis animo ita averſo, ne quid gravius dicamus, ut omni ſtudio inſidioſe etiam obrepant viris magnis, & eos incautos circumveniant in noſtram perniciem. Ut rem paulo planius intelligas, duo ſunt inter alia huic Academiae a Sede Apoſtolica a multis retro annis conceſſa privilegia, quibus ſolis omnis illius ſpes ac quies hucuſque conſtitit. Alterum duplicis nominationis, quarum una totius Univerſitatis communis eſt, ſecunda propria

Fa-

Facultatis Artium. Alterum eſt privilegium, quod vocamus Tractus, per quod omnes ſcholares ac magiſtri dictae Univerſitatis fori habent privilegium, ut nec conveniri alibi poſſint quacumque actione, niſi coram ejuſdem Univerſitatis Rectore; & ipſi omnes ſuos adverſarios, in quibuſcumque cauſis, & actionibus convenire poſſint & evocare coram ſuis Conſervatoribus. Hoc Tractus beneficium ad quietem ſtudiorum ſpectat & perneceſſarium eſt, quae ſtare non poteſt, ſi alibi de ſuo jure ſcholares cogantur decernere; in altero praemium eſt laboris exantlati in ſtudiis, & inſtituenda juventute. De horum privilegiorum vi, jure, ac poteſtate ex proceſſu fulminato, qui inter caetera cauſae, de qua agitur, munimenta primo loco refertur, pleniſſime edoceberis, haec ſi tollas, ſimul etiam Univerſitatem funditus ſuſtuleris. Coeptum eſt iſthic id nuper ante annos tres, anno MDLXXXVIII., adverſus quemdam Magiſtrum Gysbertum Danielis, virum optimum, Philoſophiae apud nos primarium Profeſſorem in Collegio Standonico: qui cum menſe Majo ejuſdem anni, vigore praecedentis nominationis praebendam in Eccleſiae Beatae Mariae Virginis, in Oppido Tongrenſi acceptaſſet, ejuſque poſſeſsionem nemine contradicente legitime eſſet adeptus, poſt menſes aliquot adverſarium ſe ei objecit quidam Balduinus Deſraiſne ſub obtentu proviſionis apoſtolicae impetratae, vigore reſervationis generalis a Sixto Quinto de praedicta praebenda, quinto Kal. Julii inſequentis; & ſic poſt duos pene menſes, quam dictus Gysbertus hoc beneficium obtinuiſſet & poſſediſſet: hoc interim etiam ſuppreſſo, & Pontificem celato, quod tamen ipſum Balduinum minime latebat. Non eſt noſtri, candoris temere cuique de ſua opinione vel minimum detrahere, ſed cogit nos & publica hujus ſcholae cauſa, & ſubditi noſtri commiſeratio, iſtos inter ſe paucis componere, ut ex meritorum diſparitate intelligatur, moleſtiarum, ac injuriarum indignitas & gravitas, quae alumnum noſtrum, & nos cum illo tanto jam tempore exagitat & diſcruciat. Ille totus intentus beneficiorum cumulationi, iis aucupandis, cum de caetero otietur, bis, ſi ſic incedat, ſingulis annis Romam excurret; atque ita ſecundum jam Romae fuit, ex quo de hoc beneficio cum Gysberto noſtro certare coepit. Hic noſter, poſtquam primam aetatem in litterarum & Philoſophiae ſtudio feliciter tranſegiſſet, promotus, ad ſacrum Theologiae ſtudium ſe tranſtulit, ſimulque inſtituendae Juventuti, & docendae Philoſophiae applicavit; ut tota vita modeſtus juxta ac pius, ita in iſto inſtituto,

Reipublicae utiliſſimo, tanta conſtantia, ut tantis tanque gravibus, quas mox audies, moleſtiis ac cruciatibus divexatus, nunquam tamen id deſeruerit; ſe ſpe bona, futurum tandem, ut bonam cauſam, pioſque ejus conatus ac labores Deus bene dirigeret; maxime quod in eam rem apud S. Sedem Apoſtolicam omnem operam ac patrocinium Univerſitas polliceretur, cupientibus & rogantibus nobis patientiſſime eſt perſequutus. Alter interim Romae ſuae rei intentus, impetrato a Sixto Quinto pro executione ſuae proviſionis brevi Apoſtolico, ad Camerae Apoſtolicae Auditorem generalem, poſt alia, tandem hunc noſtrum Romam ad Auditorium Camerae Apoſtolicae in jus evocat: ubi vir optimus, dum ſic deſudat pro utilitate publica, nec interim tamen judicium detrectat, ſed ſui copiam facit apud ſuum Judicem, & ſecundum apoſtolica privilegia, paratum ſe offert coram Conſervatore noſtro cum adverſario de jure certare, cumque eo, adeo etiam ibi per procuratorem comparente, litem conteſtatur. Proſequitur Romae in Camera Apoſtolica, quaſi contumax damnatur duplici ſententia; altera lata per Locum Tenentem criminalem Camerae Apoſtolicae, altera per Locum Tenentem civilem: quas deinde inſecutae cenſurae, quae non ſolum illum perculerunt; ſed nobis etiam omnibus Academiam hanc univerſam plane de gradu dejicere, & pene ab imo ſubruere viſae ſunt. Niſi quod, cum haec omnia per adverſarium alumni noſtri, qui Romam ad hoc recurrerat, per obreptiones, & importunas inſidias eſſent procurata, facile apud Sedem Apoſtolicam effecturos nos ſperaviſſemus tempore commodiore, ut haec injuria averteretur, & ſumma Summi Pontificis auctoritate tolleretur; cum praeter, atque adeo contra ipſius ſententiam, & in nos benevolentiam, ac paternum plane amorem fieri non dubitaremus; ejuſque rei certiſſimum haberemus teſtimonium, quod Illuſtriſsimi nuper recolendae memoriae Cardinalis Caraffa, litteris undecima Decembris anno 1583. ſua manu ſcriptis, a Sixto Quinto denuntiaſſet decretum ac conſtitutum, ut ſecundum Privilegia Apoſtolica nobis conceſſa, cauſa haec huc cognoſcenda ac decidenda remitteretur; idque Auditori Camerae fuiſſe ſignificatum, ut a moleſtia alumno noſtro deinceps inferenda deſiſteret. Quae res adverſarium noſtrum excivit Romam, ut quibus quibus artibus hanc Pontificis ſanctam juſtamque voluntatem per inſidias ac cuniculos ſubverteret; quod fecit, circumventa religione Auditoris generalis Camerae Apoſtolicae, qui tum erat Reverend. D. Horatius Burgheſius,

ſius, & Vicariorum ejus, ſeu Locum Tenentium; impetravitque eas, quas paulo ante diximus ſententias ac cenſuras, adjutus hac in re & ſubnixus patrocinio unius ex Rotae iſthic Auditoribus Oranitii: qui neſcimus ſane qua conſcientia; illud ſcimus immodico ſtudio ubicumque poteſt, ita ſe rebus noſtris adverſum exhibet, quaſi conturbanda hac univerſitate, ſacrificium ſe facere, aut ſanctae Sedi Apoſtolicae placere poſſe exiſtimet; & auctoritate, quam iſthic obtinet, velut jurato, nobis exagitandis abutitur per impotentiam. Quod ad Paternitatem Tuam ſic perſcribimus palam & ſine tegumento, quaſi apud animum noſtrum loqueremur, ut videas quantum nobis fiduciae in Baronio ſit collocatum, & quam eum plane noſtrum nobiſque addictum arbitremur. Tu pro ſumma tua diſcretione ac prudentia, ſive apud Illuſtriſſimum Cardinalem Sfondratum, ſive apud Reverendiſſimum Britonorienſem, ſeu ubi alias ex uſu & re noſtra eſſe judicabis, ſic aperies ut ille quam minime ſe offenſum poſſit queri, aut impetitum; ſed ſentiat interim, ſeu Sanctiſſimus Pontifex, ſeu hi qui apud eum proximum auctoritatis locum tenent, cui hanc noxam, quae nobis accidit, adſcribamus, ut occurratur impotentibus ingeniis, ne temere vel audacius noceant praeter intentionem Sedis Apoſtolicae; nec quietem nobis turbent, qui totos jam tredecim annos in continuo pene martyrio vivimus pro una noſtra in Catholicam Romanam Eccleſiam perpetua fide, obſervantia, ac devotione; omni pene alio, abs humanis rebus exuti ſolatio, niſi quod nobis in benevolentia Sedis Apoſtolicae eſt repoſitum, quo ſolo vivimus, & ducimus ſpiritum. Nunc expende Doctiſſime Baroni, quae futura ſit hujus Univerſitatis conditio, ſi nominationis beneficium, quod a Sede Apoſtolica praecipuum habemus, ita nobis tuendum eſt, ut de eo neceſſe ſit noſtris hinc Romam ire litigatum: nam quae res ad magiſtros nobis invitandos, & excitandos inventa inductaque eſt, ea ſcholis noſtris ſubducet, ac ſubtrahet illorum tam utilia ac neceſſaria miniſteria; & quod illis ad laborum ſolatia, & poſt confectam aetatem in juventute informanda ad ſenectutis quietem proficere debebat, meliores annos inutiliter eripiet vitilitigando, & magnum ſubſidium ſenectuti auferet, exhauſto in longinqua ac peregrina lite omni peculio; atque ita illuſtre hoc beneficium nominationis, quod hactenus tanti aeſtimavimus, nobis noſtriſque & publice & privatim vertet in maleficium: quod huic noſtro Gysberto accidit, cui intra triennium retro proximum, hic cruciatus prope trecentis ducatis conſtitit.

Quod

Quod vero nobis erat eventurum, qui ſi non eum conſolando, & omnem operam pollicendo retinuiſſemus, opera ejus, ſcholis noſtris perneceſſaria, eramus cariturì; id nobis noſtriſque impoſterum, ſi haec via non praeſcinditur, futurum eſt, ſi nominationis privilegium projicere malimus: quod inſidioſe conantur hi, qui hos nobis ludos faciunt; ut ſic ſub obtentu juris, & quod gravius eſt Sedis Apoſtolicae beneficiis nos expolient. Hoc plane ſcimus ac confidimus Sanctiſſimum Pontificem non admiſſurum, ſed emendaturum, pro ſuo in nos paterno affectu, ubi cognoverit & tua opera, ac interceſſione per Illuſtriſſimi Cardinalis Sfondrati, & Reverendiſſimi Britonorienſis: quibus omnibus, inter caetera, hujus rei apud ipſos procurationem tibi ſummis ac enixiſſimis precibus a nobis impoſitam eſſe, velut ſalutis noſtrae partem, ſignificamus, uti exempla litterarum noſtrarum, quae hac de cauſa ad te mittimus, oſtendent. Cum Baronio enim jam nunc ſic agimus, ut cum Gravio ſolebamus, quando ita voluiſti. Clemens Sublindius Paternitati tuae ſupplicationem tradet, quam cum adjunctis documentis pro hac cauſa tranſmittimus exibendam Pontifici, ſive per te, ſive per Britonorienſem, vel quem magis judicabit is: per vos ſane, & per Illuſtriſſimum Sfondratum ita commendandam, ut exitus hujus rei pro certiore arra nobis eſſe queat amoris veſtrum omnium. Jam annus eſt, & aliquanto amplius, quod Alumni noſtri illuc evocatio facta ſit, & prolatae ſententiae, ac cenſurae inſecutae: adverſus quas conſilio noſtro, alia re nulla, quam proteſtatione & provocatione ſeu appellatione ad Sanctiſsimum D. Papam Gysbertus noſter hactenus ſe munivit. Quod cum eo tempore, quo hujus vulneris nobis illati ad nos perlatus eſt nuncius, in procinctu jam ad urbem eundi eſſet D. Gravius, eum hujus cauſae procurandae mandato in prima acceſsione non duximus onerandum: ſucceſsit interea mors Sixti, deinde Urbani, poſt haec diuturnior ſedis vacatio & interregnum, poſt Gregorii moderni auſpicatiſsimam coronationem: Gravio recepto in Vaticanam, primam congratulationem ſine moleſtia venire voluimus. Judicavimus tamen, quod alioquin praeſciebat, proximis noſtris litteris hanc illi procurationem, ut rei maximae, & quae ad ſummam hujus Academiae pertineat, iri impoſitum; dum interea ille e vivis exceſsit, tu in ejus locum apud nos ſuccedere dignatus es, ſuccedis in curam etiam hujus rei, quam, recollecto non nihil a luctu ac dolore animo, commendamus Paternitati Tuae, quam poſſumus enixiſsime, rogamuſque ut & prolixiorem hanc ſcriptionem,

nem, quae excrevit a noſtra ſollicitudine. Etſi liberius tua benevolentia uti videbimur, pro tua ſumma humanitate boni conſulas, ac ignoſcas: quod profecto cum pudore facimus, & omnino ſane non faceremus, niſi tantum momentum aſſlictiſsimae Univerſitatis hac in re poſitum eſſe arbitraremur: ex quo etiam illud potes intelligere, quantum hoc beneficio nos obſtringes. Deus Opt. Max. cum omni benedictione te nobis quam diutiſsime ſervet incolumem. Lovanii IV. Auguſti MDXCI.

EPISTOLA XXX.

CAESARI BARONIO

JACOBUS DE MARQUAIS ABBAS

S. MARTINI TORNACENSIS.

Hortatur eum, ut abſolvat incoeptum Annalium opus, quod ab haereticis laudari teſtatur.

Diu abs te expectatas, & deſideratas litteras tandem accepi 26 Auguſti Pater amatiſſime. Plurimum dolebam, & anxius eram, totoque animo perhorreſcebam, ubi a Reverendiſſimo noſtro te aegrotari intellexi, ſed benedictus Deus, qui deducit ad inferos, & reducit, mortificat, & vivificat; gaudeo certe plurimum te convaluiſſe, ut ſcribis poſtremis litteris. Voluit Dei providentia, & bonitas ſumma adhuc Eccleſiae ſuae conſulere differens optatam coronam, quam doctiſſimis & eruditiſsimis tuis Annalibus maxime illuſtras, & praemunis adverſus haereticorum phalanges. Faxit eadem Divina bonitas, ut tantum opus ad gloriam, ad honorem nominis ſui, & ſponſae ſuae Eccleſiae tandem ad finem deducere, & ante abſolutum tuum opus ex hac vita non ſubducaris. Sane, ut ſine adulatione dicam, & eſt ipſa veritas, nihil a pluribus annis prodiit tam abſolutum, & elaboratum, doctum, & utile, imo neceſſarium, iſtis praeſertim luctuoſiſsimis temporibus, ut ipſimet adverſarii noſtrae Religionis fatentur: quod & ipſe audivi a quodam eorum doctiſsimo, ſed perverſiſsimo, & in ſua haereſi obſtinatiſsimo haeretico. Quaeſo R. P. ne moerore dejiciaris, adhuc tibi quidem longa reſtat via; ſed comede panem vitae, & bibe hauſtum aeternae ſapientiae, ut facilius ad Montem Dei Oreb pervenias; ſatage, indeſatigato labore, & feſtina ornare, & juvare Eccleſiam Dei, ut quodcumque poteſt manus tua, facias, & feliciter abſolvas, & Anna-

nalium opus, & quod paſsim meditaris facere de Annotationibus in vitis Sanctorum, nemo ſane felicius te id praeſtare poterit. Cogita non tibi ipſi vivere, ſed Eccleſiae Dei, infinitiſque prodeſſe hominibus, & merita tua augere in dies; *Viriliter igitur age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum*. Verum quidem eſt, pro ratione hujus mortalitatis ſemper nos debere eſſe pavidos, & expectare debere diem Judicii cum timore, & tremore; ſed cum tanta ſigna felicitatis futurae intus conſpiciamus, immo ſpiritum Dei intra nos ſentiamus, dirigentem nos, quid angimur, & cruciamur animo? Sis bono animo, mi Caeſar, Pater Amantiſsime, & nihil prius, vel poſterius habeas, quam indefatigato labore agere quod agis, ut ad metam decurras, & non ceſſes donec opera tua, ſuaviſsima Eccleſiae Dei, conficias, ſine fine duratura; immo illis abſolutis ſerio reliquum vitae tempus in elucidatione ſponſae Dei conſumas, ut vitam conſequaris aeternam: quod futurum ſpero; juſtus enim Judex habet coronam juſtitiae tibi in illa die reddendam pro tot, ac tantis laboribus exhauſtis. Expectavi hactenus ſecundum veſtrum tomum; ſe ne ſis modo ſollicitus illum ad nos tranſmittere; ſpero enim propediem me illum a Moreto accepturum. De tertio autem mittendo precor, ſerio cogita cum primum licuerit. Si qui ſint hic libri, quos habere deſideras, ſcribe, & mihi rem gratiſsimam feceris; nec in me ulla erit mora. Ubi Martyrologium Sanctorum Belgii abſolutum fuerit quamprimum vobis tranſmittam. Res Religionis noſtrae, & hic in Belgio noſtro, & in Gallia ſunt in peſsimo ſtatu, nec in pejore eſſe poſſent. Inimici noſtri extulerunt caput, videmurque ab ipſis jam jam devorandi, niſi Dei bonitas illorum conatus irritos fecerit: quod ſpero futurum, ſi ex toto corde ad illum univerſi arma poenitentiae ſerio amplexi fuerimus: nondum advenit exercitus Suae Sanctitatis. Paratur hic exercitus in Galliam mittendus, ſi proſperum habuerit ſucceſſum, mox ſignificabo. Memineris quaeſo ſemper tui Jacobi, cujus anima tuae conglutinata eſt. Dolet ſupra modum, ſi quando per multos menſes a ſuo Baronio chariſsimo nullas acceperit litteras, vel ſaltem aliquam commendationem, ſi quando ad Reverendiſsimum noſtrum ſcribere contigerit. Vale Pater amantiſſime, & in ſpiritu hilaritatis Domino Sacrificium laborum tuorum in dies offerre non ceſſes. Ego pro mea exiguitate precibus meis tibi non deero. Raptim e Coenobio noſtro D. Martini. Tornaci. Anno Domini, MDXCI. 28. Auguſti.

EPI-

EPISTOLA XXXII.

CAESARI BARONIO

PAPIRIUS MASSONUS (*a*).

Annales laudat, & ut quam primum in Gallias mittantur ad afflictorum recreandos animos rogat, ſuumque opus de Romanis Pontificibus mittit.

Victorius, & Sigonius duo Italiae lumina, multique alii celebres viri ad me litteras dedere, ſed non minorem ex tuis laetitiam ſenſi, doctiſſime Baroni, qui nunc tertius Patriae ſplendor, & vere, & merito dici potes. Ingenii enim tui maximae, & expeditae dotes, immortalem nomini tuo famam parient. Atque utinam libri illi, quos enumeras, primo quoque tempore cis Alpes videantur, ne nos lectione rerum, quas continent, pluresque eruditiſſimi in Gallia viri diutius careamus! Ejuſmodi enim ſunt meo quidem judicio, ut facile tot malis obrutos homines recreare, & inexpugnabili pene dormiendi neceſſitate victos, excitare poſſit. Doleo quod opus meum de Romanis Pontificibus non legeris, daboque operam, ut quia Romae inveniri non potuit, Lugduno per curſorem ad te mittatur. Nam quaedam in eo eſſe, quae modeſtis, & eruditis aliquot viris diſpliceant, moleſte fero; praeſertim ſi ſunt Itali, quam gentem judicio valere prae caeteris ſemper exiſtimavi: correcturus quicquid, & iis, & tibi videbitur, more ſcilicet magnorum virorum, qui, & ſi ſua emendant, nihil tamen laudis & gloriae ſibi detrahunt; quod Hippocrati claro admodum auctori accidiſſe, Celſus ait, quem ſimplex veri erroris confeſſio nobiliorem apud omnes reddidit. De iiſdem Pontificibus volumen aliud nondum excuſum habeo; ſed edetur, ſi ſereniora nobis tempora aliquando illuxerint. Nam haec calamito-

(*a*) Papirius Maſſonus apud S. Germanum natus eſt die 6. Maji 1544. Alverniae in ſtudia incubuit, quibus peractis, Romam ſe contulit, ubi Societati Jeſu aggregatus extitit. Neapoli, Turreduni, Pariſiis docuit. Relicta Societate, Andegavi juris prudentiam didicit; dein meruit inter Senatus Pariſienſis juris conſultos adſcribi. Mortuus eſt die 9. Januarii 1611. aetatis 67. Vir fuit peracris judicii, atque doctrinae. Scripſit libros ſex de vitis Epiſcoporum Urbis Romae Pariſiis editos. A Sede Apoſtolica iiſdem examinatis, decretum eſt, ut eorum interdiceretur lectio, niſi emendari cum approbatione Magiſtri Sacri Palatii. Annalibus Francorum, hominum illuſtrium elogiis, Galliae deſcriptione, aliiſque operibus eruditione praeſtantibus litterariam Rempublicam locupletavit.

mitoſa,& turbulenta eruditis ingeniis adverſari, nemo eſt , qui ignoret . Vale . Lugduni . Nonis Septembris MDXCI.

EPISTOLA XXXIII.

CAESARI BARONIO

UNIVERSITAS LOVANIENSIS.

Henricum Gravium primum laudat; Baronium vero deinde mirum in modum extollit , eumque rogat , ut aliqua negotia ſua apud Pontificem protegat.

Litterae tuae Doctiſſime Baroni XII. Calend. Novembris Romae ſcriptae , VIII. Calen. Decembris nobis hic redditae ſunt, ut ſummi tui in nos ſtudii & amoris , ita eximiae cujuſdam humilitatis ac pietatis teſtes locupletiſſimae. Quid eſt enim illud puſillum , quod de te ad Gravium nuper noſtrum ſemper aeſtimas, quem ſane habuimus ſemper pro viro ſummo , & nunc conſtantius ſic judicamus, quando tu nobis in hoc adſtipularis: ſed putas ne Baronium quis quantuſque ſit non recte aeſtimemus , cujus jam habemus & terimus Annalium ſacrorum tomum alterum, expectamus cum deſiderio tertium? Hic foetus non admittit, ut de te modicum, aut mediocre aliquid ſentiamus , extorquet magis ut admiremur. Quare eleva merita tua pro tua humanitate quantum voles , eris tamen nobis ſemper pro Gravio , nec deſines interim eſſe Baronius , hoc eſt per te undequaque ſummus, ſumme pius , ſumme doctus , cujus allectione magnum decus huic litterario municipio acceſſiſſe ſemper judicabimus . Cauſam noſtram , aut cauſas potius , de quibus ſuperioribus litteris ad te ſcripſimus , commendatiſſimas tibi eſſe re ipſa oſtendis , dum tam ſollicite ac amice nos mones , ut eam novis litteris , novo Pontifici commendemus , quod facimus , ut par eſt . Litterarum , quas has noſtras per te ſacratiſſimo Pontifici dari cupimus , ut videas te apud nos etiam abſentem haberi pro conſilii conſorte , mittimus ſimul etiam exemplar ; rogamuſque negotium Nominationis, quod in cauſa M. Gysberti vertitur , age , preme , perfice , in quo aut ſtat, aut cadit ſalus hujus Academiae : quae nulla eſt , ſi ſubruitur nobis per cuniculos illa Apoſtolicae gratiae beneficentia , ac privilegium nominationis ; manebit illa & paulatim ſe reficiet , ſi hoc maneat . Sed nec parum faciet ad augendam ejus dignitatem , ſi

Digitized by Google

ſi ſucceſſorem a nobis Gravio ſubmitti jubeat Pontifex in typographiam Apoſtolicam: quod futurum non dubitamus, te ſuggerente. Vale Doctiſſime Baroni, ama nos ut facis, & pedes Suae Beatitudinis pro nobis deoſculare cum omni devotiſsima ſubjectione & omni ſtudio. Commenda nos quam enixiſsime caeteris Proceribus, Cardinalibus, Epiſcopis, aliiſque viris Eminentiſsimis, ad quos nuper ſcripſimus, rogaque ut Paternitati Tuae ad promovenda vota noſtra ſe exhibere dignentur ſuffragatores. Lovanii pridie Non. Dec. MDXCI.

EPISTOLA XXXIV.

CAESARI BARONIO

JOANNES SORIA SOC. JESU.

Proponit multas quaeſtiones diſſolvendas circa Hiſtoriam Eccleſiaſticam.

MIraberis forte, Vir optime & ſapientiſsime, me, quem ne de nomine quidem noris, has ad te de fama etiam toti notiſsimum Orbi litteras dare auſum, neque veritum graviora ſtudia a prima ad uſque iſtam aetatem tuam, & de divinis ſcripta rebus, meis leviculis dubitationibus interpellaſſe. Verum, ſi eam amoris vim, quam in hoc pectore adverſum te, opera, quae in Eccleſiae totius utilitatem, & eximium decus protuliſti, non clauſerunt modo, ſed etiam auxerunt, conſideres, non dubito quin & meae audaciae, ſi qua tamen ex amore proficiſci queat, veniam obtineam, & tibi vel hoc nomine jam eſſe admiranda videatur. Etenim, cum tuos illos Annales Sacrae hiſtoriae penu ditiſsimum, aut in Martyrologium de probatis Sanctorum vitis notationes, vivam animi tui imaginem ſubtili penicillo delineatam referentes, adſpicio, invenio plane, has lucubrationes tuas, certiſsimo eſſe teſtimonio non tantum ſingularis, & prope divinae ſapientiae, acerrimi judicii, indefeſsi, & pluſquam Herculei laboris, atque in dicendo apte, & exornate eximiae felicitatis; ſed quod rei caput eſt, incredibilis cujuſdam ſtudii, admirandaeque pietatis; qua videlicet filium optimum erga afflictam, & acerbiſsimis calamitatibus circumventam matrem ſuam accendi, & commoveri par ſit. Perpendebas credo jam olim, & quidem ſedulo, quot mala invexerit, quaſque calamitates importarit in orbem perditus, pernoxuſque labor,

Digitized by Google

bor, quo Novatores functos, dico Magdeburgenſes, quemque in obſcuranda, & pluſquam cimmeriis tenebris obducenda Eccleſiae hiſtoria poſuerunt; praeponebas ſane ante oculos vana ſomnia, quae pro puro, puto Dei verbo mendaciorum architecti venditarunt. Cum tu, eo auctore, & patrono, qui res labentes confirmare, & jacentes erigere ſolet, omni poſito metu in mediam ipſam caliginem irruens, clariſsimam veritatis facem, ſic omnium oculis propoſuiſti, ut cum primum horum aciem illius ſplendor attingat, tunc errati hos depellendi modum, ante actam vitam, profligatoſque mores deteſtandi normam, & ad Chriſti Domini, ſanctorumque virorum exempla clariſſima (niſi exoculati prorſus ſint, quibus ne ipſa quidem major Chelidonia medeatur) componendi rationem inituros, mihi certo auſim polliceri. Quid autem, ne haec de tuis laboribus quiſque peritus rei arbiter, & Eccleſiae filius ſperet, ſibique promittere poſsit? Si enim divinus ille Plato civitatem poſteris, M. autem Tullius, & F. Quintilianus oratorem talem ſuis litteris effinxerunt, qualem nemo vidiſſet unquam, aut poſtero tempore viſum iri arbitraretur; Tu ipſe te nobis, talem Chriſtianae hiſtoriae Magiſtrum orationis coloribus depinxiſti, qualem optaſſet antiquitas, nemo vidiſſet unquam, neque fortaſſe talis conſequentibus aetatibus exiſtet. Tu enim pro fune illo, quem aliorum, & proprio ſuſpendio illi adornant, narrationem dico iniquorum mendaciorum myriadibus contextam, Ariadneum nobis filum oſtendis; quod arripientes labyrinthi irremeabiles vias ſoſpites, terminum, ac novam terram, novumque coelum adſpicientes, noſtro Theſeo ſecundum Deum laetitiam triumphantes gratulamur. Tu enim non litterarum ſcientia abuſus, aut popularem praedicationem in ſtudiorum tuorum ratione praeponens, ſed ad unam Eccleſiae veritatis aſſertionem, ac defenſionem accomodans, oratione armatus, atque ſingulari ornatus variarum rerum cognitione, Haereticorum obviam ire conatibus, amentiam frangere, audaciam refrenare ſic incoepiſti, ut viam non valeant habere, & impune vagari, impetuve ſuo cuncta dejicere, atque proſternere: quod erat unum in Chriſtianae hiſtoriae firmitudine pertimeſcendum. Tu denique gladium extorſiſti hoſti de manibus, eique illa ipſa acie caput amputare non timuiſti, qua ipſe fidelium jugula petebat. Macte virtute animi tui Caeſar, macte clariſſimi, limatiſſimique ingenii praeſtantia, Baroni ornatiſſime: felix certe ſaeculum hoc noſtrum, quod eum virum meruit, ſuperis lubentibus, agnoſcere, qui Eccle-

ſiae

ſiae ſit propugnator ſtrenuus,oblatrantium Haereticorum ora, atque fauces obturans,& Catholicorum unicum & praeſidium,& perſugium, ac tutiſſimus portus, in quo tandem aliquando ventorum vi huc, illuc disjectae naves in magna tranquillitate conquieſcant.

Sed quia vereor ne, dum haec ſcribo, tuis religioſiſſimis auribus obſtrepere potius videar, breviter conſilii, inſtitutique mei rationem aperiam, & quae me, praeter allatas rationes, ad ſcribendum adegerint, explicabo. Meditabar aliquot ab hinc annis de ſacra, ſed reconditiore hiſtoria opuſculum, quod Παραλειπόμενα inſcriberetur. Collegeram in eum finem non pauca. Creſcebat opus, cum in Annales, notaſque Martyrologii tui incido: ex quorum primo aſpectu, quam latum campum, quamque copioſam meſſem, Deus bone! concidi ſtatim, abjecique cum calamo ſimul & hanc curam. Ne tamen omnino perirent, quibus inſudaveram perveſtigandis, nactus occaſionem opportunam, (Pater enim quidam Genuam reveniebat) conſtitui te de quibuſdam conſulere, de quorum cognitione maximo deſiderio jam inde tenebar (a). Ea vero partim chronologiam, partim hiſtoriae veritatem requirunt. Ad quae, Vir religioſiſsime, ſi non graveris reſpondere, & me ſummo quodam beneficio affeceris, & reſponſionem tuam Delphici Oraculi loco habendam exiſtimabo. Ad dubitationes igitur deveniendo illa fuerit

Prima. An Simeon is, cujus laus eſt in Evangelio, quemque Bethſaidenſem quidam faciunt, ex Sophronii homilia de Petro, & Paulo, Coecus, primum quidem fuerit, ſed Chriſti Domini, veri ſcilicet luminis praeſentia tenebras diſpulerit, ademptumque viſum recuperarit, quod & ipſi ante fuerat adpromiſſum? Hoc enim, tum mirifice cum narratione congruit Evangeliſtae Luc.2. ibi. *Quia viderunt oculi mei &c*; tum vero hoc ipſum ſemel & iterum habetur ex proemio altercationis Jaſſonis, & Papiſci, ſeu ut Morellius inſcribit de Judaica incredulitate ad Vigilium, Operum Cypr. to. 3.; quo loci id obſervat notatione 4. Pamelius. Eum vero librum agnoſcunt Origenes Lib.4. contra Celſum, Hieronymi traditio in Geneſim initio, ut, praeter Scholiaſtem in argumento, Sextus ſecundo Biblioth. in Jaſſone Theſſalonicen. ſcriptum reliquit; praeterquam quod ipſius libri fides ex rerum ſententiarumque gravitate plane arguitur. Mirandum vero, quod haec hiſtoria Nicephorum, & Cedrenum effugerat; quia aliam, neque

(a) Quae hiſce quaeſtionibus Baronius reſponderit, habes in Epiſtola ſequenti, quam conſulere poteris; uti & noſtras ad illam Adnotationes.

aeque reconditam ex Iſaiae teſtimonio, de Simeone primum non intellecto, haud diſſimularint: quos ſi non tu, at certe Caniſius noſter (a) in Mariali recenſendos putavit. Unus eſt Timotheus Hieroſolymus, qui inter alios graecos, qui orationibus ſuis ὑπαπαντῆς Domini celebrarunt, huic rei fidem derogaſſe videatur, dum in Simeone viſum agnoſcit, cum Divam puerperam in templo praeſtolabatur; tunc enim oculos in omnes Templi partes conjeciſſe, eumque inter caeteras matres Virginem nova etiam luce coruſcantem vidiſſe, & viſam commendaſſe teſtatur. Sed hoc quicquid eſt, teſtimonii narrationem non fuiſſe hiſtoricam tecum dicere non detrectabo.

Secunda. Num Philo Alexandrinus, eloquentia & legationibus Romae etiam notiſſimus, Chriſtianam veritatem fuerit aliquando amplexus? Noſter quippe Turrianus, vir; quod de eo retulit Caniſius; in pervolutandis Graecorum monumentis magna cum laude verſatus, idque Magdeburgi prodidit ex Photii Bibliotheca in Philone. Quem vero hominem nominavi? quem & mille libri a ſe lecti, de quibus omnibus judicium acre tulit, & alii ab eo editi, non obſcure indicant eruditiſsimum fuiſſe: quo eum nomine Tonaras in Michaele plurimum commendavit, ac quod erga Homerum feciſſe Poetas finxit antiquitas, ut phyalis ejus vomitum colligerent, idipſum erga Photium plurimum feciſſe unum Turrianum planiſsimo eſt argumento. Addit deinde Photius Philonem prae ira, triſtitiaque, a noſtrae legis clariſsima luce ad Judaiſmi tenebras defeciſſe: quod & Theodotioni contigiſſe memorant ſcriptores, & dolent. Hinc jam difficultas expediri poſſe videtur, de qua in Annal. An. D. 42 verſus finem, fuerit ne Philo Chriſtianorum ſtudioſus án non? Primum enim, eos dilexiſſe dicam, ut quorum fuerit vitam ſtylo proſequutus, & inſtitutiones profeſſus; mox vero odio, & inimicitia exarſiſſe in ipſos, ut de homine ad Judaicae haereſis vomitum redeunte par fuerit exiſtimare:

Ter-

(a) Petrus Caniſius nobili genere natus Noviomagi ad Vahalim fluvium, in Societatem Jeſu aggregatus, Theologus fuit inſignis. Ob ejus Doctrinae praeſtantiam ab Ottone Cardinali Auguſtano ad Sacrum Concilium Tridentinum, a Ferdinando Imperatore Wormatiam contra Melanchthonem haereticum, a Pio IV. P. ad Principes Germaniae in Fide confirmandos miſſus eſt. Poſtquam vero Romae in Siciliae, ac Germaniae Academiis docuiſſet, diuque apud Ferdinandum Imperatorem ſumma laude Dei verbum praedicaſſet, & ab ipſo Societatis Fundatore S. Ignatio primus Provincialis Societatis in Germania datus fuiſſet, Friburgum venit, ubi Collegii Societatis Jeſu fundamenta jecit. Religionis Catholicae ſuo tempore columna dictus eſt. E vita deceſſit aetatis ſuae anno ſeptuageſimoſeptimo in Feſto S. Thomae Apoſtoli an. 1597. Summam doctrinae Chriſtianae juxta ſententiam & Doctrinam Concilii Tridentini ſcripſit, Commentarios de Verbi Dei corruptelis. & alia, quae in Soc. Jeſ. Bibliotheca a P. Allegambe recenſentur.

Tertia. An fidem mereatur ea hiſtoria, quae in Ignatii Martyris corde dulciſsimum Jeſu nomen inſcribit? Apud Graecos, certe Euſebium, Evagrium, Metaphraſten, Nicephorum de illa altum ſilentium; quin & Latinorum Antiquiores de ea ne verbum quidem. Recentiores tantum invenit patronos Equilinum, Faſciculum, Antoninum. Solus Ado, qui cum in Martyrologio Ignatium ſtrangulatum a leonibus tantum, non etiam diſcerptum in partes dicat, conjecturae locum relinquit, ut probari poſsit in recens occiſi corpore id experimentum forte a militibus deſumptum. Id quod inde confirmo, quod homilia in laudem Ignatii Chriſoſtomus, Graecorum Menologium, & Martyrologium Romanum hodierna die, ipſius Divi Corpus, non reliquias, & majora Corporis oſſa, quod Graeci allati ſupra dicunt, Roma Antiochiam, fidelium humeris, fuiſſe delatum aſſeverent. De hac vero hiſtoria Tu forte in ſecundo Annalium Tomo, quem adhuc deſideramus. Obiter autem, quoniam in praeſentem diem incidit Lazari Epiſcopi memoria, miror cur non memineris hujus traditionis, quem Epiphanius, Manichaeos confutans, indicavit; XXX. ſcilicet aetatis anno ad vitam Chriſti Domini imperio revocatum, perque idem ſpacium ſupervixiſſe, ut veritatem miraculi, vita tanto tempore ſuperſtes, comprobaret.

Quarta. Probatae ne ſit auctoritatis, & fidei, quod Jacobus frater Domini, claudus jam inde redditus fuerit, ex quo inimicus homo (Saulum hunc dicit Abdias VI. Certaminum) Jacobum adortus in templo, e ſummis Altaris gradibus hominem deturbavit: & accepto in reliquos diſcipulos accenſo ligno, cuncta vocibus complere, propriaeque gentis, ſectaeque homines ad laeſi numinis vindictam adhortari. Teſtis eſt harum minarum, & incurſuum, praeter Pſeudo Abdiam, Clemens II. Recognit. extremo: nec aliena videntur ab his, quae Lucas de Paulo, Paulus de ſua erga ſynagogam fide in ſacris litteris tradiderunt. Ne recentiorem in re antiquiſſima opem, & teſtimonia corrogemus, ſcio equidem, quo ſint apud te loco Clementina opera, Conſtitutiones, Canones, Epiſtolae, maxime vero Recognitionum volumina. Quae tamen viri doctiſſimi non omnino ſibi contemnenda putarunt, quos partim Turrianus, partim Gratianus collegerunt. Sed hoc cum non tam philoſophiam, quam hujus temporis hiſtoriam ob oculos proponant, non tantum ſuberit periculum, ſi ita fuiſſe credamus.

Quinta. An Dialogus de Paſſione, qui Anſelmi operibus adjungitur, ejus ſit partus legitimus dignuſque, cui fides accomode-

modetur? Videas enim hunc Anſelmum Virginem Matrem ſecum loquentem inducere, ac multa de perpeſſione Chriſti promentem non longe abſimilia iis, quae Apollinaris in Tragedia Chriſtus patiens dicta, ac quae Metaphr. oratione de vita, & morte Deiparae, uti ex ejus ore profecta, retulerunt. In his illud pono, quod ii nummi 30., quibus Chriſtus Dominus divenditus eſt a Diſcipulo, fuerint ii ipſiſſimi, quibus & venundatus fuerat Joſeph, quorumque ſinguli Judaicos 30 valuerint: & illud, quod Beatiſsima Virgo velum, quo fuerat caput obnubere ſolita, commodarit in eum uſum, ut filii corpus nudum, pro eo ac Virginem Matrem decebat, obtegeretur, & alia hujuſmodi. Reperta eſt autem ſuperioribus diebus in Templo hujus Urbis maximo, dum Turris antiquiſsima diruitur, veli pars quaedam Beatae Virginis: cui teſtimonium reddebat lingua, & caractere Arabico Caecilius, qui ejusdem Civitatis primus fuit Epiſcopus. Quae res cum primo omnium animos in admirationem rapuiſſet, mox vero collatione temporum, & hiſtoriarum adhibito judicio, concedere viſa eſt. De qua longiorem diſputationem inirem, niſi te de ea conſultum exiſtimarem.

Sexta. Quo ex fonte manavit γνώμη illa cedro digniſsima; Fidelis viri totus mundus divitiarum eſt, infidelis ne obulus quidem. Priorem namque ejus ſententiae partem refert Caſsianus Collatione ultima cap. finali: quaſi ex ſolo petitam ſcilicet; quo loci tamen nec docet Kuichus ibidem. Integram vero D. Hieron. Epiſt. ad Paulinum, quae Bibliis latinis praefigitur, ſed ſine auctore: quem Eraſmus in Scholio, Liranus, Abulenſis, Richelius in eundem prologum etiam ſubticuerunt: forte in harum ſit reponenda numerum, quas inſtar apophtegmatum Chriſti Domini olim primi Chriſtiani frequenter in ore habebant. Ejus generis eſt illa. Eſtote boni trapezitae: de qua Hieronym. Epiſt. ad Minervium, & Damaſſ. 4. fidei. Et illa; In quibus te reperiam, in his te judicabo; quam Juſtinus Martyr in Triphone, Origenes in Jerem., ut a Domino prolatam magnifecerunt. Illius etiam auctorem aveo ſcire; Vidiſti fratrem tuum, vidiſti Deum tuum: quam indicat Clemens Strom. 2. pag. 444. in par. & ni fallor Palladius in Lauſiacis. Spero autem, ut digito in fontem intento, noſtri deſiderii ſitim extinguas. Diaconum namque, aut Marianum non licuit ad manum habere.

Septima. An aequas mereatur aures quod Eulogius Cordu-

Digitized by Google

dubenſis (*a*) in Apologetico Mart. quaſi apud noſtrates pervulgatum tradit, latronem illum, qui in Cruce Chriſto dexter fuit, fraterno ſe cruore foedaſſe, & quod ille dixit in ſua converſione, id de germano fratre interimendo audax facinus aperire non dubitaviſse. Ambroſius certe, & Leo primus hujus flagitii non meminere, nec Scholiaſtes Eulogii id nullius auctoritate confirmat. Poſtquam haec ſcripſeram, incidi in D. Gregorium Lib. VIII. Moral. cap. XXV. antiq. edit. quo loco cum Eulogio conſentit. Rurſus audiendus ne ſit Hieronymus de vera Circumciſione, aſseverans Virginem Matrem inſtar alterius Sephorae Chriſtum octavo die circumcidiſse, quod Bernardo etiam alicubi probatum fuit; an vero Syrus potius Ephrem, qui oratione de Transfiguratione verſus finem id munus Joſephum exiſtimat obiiſse. Deinde verum ne ſit, quod Martinus Polonus in Chronico ſcriptum reliquit, ejus nimirum temporis, quod Adventum nominamus, D. Petrum Apoſtolum fuiſse primum auctorem; nam alioquin hujus auctoris ſuſpectam fidem abunde declaravit Onuphrius in Scholiis ad hiſtoriam Joannis VIII.

Octava. Num in MS. Codice Vaticano de Veronica incidat forte ſermo de altera ejus nominis effigie? Extat enim Giennii Sudarium, quod qua par eſt veneratione, & digna pompa bis quotannis populo religionis ergo eo confluenti oſtendi ſolet;

I i nec

(*a*) S. Hujus Eulogii Cordubenſis Martyris, Doctoris, & electi Archiepiſcopi Toletani ſplendidum attexuit Vener. noſter Cardinalis Baronius encomium in notis ad Martyrolog. Romanum ad diem XI Martii hiſce verbis. „ Acta Eulogii Cordubenſis ſcripſit Alvarus „ Cordubenſis ejus ſodalis, ſed felicius, mea „ ſententia, ſua ipſius ſcripta vivam ipſius „ imaginem reddunt. Haec ille praeclarus „ Chriſti athleta, qui cedentibus caeteris, „ vexillum confeſſionis adverſus Arabum im„ pietatem erexit, ac plurimos ad martyrii „ coronam perduxit, quorum triumphos ip„ ſe in carcere poſitus ſcripſit. Extant hac „ noſtra aetate e latebris antiquitatis eruta „ praeclariſſima ſcriptorum ipſius monomen„ ta, quae Apoſtolicum ſpiritum redolent, „ & puriſſimam priſtinam illam ſeveritatem „ praeſeferunt „. Et in notis ad diem XXIV Novembris de eiſdem Eulogii ſcriptis haec addit. „ Omninoque ejuſmodi ita ſcripta „ ſunt, ut in pixide Spiritus Sancti calamum „ intinxiſſe S. Eulogius videatur. Hujus ſancti Acta habentur quoque apud Surium eadem die XI Martii, in qua ejus dies natalis inſcriptus eſt in Martyrolog. Romano. Ejus autem opera ſtudio & diligentia Petri Poncii Leonis a Corduba Epiſcopi Placentini tum iniqui fidei Chriſtianae per regna & ditiones Philippi II. Regis Catholici Inquiſitoris repertas; & per D. Ambroſium Morales Commentariis illuſtrata; habentur tum in Schotti Hiſpania illuſtrata tom. IV. pag. 213, tum in Bibliotheca Patrum Lugdunenſi Tom. XV. pag. 42, & ſeq. Fragmentum autem ejuſdem de Factionibus adverſus Carolum Calvum extat inter Scriptores Francicos Duchesnii tom. II. pag. 399; ſicuti & vita S. Perfecti, ab eodem S. Eulogio conſcripta, reperitur in Aprili Bollandiano tom. II pag. 585. Scripſit autem idem S. Eulogius praeter citata opera, & Apologeticum pro geſtis Sanctorum Martyrum Cordubenſium, cujus mentio habetur in hac Sociae epiſtola; ſcripſit, inquam, Libros tres de Martyribus Cordubenſium, *Memoriale martyrum* ab eo nuncupatos; Exhortationem item ad martyrium duabus virginibus Florae & Mariae, jam in carcere pro Chriſti confeſſione comprehenſis; Epiſtolam praeterea ad Willienſindum Pompelonenſem Epiſcopum, in qua peregrinationem ſuam in Galliam commemorat, aliaſque etiam epiſtolas, quae habentur locis citatis.

nec tamen apparet unde illuc, quave aetate fuerit advectum. Cum vero Moralem, dum viveret, ea de re conſulerem, reſpondit ſe praeter nudam traditionem, quod ſcriberet, habuiſse nihil. Galleſinius, ni fallor ad IV Febr. cum de Veronica tractat, Blondum, & monumenta mediolanenſia protulit; ex quibus tamen mihi adhuc eſt incompertum, Giennenſi ne cum Romana ſit quidpiam commune; uti nec ex his, quae Bergomas in Supplementum congeſſit. Utinam Marianus Scotus, aut quiſpiam alius ejus rei, vel tenue veſtigium oſtenderet: id certe ejus urbis Epiſcopo Illuſtriſſimo, & nobiliſſimae Eccleſiae pergratum foret, perque jucundum.

Nona. Num quae fuerit Lex fuſtuaria de fontibus plectendis Romae lata? Franciſcus namque Coſterus noſter (*a*), vir aeque pius, ac doctus, in Meditationibus de Paſſione, ea cautum fuiſſe dicit, ut crucifigendi tamdiu vapularent, donec omnes Romanae cohortis milites, (ii, ait, erant numero centum) & quidem quot quiſque plagis eos afficere voluiſſet, miſeros verberaſſet. Hincque certo ſtatuit flagellorum, quae pertulit Chriſtus numerum quinque millenarium exceſſiſſe. Ego certe ſic ſtatuo, nullum Sanctorum Patrum, ante Lodulphum Carthuſianum, de numero plagarum Chriſti fuiſſe ſollicitum; nec Bonaventuram ipſum, pium paſſionis Chriſti expenſorem, licet Taulerus falſo ei affingat contrarium; neque revelationes, quas afferunt, tanti ſunt ponderis, ut eum numerum conficiant. Quamobrem ex Patribus, & Evangeliſtis non adeo magnus exurgit; & ſi atrocem fuiſſe flagellationem non dubitem. Certe Romanorum, Judeorumque leges multo mitiores fuerunt, quod & Pauli flagra manifeſtant. Deinde nec tempus ſup-

(*a*) Fuit hic natione Belga, patria Mechlinienſis. Vivente adhuc S. Ignatio Soc. Jeſu Fundatore ann. MDLII Romam venit adoleſcens, & in Romano Collegio humanioribus litteris operam dedit. Inde anno MDLVI in eamdem Societatem adſcitus, Coloniam tranſiit, ubi Philoſophiae, rerumque Theologicarum eximiam cognitionem adeptus, facri Doctoratus inſignia in eadem Colonienſi Univerſitate ſuſcepit. Obiit Bruxellis die vi Decembris ann. MDCXIX aetatis ſuae LXXXVIII, ab inita Societate LXVII. Praeter Opus de Meditationibus Dominicae Paſſionis, cujus mentionem facit Soria in hac Epiſtola, ſcripſit etiam Coſterus latine Meditationes de vita & laudibus Deiparae Virginis Mariae; nec non in precationem *Salve Regina*, & Hymnum *Ave Maris Stella*. Praeterea Libellum de quatuor Noviſſimis humanae vitae, Cracoviae 1614; Exercitium Chriſtianae Pietatis, Lovanii 1607; Declarationem fidei contra haereticos Hollandos; Refutationem ad Lucae Oſiandri ſtolidam refutationem VIII Catholicarum propoſitionum, Coloniae MDCVIII. Edidit praeterea idem Coſterus Enchiridion controverſiarum praecipuarum noſtri temporis de Religione; proque eo Enchiridio Apologiam; Epiſtolam ad Franciſcum Gommarum Anticoſterum; Librum de Eccleſia contra eumdem Gommarum; & Libellum ſodalitaris, hoc eſt, piarum Chriſtianarum Inſtitutionum libros tres, ſaepe recuſos Ingolſtadii, Dilingae, Mediolani, Antuerpiae, atque alibi. Plura etiam opera Coſterus Belgica lingua exaravit, quorum Catalogum invenies in Biblioth. Soc. Jeſu a Sotuello producta pag. 222. & ſeq.

ſuppetebat, in quo id potuiſſent milites efficere; alioquin non tam brevi poſſent reliqua tormentorum genera tentari. Unde jaceat neceſse eſt Pauli de Palacio fides, qui in Matthaeum, ſcribens, retulit, a graviſſimis auctoribus notatum eſse, Dominum primo quidem ſpinoſis virgis, deinde chordis, ac demum aduncis catenis flagellatum. Multo certe melius Janſenius ex Euthyc. φλαγέλλιον verber eſt ex funiculis loriſve factus, quo morte plectendi primo afficiebantur. Jacet etiam Coſteri Lex ſine nomine, ſine auctore, ut eſt ipſius Cohortis numerus. Bedae etiam in Mar. ſententia, ipſummet Pilatum Chriſtum flagellaviſſe.

Decima. An Spinea Chriſti corona e juncis fuerit contexta? Non enim deſunt, qui hoc ex eorum ſententia, qui coram preſentesque eam ſunt contemplati, retulerint. Illis certe acumen non defuiſse, id Poetae hemiſtichium; Et acuta cuſpide juncis; ſatis declarat. Quid quod Honcala vir bene doctus Stauricon. Cap. VIII. in hanc rem affert id Jonae II; Pelagus operuit caput meum. Pro quo hebraea habent Juncetum, aut ligatus juncus &c. quaſi Jonas in Careſtofri, *ſic*, littus ejectus Domini figuram incohaverit, qui ſpinoſis papyris eſset olim coronandus. Subjungit vero ex Plinio Lib. XIII. cap. 11. in Ægypto ejuſmodi juncorum flore coronari Deos ſolitos, nec alium ejus fuiſse repertum uſum; ut videlicet id agebant crudeliſſimi homines, ut Chriſtum Dominum cunctis ob Divini Numinis laeſam majeſtatem irridendum proponerent. Ut ſic ejus prophetiam oculorum obductio & alaparum impactio; ejus ſceptrum atque potentiam arundo mollis; ejus etiam fictam, nullamque deitatem juncorum, ſi non floribus aculeatis, certe ſpinis intexta corona ridiculam redderet (1). Quoniam vero de Chriſti diademate diximus, quod de eo Iſidorus Peluſiota Epiſt. xcv. Lib. I. ſcribit graviter, & pie, habes etiam apud Buff. in Symb. notat. 92. Pamel. forte alter ab altero, aut certe ab antiquiore id eſt mutuatus.

Undecima. Quid ſibi velit Clemens V Strom. pag. mihi *616*, dum ait: Non ergo temere pueris praecipimus, auribus eos apprehendentes, ut oſculentur eos, qui ad ipſos attinent; hoc utique tacite ſignantes, ingenerari per auditum ſenſum dilectionis. Haec ille. Quod quaeſo hoc oſculi genus? Sanctum ne illud, de quo tu ex Paulo? Et Plutar. Lib. de Auditoris officio ejus meminit, & Plaut. in Penul. ſic inquit. Sine te praehendam auriculas, ſine dem ſuavium; & Tibul. Lib. II, Natuſque parenti oſcula comprehenſis auribus excipiet, aut eripiet potius. At quo modo non

 ſan-

(1) Tertull. forte de Coro mill. cap. 14. aut Clem. II. Paedag. cap. 8. in fine.

ſanctum, quod teſte Clemente ſignum fidei eſt, & dilectionis a Chriſtianis exhibitae? Et quando de fide diximus ex Clemente; illud, tu, obſecro, pervideas velim, num Templi Pacis fuerit Numa Pompilius aliquando conſtructor. Idem enim Clemens pag.614, hoc ipſum memoriae prodidit; & ſi reclamet Tertull. in Apolog. num.406. Pamel. edit. ubi negat, ulla Templa Numae tempore aedificata fuiſſe. Cum ſaltem Fidei templum eum erexiſſe Cicero, Plinius, Auguſtinus IV. Civi. c.x, ubi illi id, libenter agnoſcunt. Clemens vero non tantum Fidei, ſed Pacis etiam teſtimonium praebet, imo ipſe etiam Petrus Damiani; ſi non in ea, quam Surius, ac Lippom. retulerunt, oratione; at certe in Epiſt.IV. cap.xii, quam rejecit Marguarinus in Sacrae Bibliothecae Appendicem ad Romulum uſque templi Pacis extructionem protendit. Qua certe in re tuam diligentiam non deſidero, ſed opto.

Duodecima. Eſdrae ne tertius & quartus liber, quos apocryphos merito Eccleſia e canone rejiciendos cenſuit, a Chriſto paſſo in lucem editi jure videri queant? Tametſi enim id apud nullum auctorem hucuſque legerim, ſubjit tamen animum, eam opinationem eſſe veritati conſentaneam. Quaedam enim in eis libris reperias, quae cum Thalmudicis ſcriptis mire faciant, utpote quorum fabulas, & ſomnia inſtaurare videantur. Quod Sixtus in Eſdra diligenter obſervavit; quod Chriſto Thalmudicum ſcriptionis genus heſternum ſit; & a nato Chriſto inventum teſtatiſſimum eſt apud omnes; quin & Sixtus, id tandem affirmat, horum quatuor librorum non eumdem fuiſſe auctorem. Nam poſteriores a recentiore neſcio quo Eſdra editos, ex ejudem libris perſpicue videri queat. Certe Stephanus Salazar vir doctiſſimus Carthuſianus monachus, ſibi non diſplicuiſſe hanc conjecturam, mihi aliquando reſcripſit. Antequam vero ulterius progrediar circa libros Machab. libuit etiam dubitationem apponere. Libro enim I. cap.viii. verſu 16. dum de Romanis agitur; Et committunt (inquit Auctor) uni homini Magiſtratum ſuum per ſingulos annos dominari univerſae terrae ſuae, & omnes obediunt uni. Hiſque conſentientia habent Graeca editio Regia, & Pontificia. Quis quaeſo hic unus? Non Caeſar, non Dictator. Hic quippe nec perpetuus erat, nec integro anno munere ſuo fungebatur. Optarem equidem, ut horum ſcrupulorum eximeret aliquis antiquior, aut certe ex noſtri temporis ſcriptoribus aliquis, ut Sixtus, Medina, Driedo, Bellarminus; ſed hic ſilent omnes. Tu ſi loquaris, non eximes modo, ſed omnino conteres, atque comminues. Et haec de Hiſtoriis. Ad Chronologica veniamus.

De-

Decimatertia. Quis ſuerit Magnetes Eccleſiaſticus auctor, & ni fallor vetuſtiſſimus, qui Theoſtenem, Evangeliorum calumniatorem, labbribus apologeticis oppugnavit? Magnetis enim nomen unus celebrat Turrianus, tum alibi ſaepe, tum vero contra Volanum, & ut ad me, quae fuit viri ſapientiſſimi ſingularis humanitas, aliquando reſcripſit, extat modo in Bibliotheca Marciana apud Venetos; notarique dicebat in αὐτογράφῳ, Magnetem quo demum ſaeculo, & aetate floruerit. Utinam ei, quod D. Iſidori Peluſiotæ Epiſtolis, beneficium obtigiſſet; noſſemus videlicet hominem de facie, nec parum Eccleſiae hiſtoriae veritatem promoviſſet.

Decimaquarta. Eadem dubitatione de Joſippo Ben Gorconis ex Haebreo in latinum converſo animus pulſatur? Puto certe, eum antiquum Bengorionem mentiri, qui altèri Joſepho ſuppar & ſynchronos fuit; nam hic, & Gothos nominat, & quaedam alia, quae inferioris aetatis eum fuiſſe ſuadent. Adde, quod hujus rei habeo auctorem Franciſcum Riberam noſtrum (a) ſuis in Habdiam Commentariis. Id quod etiam ex tuo ſilentio colligere mihi videor; cum enim tot, tantaque in Joſepho inveneris caſtiganda, non certe rejeciſſes auctorem, qui eadem de re ſcripſerat, & quandoque ab alterius ſententia multum diverſa, niſi ſuſpicio de adulterino opere tuum animum perculiſſet. Quicquid tandem Margarinus Theophilum Alexandrinum in ejus patrocinium adducat, quem etiam deceptum in eo fuiſſe credam, dum Libri Quaeſtionum in SS. facit Anaſtaſium Nicaenum auctorem; cum contra fuerit Antiochenus ille Patriarcha, dictus etiam Synaites: de quo Evagrius, & alii. Id quod tibi forte impoſuit, dum in Annalibus ejus teſtimonium uſurpatur; ſed praedicta omnia, arbitrio ut ſtent, cadantque tuo, libenter feram. In ea tamen ſententia te eſse cum Nicephoro Lib. XVIII. cap. XLIV, & Turriano in Proe. conſ. maxime gaudeo. Vide quae habes ad April. 21. e, unde infida citatio

(a) Inſignis hic Societatis Jeſu Theologus fuit, natione Hiſpanus, patria Villa Caſtenanſis. Egregiae Sacrarum profanarumque antiquitatum ſcientiae, trium linguarum Hebraicae, Graecae, Latinaeque cognitionem copulavit: quibus inſtructus doctrinis, ſexdecim annorum ſpatio interpretem Sacrorum Bibliorum Salamanticae ſumma cum laude egit, & praeclaros illos edidit Commentarios in duodecim Prophetas minores, ſenſum eorumdem prophetarum hiſtoricum & moralem, ſaepe etiam allegoricum complectentes: qui Romae, Coloniae, ac Lutetiae diverſis temporibus impreſſi ſunt, & quorum idem Ribera veluti compendium edidit Salamanticae anno MDXCVIII. Scripſit etiam Commentarium in Sacram B. Joan. Apoſtoli & Evangeliſtae Apocalypſim; cui adjecit libros V de Templo, & de iis, quae ad templum pertinent, tum Lugduni, tum etiam Antuerpiae recuſos: Commentarium itidem in Sacrum JeſuChriſti Evangelium ſecundum Joannem. Hiſpanice vero exaravit vitam S. Tereſiae Carmelitarum *Diſcalceatorum*, ut vocant, Fundatricis. Qui plura de eodem Ribera ſcire deſiderat, conſulat Bibliothecam Scriptor. Hiſp. Nicolai Antonii Tom. I. pag. 356. & Bibliothecam Soc. Jeſu pag. 247.

tatio conſtabit. Vale iterum Baroni ſapientiſſime, & de noſtra Societate optime mereri perge, quem in hac ſtatione ad Eccleſiae propugnationem diutiſſime Dominus ſervet incolumem. Granatae XVII Decembris MDXCI.

Decimaquinta. Exciderat memoria de auctore hujus libri II Euſebii Emiſſeni publicati quaeſtio, a multis agitata. Paſchaſius etenim Lober. Gratian. c. 92. Corpus de conſ. d. 2. Lombar. 4. d. 10. c. ult. D. Thom. & Scholaſtici dd. tribuunt Euſeb. Emiſseno Graeco; alii Arelatenſi Caeſario, Sixtus Rhapſodiam vocat ex variis Doctoribus, & ut videtur, Bedae, aut Rabano adſcribendam. Caniſius in chronologia Euſebio Latino. Bellarminus de Euchariſtia lib. I. cap. XXX. Fauſto Rhegienſi. Tu in Annal. pro certo ſtatuis, eum Librum Eucherium Lugdunenſem jure ac merito parentem agnoſcere. Quod cum mihi perſuaſiſſimum ſit tua auctoritate nixo; ſed unde tamen in eam deveneris ſententiam libentiſſime cuperem oſtendi. Certe hoc ipſum te in Annalibus demonſtraturum, recepiſti in Eucherio Lugdunenſi ad XVI Novembris.

EPISTOLA XXXV.

JOANNI SORIAE SOC. JESU

CAESAR BARONIUS,

Breviter & erudite multa dubia circa Eccleſiaſticam hiſtoriam explicat.

IN divinis oraculis digna illa ſententia eſt, qua prudentia homines diſcant; Ubi manus multae ſunt, claude; ſed & quod Dominus praecipiat, omnipotenti te tribue; media quadam via mihi incedendum putavi, ut abſque alterius diſpendio ſit utrique conſultum; nimirum ut interpellatus litteris plurimorum, ſic petentibus ſatisfaciam, ut operoſa Annalium ſcribendorum, ſemel ſuſcepta provincia, haud grave patiatur detrimentum. Nunquam putaſſem, frater, te adeo longas, quod Regum eſt, habere manus, ut ab extremo noſtri Orbis littore eas in ſacculum noſtrum extenderes: exoſculor eas, & apoſtolico exemplo, junge dexteram dexterae, quo unanimes, unoque ore ſimul Chriſtum annunciemus. Sed quam iiſdem tuis manibus meis laudibus tantas pancarpias, adeo praeclaras offers (quod Deo Optimo Maximo debi-

debitum donum ſit) non homini, ſed Numini illam dedica. Sum vir videns paupertatem meam. Lauda, rogo, parcius; ſed cumulatius ama, atque uberius, vehementiuſque pro me Deum roga. Hiſce legibus inter nos foedus perpetuae amicitiae ſanciatur.

Quod ſpectat ad propoſitas a te quaeſtiones accipe, quae brevi lucubratione, furtimque ſubrepta, eodem ferme momento concepit, atque peperit noſtrum ingenium, reddam ad eas, eodemque numeri ordine, quo tu easdem miſiſti notatas.

I. De Symeone (*a*), quod incerto fertur auctore, fuiſſe coecum, ſed amplexu Domini liberatum, contempſimus eo, quod qui illa affirmare velit, neceſſe eſt, ut neget eundem fuiſſe Sacerdotem: nam, ex divino legis praeſcripto Levit. XXI, Coeci in templo miniſtrare prohibentur. Caeterum Symeonem iſtum Sacerdotem fuiſſe, & tunc eo miniſterio ſacerdotali functum eſse, complures affirmant, atque in ſacris imaginibus eccleſiaſtica traditio profeſsa eſse videtur.

II. De Philone, quod ſcribat Photius a Chriſtiana fide ad Judaeos defeciſse; quod nullo id prodat antiquorum teſtimonio homo, qui haec tradit poſt octingentos, & amplius annos; quodque refragetur omnium ſcriptorum, qui de Philone egerunt auctoritas; quod denique haud tanta ſit hominis auctoritas, cui ſine teſte credatur; quod in enormes ſaepe lapſus errores ſuis locis demonſtrabitur, & primum tertio Annalium Tomo, ubi de Nicaeno Concilio agitur; eo jure, meritoque ejus de Philone ſententiam praetermittendam putavimus.

III. Quod pauci recentiores, poſt mille trecentos annos, abſque aliqua antiquiori fide de nomine Jeſu in corde S. Ignatii reperto tradidere; cum & eidem aſſertioni alia plura obſtent; hoc in ea, qua aſsertum eſt fide, penes ſuos auctores ſcientes volenteſque relinquimus.

IV.

(*a*) Equidem quod coecus fuerit Symeon & ad Chriſti contactum, quum eum in ulnas ſumeret, recuperaverit viſum, nullum veſtigium in antiquitate reperitur: nec tam inſigne miraculum S. Lucas cap. II ſilentio praeteriiſſet. Auctor hujus fabulae fuit Celſus in diſput. Joanis & Papiſci inter Opera S. Cypriani, ut Pamelius ibid. num. 4. p. 508. tuetur. Ven. Baronius ad annum primum Chriſti n. 40. cenſet Sacerdotem fuiſſe, cujus proinde muneris fuerit, puerum tamquam primorem ortu Domino ſiſtere, atque poſt acceptum pretium legale parentibus reſtituere. In hanc ſententiam multi numerantur, Cyrill. Jeroſ. orat. de Occurſu Dom. Athan. de Eſſeotia comm. Epiphan. & alii apud Allat. de Symeonibus p. 3. Alii vero in oppoſitam ſententiam flectuntur quum Scriptura & veteres Interpretes nulla dignitate diſtinctum exhibeant; Jeſum autem cum ulnis complectitur, ſtatuunt, non tamquam Sacerdotem, ſed gaudio adductum fuiſſe, ut amoris ſignum erga illum praeberet. Vide Theophilact. Janſen. Eutim. Tillemont. Not. vi. ſur J.C. tom. I.

IV. De Jacobo fratre Domini, quod traditur furore Saulis, deturbantis eum e gradibus templi, redditum eſse claudum; cum ex ſomniorum haec officinis edantur, a quibus abſtinuiſse majores omnes, qui de Jacobo pluribus egere, cum conſtet; nos quoque, inſiſtentes majorum veſtigiis, idipſum aeque praeſtitimus.

V. Quae de Paſſione Domini apud Anſelmum, & alios hiſtorice dicta reperiuntur, cum nulla fulciantur auctoritate majorum, ſed pias eſse meditationes appareat, aliena ab hiſtorica gravitate putavimus (a).

VI. De Sententia illa apud S. Hieronymum, Caſſianum, & alios ſcripta, Fidelis totus mundus divitiarum eſt; reperitur in Proverbiis Salomonis cap. XVII, ſecundum Septuaginta hiſce verbis. Ejus, qui fidelis eſt, totus Mundus divitiarum: illius autem, qui infidelis nec obulus &c. De illa vero ſententia apud Clementem, *Vidiſti fratrem tuum, vidiſti Deum tuum*, quod mox poſt illud vulgatum ponatur oraculum, *Noſce te ipſum*, Ethnici alicujus eſſe potius exiſtimamus, ſecundum illud, huic haud diſſimile, *Homo homini Deus*.

VII. De Latrone, cum Domino crucifixo, quod fratrem occidiſse dicatur, minime neceſse eſt, ad germanum fratrem referri; cum apud Judaeos omnes eodem fratris nomine cenſerentur, loquutoſque eſse putamus Gregorium, & Eulogium ex uſu divinae Scripturae ſecundum illud Amos 1. *Perſequutus eſt gladio fratrem ſuum*; vel Evangelii, *Qui iraſcitur fratri ſuo &c.*

VIII. De Circumciſione Domini, Hieronymo conſentiunt Libri Machabaeorum; quibus dicitur, matres circumcidiſſe filios ſuos. I. Machabae. 1. & 26; ſed Ephrem quoque ſententiae plures adſtipulantur. Ut liceat in his illud uſurpare, *Abundet unuſquiſque in ſenſu ſuo*. Rejicitur ab omnibus Martini Poloni, recentiſsimi auctoris de re antiquiſſima teſtantis aſſertio, cum de Adventus cultu vix poſt quingentos Domini annos memoria aliqua certa reperiri detur.

IX. In Codice Vaticano de nullo alio Sudario, quam de Ve-

(a) Dialogum de paſſione Chriſti, licet extet in omnibus editionibus Operum S. Anſelmi, eruditi omnes cenſent, non eſſe Anſelmi: idque conjiciunt 1 ex Prologo, ubi haec leguntur: Beatus Anſelmus Tom. II, quia is non eſt ex quatuor Dialogis, quos a ſe compoſitos Anſelmus ipſe recenſet in praefatione ad dial. de Veritate; III, quia de eo Eadmerus nihil loquitur; IV, & maxime praeſabulis & puerilibus nugis, quibus Dialogus iſte ubique ſcatet. Vide Monach. Benedict. Congr. S. Mauri Cenſuram in Opera S. Anſelmi Pariſiis 1721.

Veronicae mentio habita reperitur. De Sudario vero allato Abagaro diverſa ratio, ſed certior fides eſt (*a*).

X. Nulla prorſus Lex lata extat, ut crucifigendus ab omnibus cohortis unius militibus caederetur; licet illud verum ſit, ut ultimo afficiendus ſupplicio, ſeu flagellis, ſeu virgis antea verberaretur, ut ſuo loco diximus (*b*).

XI. Non audiendos exiſtimo, qui ex juncis marinis textam Chriſti coronam putant; cum Evangeliſtarum ſatis certa ſit ſententia, ex ſpinis illam fuiſse compactam. Alia juncorum, alia longeque diverſa inter plantas ſpinarum ſpecies eſt; nullae namque in ſtipite, aut in ramis junco marino inhaerent ſpinae, ſed ipſa acumina tantum in ſpinas deſinunt, ut recentioribus formis expreſſum exacte vidimus. Porro ex ſpinis illis extemporanea occaſio coronam Chriſto paravit, quas prope Hieroſolymam natura protulit; nec fuit ſpatium temporis ad littus palaeſtinum deſcendere, ut maritimum juncum pro Chriſti corona milites ſumerent (*c*). De eodem junco nulla in Jona, apud editionem Septuaginta Romae factam, mentio eſt.

XII. Non putamus, ad ſanctum Oſculum pertinere, quae a

 Cle-

(*a*) De Veronica conſulendus eſt P. Natalis Alexander Hiſt. Eccl. Tom. III. Artic. V. De Sindone autem Evangelica, praeter Pigonium, Palaeotum, Malinoium, & Quaresmium, agit praecipue Jacobus Chilletius in Libro cui titulus; *De Linteis ſepulchralibus Jeſu Chriſti, Criſis Hiſtorica*.

(*b*) Crucis ſupplicio afficiendos homines, prius virgis ut cederentur moris Romani erat. Sciendum eſt enim, inquit S. Hieronymus, Pilatum Romanis legibus miniſtraſſe, quibus ſancitum erat; ut qui crucifigeretur, prius flagellaretur. Joſephus ſcribit Lib. VI. de Bell. Jud. cap. XII, Judaeos a Tito poſt pugnam captos, poſtquam verberibus caeſi fuiſſent, in crucem actos.

(*c*) Profecto quonam ſpinarum genere contexta fuerit Chriſti corona inter ſe diſſident doctores & hiſtorici. Hugo Card. in Joannem, Toletus, Pererius, Durandus Lib. VI. Divin. offic. c. XVII. Coronam compactam extitiſſe ex junco marino, cujus ſpinae ſunt oblongae, acutae & terreſtribus duriores, docent. Hanc ſententiam impugnat Card. Baronius ad Annum Chriſti 34. num. 86. iisdem fere rationibus in hac epiſtola allatis. Animadvertunt plerique, cum eodem Baronio, ſpinoſum illud ſertum Domini coronae fuiſſe compactum ex *Rhamno*, vel nigro pruno, vel hirco ſpinoſo; quia haec ſpina vulgo Hieroſolymis naſcitur, & ad praeſens tempus inibi ſpectatur; tum quia milites eum fruticem eligere voluerint, qui magis pungeret, qualis eſt Rhamnus teſte Plinio Lib. XXIV. cap. XIV. „ Inter genera eorum Rhamnus appellatur a Graecis candidior, & fructuoſior: is floret, ramos ſpargens rectis aculeis, non, ut caeteri aduncis foliis majoribus „. Hieron. in Habacuc. III; Gretſer. Lib. I. de Cruce cap. XII, Petrus Bellon Lib. II. Obſervat. cap LXXXVIII haec ſcribit „ Diligenter examinatis ſpinarum generibus, quod certiores fieri cuperemus, quanam ſpina contexta fuerit corona Chriſti capiti impoſita, nulloque frutice ſpinoſo frequentiore invento, quam Rhamno, arbitramur coronam ex eo contextam fuiſſe. Nam neque rubum, aliumve ſpinoſum fruticem iſthic creſcentem invenimus, praeter paucas cappares ſpinoſas. Cum autem Itali rhamnum vulgo appellent Spinam Sanctam, praeſertim circa Maceratam & Piſaurum (ubi ſepes eo conſtant, quemadmodum Hieroſolymis) hoc loco id ſubjicere voluimus. Accedit, quod veteres auctores Arabes fruticem, quo contexta fuit Chriſti corona *Albauſegi* vocent, quod Latini interpretes coronam ſpinoſam verterunt.

Clemente Alexandrino ſcribuntur, ſed apud Gentiles illud in more fuiſſe. Satis namque noſtris viſum ad animorum conciliationem, & fraternae caritatis indicium; cum juxta Platonem ad hoſtia labiorum animae ſibi ſimul occurrunt. Nihil enim hujuſmodi apud Patres in Oſculo ſancto a fidelibus vindicatum invenimus.

XIII. Quod vero de Templo Pacis, fundato a Numa, idem Clemens affirmat, non ſolum habet Tertullianum adverſantem, & Scriptores omnes antiquos; verum & qui recens ſumma induſtria collegit Deorum hiſtoriam, & templa illis erecta recenſet Lilius Giraldus; qui non niſi unum reperire potuit, & a Veſpaſiano erectum, in Urbe templum Pacis (*a*). Caeterum, etiam ſi daremus aedes aliquas Romae fuiſſe ante Veſpaſianum Paci dicatas; non tamen illae extiterunt ejuſmodi, ut magnificentia aedificii, templi nomine dignae eſſent. Siquidem inter innumeras diverſorum Deorum aedes, quae Romae erant, admodum paucae fuerunt, quae templa appellarentur, ut Varro apud Gellium docet Lib. XIV cap. 11. Adeo ut, quod exempli cauſa ſubdit, nec aedes Veſtae templi nomine cenſerentur. Sed nihil eſt, quod hujuſmodi aedibus aptari vaticinium editum de templo Pacis aeterno poſſit. Nam cum illud de auguſtiſſimo Templo Paci dicato pronunciatum affirment, nullum plane ejuſmodi inſigniter Romae erectum Templum fuiſſe reperiri datur, niſi illud a Veſpaſiano conſtructum: adeo ut nulla ratio ſit habenda, ſi qua aedicula, latinis ignota ſcriptoribus, Romae fuerit ante Veſpaſianum Paci dicata.

XIV. De Libris ad Eſdram additis eadem, quae tu ipſe, ego ſentio; nec aliter ſum aliquando opinatus. De loco illo 1. Lib. Machab. cap. VIII, verſ. 16, nihil eſt aliud, quod dici poſſe videatur, niſi vitio ſcriptoris inverſam eſſe lectionem; ut quod habet, *Committunt uni homini magiſtratum ſuum per ſingulos annos*, ſit dicendum, *Committunt homines ſua uni magiſtratui per ſingulos annos*. Ridebis fortaſſe textus emendationem abſque exemplo

(a) Hine ipſe Baronius ad annum Chriſti 77. num. 1. auctoritate Dionis in Veſpaſ. Templum Pacis magnificentiſſime aedificatum, & dedicatum fuiſſe a Veſpaſiano Imperatore, ſcribit. Illud ipſum docent Plinius Lib. XXXVI. cap. XV; Herodian. Lib. 1. cap. XIV; Joſephus de Bello Judaic. Lib. VII. c. XXIV, qui de templo Pacis agens haec ſcribit, „Veſpaſianus Pacis templum aedificari decrevit. Itaque mira celeritate, quam hominum cogitationem ſuperaret, erectum eſt. Magna enim divitiarum largitate uſus, inſuper perfectis id picturae ac figmentorum operibus exornavit. Omnia namque in illud fanum collecta, ac depoſita ſunt, quorum viſendorum ſtudio, per totum Orbem, qui ante nos fuerant, vagabantur, quomodo aliud apud alios ſitum eſſet, videre cupientes. Hic etiam repoſuit, quae Judaeorum fuerant inſtrumenta, his ſe magnifice efferens. Legem vero eorum, & penetralium vela purporea in Palatio condita ſervari praecepit.

plo originalis? (*a*) At quidem haec potius, vel alia etiam remotiora admittenda ſunt ex ſententia Auguſtini, quam mendacium eſſe in divina Scriptura fateri.

XV. De Magnete (*b*) extare dicuntur ejus ſcripta in Bibliotheca Veneta, in noſtra autem fragmenta tantum. Ante annos ſeptingentos eum vixiſſe putamus, licet alii ad antiquiora eum revocent tempora.

XVI. De Joſepho Gorionis filio, ejuſque nomine commentario ſcripto, quod fictitius eſſe noſcatur, noluimus his commenticiis ſcriptis noſtras foedari potius, quam roborari lucubrationes. Multa ſunt, quae cum adverſus eum, tum ejus defenſorem eſſent huc afferenda, ſed in re perſpicua non laborandum.

XVII. De Euſebii Emiſſeni falſo titulo, indito incerti Auctoris homiliis, quod explodendus omnino ſit, & quaerendus germanus Auctor, Eruditi omnes aeque conſentiunt. Cur, cum alii aliter de Auctoris nomine ſenſerint, ego tribuendas eſſe putaverim Eucherio Epiſcopo Lugdunenſi, has modo accipe rationes; quod Auctor, de Martyribus Lugdunenſibus agat, ut de propriis; quodque nullus alius, eo tempore vixerit, doctrina conſpicuus Epiſcopus Lugdunenſis, niſi Eucherius; quod etiam eaedem homiliae Eucherii ſtylum redoleant; quod denique facile potuit error illabi, ut librarii vitio Euſebii pro Eucherii nomine redditum fuerit. Haec obiter, & ſuo loco in Annalibus plura. (*c*)

His quanta licuit celeritate decurſis, quod vi quadam, veluti funibus, retrahamur ad priſtina; illud denique ſic habeto. In meſſe feliciter agi, ſi meſſori contingat perpaucas tantum, eaſdemque pertenues relinquere poſt ſe ſpicas; ſed felicius quidem,

(*a*) Uni ſcilicet conſuli, licet conſules bini eſſent quot annis, quo apud unum tantum imperium reſideret; in exercitu enim ſi unus, in Urbe alius praecipiebat: conſularis poteſtas inter utrumque diſtributa ita erat, ut ſingulis menſibus, ſive diebus, alter alteri faſces ſubmitteret. Livius Lib. II. Sigonius Lib. II. de Antiquo jure Roman. c. I. Hujus diviſae diurnae auctoritatis conſularis fatale exemplum eſt illa dies, qua praelium ad Cannas adverſum Annibalem exhibitum fuit a Romanis, jubente conſule, *Cui ſors ejus diei imperii erat*, invito alio conſule, penes quem poſtridie ſumma Imperii futura erat. T. Livius Lib. XXII. & XXVII., qui de conſulibus agens Lib. II, principatus inſignia primum conſulibus tenuiſſe affirmat „ Omnia jura, omnia inſi„ gnia primi conſules tenuere: id modo cau„ tum eſt, ne ambo faſces haberent „.

(*b*) Magnes, ſi a Turriano, & Scribonio ejus recte collocetur aetas, floruit circa annum 350. Libros V graeco idiomate ſcripſit adverſus Theoſtenem, Evangelia calumniantem. Hos ſevidiſſe teſtatur Turrianus multis in locis, & quaedam ex illis citat in ſua Apol. pro Epiſtolis Pontificum. Plerique credunt fictitium prorſus auctorem, aut ſaltem novum aliquem ac nuperum Graecum, cujus Scriptorum certitudo tota eſt penes Turrianum: quis enim veterum, immo etiam recentiorum pernovem, aut decem ſaecula Magnetis hujus, vel quoad nomen tantum meminerit?

(*c*) Homiliae, quae extant ſub nomine Euſebii

ſi alligando manipulos, ſteriles avenas, vel Zizania ipſe procul excuſserit. Abundat noſtrum Saeculum Ariſtarchis, atque Pyrrhonibus, qui cum inter legendum offendant quodpiam apocryphum, mox illud inclament. Homo iſte delectum non habuit, hoc unum illi ſtudium, ut nihil omnino, cuncta conſarcinando, relinqueret: ſagena vere haec illa eſt, ex omni genere piſcium congregans: prudentius egiſſet, ſi conſediſſet in littore, & bonos tantum piſces in vaſa, ejectis reliquis, poſuiſſet. Audivi haec, & ab eruditis quidem viris de aliis, didicique alieno periculo cautus eſſe. Si quis aliter ſentit, vel facit, non invideo, abundet unuſquiſque in ſenſu ſuo. Miratus ſum, quod ſcribis, te non niſi primum Annalium Tomum accepiſse, cum jam & tertius cuſus ſit: miſiſſem certe duos reliquos, quibus cares, ſi cui darem, in promptu ſuiſset. Dabo hos, & alios ſemper, cum tu, cui tradendi ſint, litteris ſignificaveris. Jam quartum elucubramus, in quo enixius laborantem, me tuae litterae offenderunt, ut non mireris, ſi aquam alio rapido curſu converſam, vix ſitula, immo ſitella tibi haurire licuerit. Vale frater, teque a me plurimum diligi certo ſcito. Romae Idibus Martiis An. Dom. MCCXCII.

EPI-

ſabii Emiſeoi, communi aruditorum judicio eidam abjudicaorut, his rationibus; quia Euſabius graeca ſcripſit, & illarum ſtylus auctoram non Graacum, ſad Latinum deſignat: a. lo homilia de feria v in aoana Domini adverſus Pelagium diſputatur; nam teſta S.Hieronymo in Catalogo Scipt. Eccleſiaſt.eap. xci. floruit (Euſebius) temporibus Conſtantii Imperatoris, ſub quo & mortuus, & Antiochiae ſepultus eſt. Card. Ballarminus, Poſſevinus, Caſaubouus, vel Euchario Lugdunenſi, vel Fauſto Regianſi, val Caeſario Arelatenſi tribuandas cenſent. Advertit tamen Bellarmious de Scri. pt. Eccleſ., Auctorem harum homiliarum fuiſſe Latinum, & Monachum in Monaſterio Lirineoſi; homilia enim quinta ad Mooachos indicat, ſe ſuiſſe Abbatem Monaſtarii in Inſula conſtituti, quam, homilia de S. Maximo, Litinenſam inſolam vocat; in homilia da S. Blandina innuit, ex Abbate ſactum ſuiſſe Epiſcopum. Una ex his homiliis praanotatum nomen habet Fauſti Epiſcopi Regienſis. Non igitur probabila aſt, omnes aſſe ejuſdam Fauſti, qui fuit Abbas Monaſterii Lirinenſis, & ax Abbata Epiſcopus renunciatus juxta Gennadium Lib. de Viris illuſtribus. Plariqua cradunt varios habere auctores, multas Caaſarii Arelatenſis, alias Fauſti Regianſis, nonnullas Eucherii Lugdunenſis eſſe ob ſtyli diverſitatem putant.

EPISTOLA XXXVI.

CAESARI BARONIO

FRONTO DUCAEUS (a).

Agit de emendatione Epiſtolarum Caeſarii Arelatenſis; item de emendatione quorumdam locorum in Chronico Hieronymi; de Imagine Laurata, & de Comite Protectorum.

DElectaverunt me plurimum litterae tuae, plurimum expetitae, vel eo maxime; quod aliis fortaſſe minus delectationis attuliſſet; quod nimirum & libere vetes, quae a me audire non vis, & imperes, quae mitti cupis. Nam, cum iſte mos candide, & ſine fuco agendi, noſtrae nationi nativus, admodum mihi placet; tum hoc prope pignus certum amplector, non adoleſcentis, ſed provectae jam noſtrae amicitiae, qua me non indignum putaſti. Quo minus arbitror, mihi faciendum eſſe, ut longas praetexam ambages culpae deprecandae, vel poenae fugiendae cauſa, ſi non ſtatim paream, ſed dilationem petam, rurſuſque augeam ſuſpicionem oſtentati muneris, cum ingenue ac ſine diſſimulatione agendi jus idem in nos tranſtuliſſe videare, dum iſtam παῤῥησίαν praetetuliſti. Non equidem fragmentum illud Gregorii miſi, quaſi parvulum te putarem; ſed quod, cum hoc mihi hiſtoricum unum in ea appareret, noluerim obtrudere, quod ſuperfluum operi ſuo alius fortaſſe exiſtimaſſet; nunc quoniam video, te non ex iis eſſe, qui ſua potius venditare volunt, & novos partus ſuos jactare potius, quam veterum exoleta monumenta perquirere, quae ſine dubio longe melioris notae ſunt, quam quae nos procudere unquam poſſimus, ſic habeto; me officio non defuturum, qui in rebus multo difficilioribus tuo ſatisfacere deſiderio ſim paratus. Cur ergo exactori non obſequerim ſaltem propter importunitatem? Non equidem reſponſum velim, pueros mecum

(a) Fronto Ducaeus natione Gallus, patria Burdegalenſis, nobili genere natus, Societati Jeſu adſcriptus. Vir omni literatura, ſummis viris par, in utraque antiquitate prophana, ac ſacra peritiſſimus, in Eloquentiae, ſacrarumque litterarum ſtudia multum incubuit. Tanti viri Ven. Baronius dignam memoriam facit Tom. IX. Annalium, eumque *Virum inſignis Doctrinae, ac pietatis appellat*. Occubuit Die 25 Septembris 1621. Scripſit gallice Inventarium errorum, contradictionum, & falſarum citationum Philippi Mornaci Calviniani, Burdegalae 1599. Refutationem Reſponſionis Mornaci de Pleſſis ad Inventarium errorum ipſius. Ibidem 1602. Multa SS. Patrum Opera notis illuſtrata graece, latineque edi curavit.

cum eſſe in cubili; dicerem potius in claſſe, & ſchola, ubi nulla eſt σχολὴ, nullus ſomnus: cauſſarer penſum quotidianum profeſſionis, nec oſtium clauſum eſſe, ſed apertum potius Evangelii, non praedicandi, ſed iis, qui praedicaturi ſunt, explicandi; nec dum coctos mihi eſſe panes, vix molitam farinam: ſed nihil ex iſtis prohibere potuiſſet, quo minus, aliis omnibus poſthabitis, vel in procinctu, quae mandares exequerer, ſi quid urgeret. Nunc, cum ad annum ıↄcc non dum perveniſſe, te intelligam, ſed a Juliano Tomum IV inchoari, tantum mihi auſus ſum de tua humanitate polliceri, ut aliquantulum temporis relegendae interpretationi conceſſurum te, ſperarem; atque etiam ut, ſi ſe commoditas offerat, iterum manuſcriptum conſulere per amicos poſſim in locis quibuſdam dubiis, & obſcuris. Accipe interim correctiones quaſdam ex Chronico Euſebii manuſcripto, ideſt micas ex Arcae fundo, ut ſcias nihil, quod in poteſtate noſtra ſit, tibi negari poſſe, ut, ſiquando non integra mittam quaedam, id non eſſe, quod reliquum invideam, ſed quod neſciam, an aliunde ſuppetat, aut verear, ne in ſylvam ligna feram. Sunt quidem mihi quaedam ex Odoranni Chronico manuſcripto de iis, quae in Synodo Pontigonenſi, habita anno 876 in Gallia; quam alio anno tradit Genebrardus; ſed quia XII hiſtoricos cum Nivardo edidit Lutetiae Pithoeus ante annos quinque, de iis quae tum geſta ſunt, & fortaſſe Odorannum cum illis; nec ſcio an penes te ſint, ut Rodulphus ille, de quo ſcripſeram nuper; itemque Capitula Eccleſiaſtica Caroli Magni & Ludovici filii nuper, etiam edita prius. Si placet, hoc ex te intelligam, quibus, cum amanuenſis deſit, fruſtra tempus conſumam iis, quae uſui futura non ſint, exſcribendis. Nam quod ad Lotharingiae Bibliothecas attinet, vix propter bellorum tumultus, unius Leucorum Urbis Tullii monaſteria licuit adire: & in uno Oroſium reperi bonae notae: contuli (& quaedam non nihil utilia reperi) cum hiſtorico anonimo, cujus fragmentum miſi ad Patrem Jacobum Sirmondum, ut videat, num alicujus jam editi verba ſint; quod non multis referta ſit illius temporis hiſtoricis Bibliotheca haec noſtra. Reperi & Aviti Viennenſis verſus in Geneſim, multis in locis diverſos ab editis, longeque meliores; qualem etiam diverſitatem in ſuo manuſcripto extare ſignificavit mihi P. Pithoeus Juriſconſultus Pariſienſis (*a*). Contuli etiam homi-

(*a*) Ortum duxit Pithoeus Juriſconſultorum ſui temporis facile princeps Tricaſſii in Campania Kal. Novembris an. MDXXXIX., magiſtroſque habuit celeberrimos viros Turnebum, & Cujacium. In Calvinianam haereſim lapſus, in Eccleſiae Catholicae gremium ite-

homilias Caeſarii Arelatenſis, & emendari eas poſſe amplius ſexcentis locis comperi. Si quid horum uſui tibi eſſe poſſit; nam ego id omne ex ſententia eorum, qui nobis praeſunt, operi tuo impendam, lubens adiuvando, non jam munere tuo tantum provocatus, quod nobis tamen gratiſſimum eſt, ſed & tui ipſius merito, quem totius Eccleſiae cauſa diu incolumen, ut nobis conſervet, Deum Optimum Maximum precor, & obſecro. Vale Vuſſiponti XV Kal. Januarii M. D. XCII.

EMENDATIONES QUORUMDAM LOCORUM IN CHRONICO HIERONYMI EX AUCTORITATE MANUSCRIPTI CODICIS.

Ad annum Domini 331. Antiocheni Epiſcopi ſic enumerantur *Antiochiae poſt Tyrannum &c. poſt quem Philogonus &c. occupaverunt, ideſt Eulalius &c. Meletius Euzojus.*

Ann. 333. *Athanaſius, qui ab Arianis perſecutus ad C. r.* haec aberant a manuſcripto.

344. *Hermogenes magiſter militiae Conſtantinopoli tractus a populo.*

345. *Paulus crudelitate praefecti Philippi.*

346. *Cum a Conſtantio quaereretur.*

348. *Ac noctibus Roma nutavit.*

350. *Epiſcopus Emeſſenus.*

351. C. poſt verbum *regradavit* addendum eſt *liberius* 34. *Rom. E cl. Ord. Epiſcopus quo in exilium ob fidem truſo* O. C. *juraverunt quod nullum a. ſuſciperent. Verum cum Felix &c.*

360. *Paulinus, & Rodanius.*

361. *Amathas, & Macarius.*

362. *In Monaſterium 6. A. 1. Sarmatam.*

364. *Hilarium Ariminenſis perfidiae delum. Julianus &c.* Vel ut ajunt alii *ann. 2. m. 8.* haec abſunt a MS.

366. *E. & ſiti apoſtatam perdidiſſet Exercitum, &c. ab obvio forte hoſtium Equite anno aetatis* 40.

367. *Synodus Antiochiae a Meletio; Et ſuis facta, in qua homouſio anomoeoque rejecto, medium inter haec omeouſion Daḋaſtenae moritur anno aetatis* 33.

368. *Poſt verbum, interpretabantur, Apollinaris Laodicenſis*

iterum redit. Sedulam adhibuit operam, ut Pariſienſem urbem in Henrici IV. regis obedientiam reduceret. Scripſit tractatum de Libertatibus Eccleſiae Gallicanae. Multa ejus opuſcula Pariſiis an. MDCIX. ſunt impreſſa.

cenſis Epiſcopus multimoda noſtrae Religionis ſcripta componit:

369. *Dam.* 3. *R. E. O. Epiſcopus. Et non poſt multum &c. Sicinium.*

370. *Gratianus Valentiniani filius.*

377. *Marcelli quondam Conſulis, &c. Ut Teclae nomen.*

378. *Beatorum habentur. Theodolus miſerabilis presbyter dum adverſum conſcientiam furoris ſui ſacrificia Deo offerre audet in mediis precibus eliditur. Quia ſuperiore, &c.*

380. *Apud Argentariam Oppidum. Sepultura quoque caruit.* Sequitur in MS.

Ab Urbe condita uſque ad extremum hujus temporis annum fiunt anni MCXXXI. Sub Regibus anni 240. *Sub Conſulibus anni* 364. *Sub Auguſtis, & Caeſaribus anni* 526. *Colliguntur omnes anni uſque in Conſulatum Valentis ſexies, & Valentiniani Junioris. Item Auguſti a.* 15. *Tiberii anno, & praedicatione Domini Noſtri Jeſu Chriſti anni* 351. *A ſecundo anno Darii Regis Perſarum quo tempore Templum Jeroſolimis inſtauratum eſt anni* 899. *Ab Olimpiade prima, qua aetate apud Hebraeos Iſaias prophetabat anni MCLV. A Salomone, & prima aedificatione Templi anni* 1411. *A captivitate Trojae, quo tempore Samſon apud Hebraeos erat anni* 1511. *A Moyſe, & Cecrope primo Rege Atticae anni* 1890. *Ab Abraham, & Regno Nini, & Semiramitis anni* ii. 393. *A diluvio autem uſque ad Abraham ſupputantur anni* 942. *Ab Adam uſque ad diluvium* ii. 242. *fiunt ab Adam uſque ad quartum decimum Valentis annum, id eſt uſque ad Conſulatum ejus ſexies, & Valentiniani iterum conſule anni* v. 579. *Huc uſque Hieronymus presbyter ordinem praecedentium digeſſit annorum; quae ſequuntur Proſper digeſſit.*

Sequebatur in Manuſcripto libro Bibliothecae Abbatiae S. Victoris ad muros Lutetiae Chronicum Proſperi, ſed longe diverſum ab impreſſo. Edidit illud ex aliis ſuis Manuſcriptis ſeparatim Petrus Pithoeus Juriſconſultus Pariſienſis anno 1588.

In fragmento Epiſtolae, Gregorii Dialogi puto me vertiſſe locum iſtum, *Quapropter & dona illa tua ſuſceperunt uti Reges a Regibus honore affici par eſt*; nec opinor expreſſi vocem Graecam, ſic enim eſt; διὰ τῦτο, καὶ τὰ λαύρατα σε. κατεδέξαντο καθὼς πρέπει βασιλεῦσι βασιλικῆς τιμῆς. In margine erat additum, ἡ τύπων δῶρα vel *imaginum*, aut *figurarum dona*: ſed ita ſcribi velim; *Quapropter & laurata tua ſuſceperunt uti Reges*, &c. Incidi quippe non ita pridem in Annotationes Fr. Balduini adoptatum Lib. III, qui

qui docuit me, moris fuiſſe, ut Imperatores olim mitterent ſuas ſtatuas, ſive imagines in provincias, in quas ipſi alioqui non proficiſcebantur, eaſque imagines a populis de more fuiſſe exceptas prope religioſe. Sic Lib. XII Codicis, Tit. LXIV; *Publicae Laetitiae*, vel *Conſulum nuntiatores* legi. *Si ſacros vultus*, inquit Theodoſius, *inhiantibus forte populis, inferimus, hoc ſine immodico pretio nuntiari, excipique ſancimus*.

Addit Balduinus, Imagines illae vulgo vocabantur *Laurata*. Unde in actis ſecundae Nicaenae ſynodi, ubi de ſacris agebatur, legimus, *Laurata, & Iconas, quae mittuntur ad Civitates, vel regiones, obvii adeunt populi cum cereis, & incenſis, non cer*[illegible] *perfuſam tabulam, ſed Imperatorem honorantes*. Idem nimirum ait Theodoſius in quadam conſtitutione Lib. I Cod. Tit. XXIV, l. 2. *Si quando noſtrae Statuae, vel Imagines eriguntur, ſive diebus, ut adſolet, feſtis, ſive communibus, adſit Judex ſine adorationis ambitioſo faſtidio*. Verum ex Codice Theodoſiano legendum monet, *ambitioſo faſtigio*, civili modo honorem requirit, ut indicant verba, quae ſequuntur. *excedens cultura hominum dignitatem ſuperno numini reſervetur*. In Nicaenae Synodi actis nondum mihi occurrit locus ille, ſed iſte Chryſoſtomi ex Oratione in ſanctam quintam diem Paſchae Actione II. in Epiſtola Adriani Papae ad Conſtantinum *pag. 68. Nam cum regiae figurae, & Imagines in Civitates inferuntur, populus non ipſam tabulam, aut ex cera factam Imaginem honore proſequitur, eumque magiſtratu illuc obviam procedit, ſed potius regiam hiſtoriam & veluti praeſentiam ſuſcipiunt*.

Idem videtur eſſe locus citatus Actione IV, pag. 109, ex Oratione in Pelvim. *Non enim cum regiae imagines, & figurae in Civitatem adferuntur, magiſtratus, & populus gratulabundus Tabulas veneratur, neque ex cera fuſilem imaginem, ſed regiam figuram*. Ac forte an idem ſit etiam locus citatus a Balduino? ſed ex alia interpretatione: & vox *Laurata*, ſi Chryſoſtomi non ſit, eſt ab interprete, qui ſciret eas Imagines ita vocari: fortaſſe quaſi *Laureata*, quod laurea redimita ſint capita Imperatorum, & in vexillis corona cincti vultus eorumdem. Quod ſi ſuppeteret nobis Graecum Exemplar, his conjecturis locus non eſſet. Utinam ſtent pollicitis Germaniae Typographi, qui, edito Epheſino Concilio Graece anno ſuperiori, hoc praeſeſerunt ſe daturos & reliqua Oecumenica, modo eadem fide, qua illud; in quo ad verbum ediderunt, uti fuerat a Theodoro Peltano ſocio noſtro editum latine.

Rurſus, quod verti *Nezeuxius, qui Comes erat Protectorum ejus, vel Corporis cuſtodum*, vel quicumque alio modo; ita nunc malim, *qui tum comes obſequii ejus fuit*. Id enim eſſe puto, quod eſt Actione III Nicaenae ſecundae genus magiſtratus in Theophylacto *Comite Imperialis obſequii*. Gregorius habet ὁ τότε κόμης τῆς πόμπης αὐτοῦ. Poſtremo non tantum Platinam variare in nomine Conſtantis reperi, ſed & Adonem in Chronico Ann. 641, eum Conſtantinum cum noſtro Gregorio appellare.

Euſebii varias lectiones non injucundas tibi ſore cenſui, quod in illa annorum Chriſti enumeratione mendae ſuſpectum tibi eſſe illud opus multis locis intellexerim, & jam omnes docti ſenſerint, & ex manuſcriptorum collatione facile colligi poteſt. Notavimus & alia quaedam, ſed non quae ad ſitum numerorum, & annorum e regione collocandorum ordinem pertinent, in quibus errores praecipui, ſed tantum quod ad nomina, & omiſſa quaedam; quia nimirum duo ſunt in Gallia, qui ante annos x ejus emendationes ſunt polliciti, nec dum pollicitis ſtetere. Iterum vale & pro nobis, ſit placet, ora.

EPISTOLA XXXVII.

CAESARI BARONIO

NICOLAUS FABER.

Quanti illum aeſtimet, fuſe ſcribit. Quoad myrrhatum vinum Baronio cedit. Mittit quoſdam S. Ambroſii verſus. De ejuſdem Sancti vita a Paulino conſcripta quaerit Baronii judicium. Nonnullas quaeſtiones indigitat.

Litteris tuis, vir eruditiſſime, quas ad me Julio menſe dediſti, circa Septembres Kalendas, quo tempore mihi redditae ſunt, prout debui, reſpondi; praeter eas nullas vidi. Ex Epiſtola tamen humaniſſimi, atque optimi noſtri Guilmerii, alteras te ſcripſiſſe, quamvis meam reſponſionem non acceperis, didici. Omnis illa jactura damno meo cedit; quia fructu litterarum tuarum fruſtratus, inſuper in negligentiae ſuſpicionem devenio. Peſſimus ſim bonorum meorum aeſtimator, aut potius gratiae mihi divinitus oblatae, ſi non omni officio tanti viri amicitiae, quantus ipſe es, reſpondere ſtudeam; vel diſſolutus, ſi tam eximium

mium Dei Optimi beneficium mea inertia perire ſinam. A quo crimine, etſi in aliis rebus me non omnino liberum agnoſcam, in te tamen colendo longiſſime abeſſe, Deoque juvante, ſemper abſuturum, velim tibi perſuadeas. Ego te, vir maxime, tanti facio, quanti ſumma tua doctrina, & humanitas, pari cum pietate conjuncta, ab eo fieri poſſunt, qui egregias illas dotes in te miratur & ſuſpicit: tanti amicitiam tuam duco, ut inter infinita beneficia, quibus divina benignitas me indignum, & ingratum aſfecit, eam non poſtremam recenſeam; & quum ob praeſtantes animi, ingeniique virtutes, & plurima in me ſua merita noſtro Guilmerio jamdiu devinctiſſimus exſtiterim, ejus tamen conciliatae nomine plurimum debere profiteor. Haec ſi, ut ex animo ſcripta ſunt, ita accipias, levius deperditae reſponſionis damnum erit. Non enim alia de cauſa ſcripſeram, quam ut tibi conſtaret officii mei ratio. Siquidem accuratae tuae de Myrrha diſputationi quum nihil occurreret, quod aut adjici, aut contra objici poſſet, ſatius viſum eſt herbam porrigere. Niſi fortaſſe, quae a te diligentiſſime collecta ſunt, non ſatis alicui B. Hieronymi, vel Apuleii auctoritatem convellere videantur. Licet enim Myrrha, largius pota, lethalis ſit, non ideo minus vel morituris dari, vel iis, qui torturae ſubjiciebantur, praeſumi debuit: praecipue quum ſit ex eorum venenorum numero, quae non ex tota ſubſtantia nocent, ſed ex manifeſta tantum qualitate. Id autem genus venena, & aegrotis temperata ſalubriter dantur, & immoderatius ſumpta facillime contrariis medicamentis retunduntur. Addi etiam poſſet, quod habetur ult. Proverb. (1). *Date ſiceram moerentibus*; Hebraice legi, *Date quod inebriet morientibus*. Hebraicum enim vocabulum *Sichar*, vel ut expoſuerunt Graeci, σίκερα: ſignificat, inquit Baſilius Magnus πᾶν τὸ δυνάμενον μέθην ἐμποιῆσαι; & Rabbi Moſes Ægyptius, ut ab ejus linguae peritis accepi, *Morientes*, interpretatur, *reos damnatos*. Id etiam, quod habetur Pſalmo LIX, 3. *Potaſti nos vino compunctionis*, B. Hieronymus vertit *Potaſti nos vino conſopiente*; & Chaldaicus Paraphraſtes, *Calice maledictionis*; nempe quia cruciariis, maledictis a lege, dabatur. Ejuſmodique phraſi ſummam crucem deſignari, adnotant Interpretes Hebraici. Inter ceteros vero Rabbi Selomo, vinum illud eſſe ait, *Cor obvolvens, & cerebrum feriens, ſternutareque faciens*. Quod quid aliud eſt dicere, quam vinum

 iſtud

(1) Prov. cap. xxxi. 6. Galenus Simplic. Med. Lib. v. cap. xix. prope finem; *Myrrha ſi largius bibatur, aut dementat aut mortem affert.*

iſtud ſenſus deturbare & adimere? A qua ſententia nec Septuaginta longe receſſerunt, qui οἶνον κατανύξεως tranſtulerunt. Nam Alexandrino idiomate; quo modo ſacrorum librorum idioma Grammatici Graeci nuncupant; κατάνυξις album ſoporem, & veternum ſignificat. Ita B. Paulus ad Romanos XI, 8, Eſajae locum explicans capitis XXIX, 8, ſpiritum ſoporis, πνεύματος κατανύξεως; voculis exprimit: cujus etiam effectus, ex ejuſdem Prophetae capite, ſubjicit ὀφθαλμοὺς τοῦ μὴ βλέπειν, καὶ ὦτα τοῦ μὴ ἀκούειν, a compunctione toto coelo alienos: quod agnovit Syriacus Interpres, qui *ſpiritum ſtupiditatis* tranſtulit. Ex eo more etiam phraſes illae deductae cenſeri poſſunt, quibus Dominus, per Prophetas impiis exitium denuncians, ſe potui daturum eis vinum, ſive *Calicem ſoporis*, *vertiginis*, *torporis*, *ſtuporis ac ebrietatis* interminatur. Haec fere, quantum memoria repetere poſſum, complectebatur Epiſtola: neſcio enim quo caſu exemplar ejus non retinueram. Quae tamen apud me minime tanti ſunt ponderis, ut non in tuam ſententiam concedam; cujus auctoritatem mihi pro ſumma lege, & ratione praeſcripſi (*a*). Miſeram una B. Ambroſii verſus tumulo *Satyri* fratris inſcriptos, quos ex Libro nondum in lucem edito, Dungalis contra Claudium Taurinenſem excerpſi; viſi enim ſunt non indigni, qui in tuo Annalium quarto locum habeant: eoſdem (*b*), quo verear, ne non acceperis huic chartae ſubjiciam. Praeterea nihil erat, nec adhuc eſt, quod ad tuas cogitationes faciat. In eo enim ſtatu ſumus, in quo tantum abeſt, ut aliquid ex antiquitate in lucem eruere valeamus, aut ex nobis producere, quod in cognitionem doctorum hominum venire mereatur: ut ſi quid ſuperſit commendatione dignum ex veteri fortuna, illud in dies diſſipetur, deleatur, perdatur. Non libris, non litteris, non ſacris parcitur. Haec & atro-

(*a*) Scripſerat Baronius *ad Annum Chriſti* 34. Vinum Myrrhatum non fuiſſe amarum & inſuave, ſed ſaporis & odoris plenum, atque ex aliis admixtis ſpeciebus, etiam dulce; quod ſubito cruciis ſupplicium propinabatur, ad eos levandos & exhilarandos. Faber vero contendebat, myrrhatum vinum potionem eſſe ſoporiferam, quae mentem abalienabat; atque id circa cruciariis exhiberi ſolitum, quo cruciatus minime ſentirent. Sed rationes, quibus innitebatur Baronius, tanti roboris ſibi viſae ſunt, ut a ſua ſententia dimoveri non potuerit, immo & eidem ceſſerit etiam Faber; *licet non uſquequaque*, ut advertit Spondanus in *Epitome Annalium ad annum* 34, *in notis ad annum.* 31. Attamen Baronius liberum eſſe lectoribus, non ſemel ibidem proteſtatus eſt, quamcumque maluerint, aut ſui, aut Fabri, ſententiam amplecti. Et profecto, quamvis nonnulli poſtea Baronio adſtipulari noluerint, tamen non defuere, qui illum ſint ſequuti. Videndus Benedictus XIV, nunquam interiturae memoriae Pontifex, dum agit de Feria ſexta in Paraſceve, *Operum Tom.* IX. *p.* 105.

(*b*) Quarto re ipſa Annalium Tomo inſeruit Ven. Card. Baronius S. Ambroſii verſos, nempe ad *annum* 383, *num.* 16, non ſine laude ejuſdem Nicolai Fabri JurisConſulti Pariſienſis, a quo eos acceperat.

atrociora meruere noſtra ſcelera, a quibus ne quidem ſub cultro poſiti reſilimus: quod melioris conditionis ſpem omnem praecidit; verum tamen πολλαὶ μορφαὶ τῶν δαιμονίων, πολλὰ δ᾽ ἀέλπτως κραίνουσι θεοί, καὶ τὰ δοκηθέντ᾽ οὐκ ἐτελέσθη, τῶν δ᾽ ἀδοκήτων πόρον εὗρε θεός. *Dominus eſt: quod bonum eſt in oculis ſuis, faciat*. Sententiam tuam de vita Beati Ambroſii a Paulino Presbytero conſcriptam ſcire deſidero (*a*), ſi paucis, & abſque tuorum ſtudiorum interpellatione fieri poſſit; nec dum enim quae operibus Sanctiſſimi illius viri adjunxiſti, videre licuit; nec quamdiu durabunt hi, quibus agitamur furores, ſpes ulla eſt videndi. Multa etiam ſunt in quarta, in qua nunc deſudas, centuria, quae exactam tuam diligentiam, & perſpicax judicium expoſcunt in quibus magnos auctores, & ex iis, qui rebus interfuerunt, diffidere perſpicio (*b*). Veluti, quo tempore, & Pontifice Romano, celeberrima illa ſynodus Nicaena coacta eſt (*c*); utrum vivo Ario, haereſeos auctore

(*a*) Huic Fabri deſiderio Ven. Baronium ſatis per litteras feciſſe, liquet ex Fabri epiſtola, ſcripta XIII Kal. Auguſti 1592, cujus initium *Ex tuis litteris*. Et ſi vero illas Baronii litteras non habemus, haud aliam idcirco tunc ejuſdem fuiſſe de Paulino ſententiam, dicendum eſt, quam quae in Annalibus expreſſa legitur *ad Annum Chriſti* 397, *num.* 46, *& ſeq. & ad annum* 401, *num.* 7. Paulinus itaque jam Clericus Minoris Ordinis in Eccleſia Mediolanenſi ſub cura Caſti Diaconi, D. Ambroſii amanuenſis, fuit a Venerio Mediolanenſi Epiſcopo in Africam miſſus, conſeditque Carthagine apud Fortunatum Diaconum; ac poſtea auctus Diaconatu, acerrimus inſurrexit impugnator haereſis Pelagianae adverſus Coeleſtium. Hortante deinde, & petente S. Auguſtino, vitam S. Ambroſii conſcripſit ſumma quidem fide; ſed quum plurima ab eo eſſe praetermiſſa advertiſſet Baronius, hic juſſu Sixti V. Pont. Max. auctiorem edidit, inter opera S. Ambroſii, edita Romae anno 1587. Inter caetera vero quae deſiderarentur ea eodem Paulino illud eſt, quod Poſſidius praeſtitit in Auguſtino, nimirum ut cum rebus ab Ambroſio geſtis & memoriae proditis attexuiſſet Scriptorum ejus Catalogum; quorum plura ignorarentur, niſi a S. Auguſtino, & Caſſiodoro fuiſſent memorata; & alia non deſiderarentur, vel ſaltem in hic, tamquam dulcibus exuviis, aliqua capi potuiſſet delectatio. Non defuit vero qui ex ipſo eodem nomine deceptus, Paulinum hunc cenſuit eſſe Nolanum Antiſtitem; qui longe tamen alius fuit ab eo. Si caetera deeſſent, ipſa longe diſſimilis dicendi phraſis magno argumento eſſet, quo alterum ab altero ſecerneremus. Sed, & praeter Paulinum Nolae Epiſcopum, & Paulinum rerum geſtarum D. Ambroſii hiſtoricum, alii etiam eodem tempore fuerunt ejuſdem nominis. S. enim Auguſtinus in *Epiſt.* 149. *alias* 59 ad Paulinum Epiſcopum, rogat, ut ſalutem dicat binis aliis Paulinis, quorum alterum nominat filium, alium compresbyterum. Paullinus vero Vitae S. Ambroſii ſcriptor ab Iſidoro *de Scriptor. Eccleſ. cap.* IV, vocatur Presbyter. Sed quum longe etiam, poſt vitam Ambroſii ſcriptam, appelletur a Zoſimo, & ab Auguſtino Diaconus, Pagius in Critica Annalium Baronii ad annum 397. *num.* 21 advertit, Iſidorum in hoc eſſe emendandum.

(*b*) Nulla ex quaeſtionibus, quae in hac epiſtola proponuntur fuit a Baronio in Annalibus omiſſa; ut ex ſequentibus notis patebit.

(*c*) Anno 325 celebratam fuiſſe Nicaenam Synodum narrat Baronius ad eumdem Annum, ubi *n.* 10, *&* 11, erroris arguit Sozomenum, Nicephorumque, quod ſub Julio Pontifice celebratam ſcripſerint; & turpius Photium erraſſe addit, qui ſub Silveſtro, & Julio Pontificibus fuiſſe celebratam tradat. Et quamquam omnibus fere viſus eſt erraſſe Sozomenus, qui Julium poſuit pro Silveſtro, uti fatetur etiam Henricus Valeſius in notis ad Cap. XVII, Lib. I, Hiſtor. Eccleſ. Sozomeni; primus tamen omnium Cardinalis Perronius, vir perſpicaciſſimus, in Parergo de tempore, quo celebratum fuit Concilium

ſtore (*a*); utrum ille Arrius, qui viſcera profudit, idem ille ſit, qui Petro Alexandrino martyri oſtenſus eſt; & quid de ea Petri hiſtoria ſentiendum eſt (*b*); quos Canones ediderit ſancta ſynodus (*c*); & unde, qui Sardicenſis Concilii dicuntur, ab antiquis

cilium Nicaenum, quod Actis ejuſdem Concilii, a Gelaſio Cyziceno conſcriptis, praefixum legitur, & in Romana Conciliorum Editione anni 1608, & in Regia Editione Pariſienſi, ac in Labbeana Collectione, animadvertit mendum manifeſtum in Sozomeni ſcriptione, vel ex marginali annotatione, quae in textum irrepſit, vel ex voce Πολιὸς, ideſt ſenex, canus, venerandus, quae vitio ſcribae in Ιουλιος evaſerit: quod fuſe ex Sozomeno ipſo demonſtrat. Nam Sozomenus, qui Libro I, cap. xvi aſſerit, Romanum Pontificem ob pondus aetatis Concilio Nicaeno non adiiſſe; quique Cap. ultimo ejuſdem Libri univerſam Concilii Nicaeni hiſtoriam omnino abſolvit, praefixa fronti Libri II hac clauſula „ Hactenus finem habuere, quae in Nicaea geſta ſunt„ ac deinde toto Libro II ad ea deſcendit narranda, quae ſub reliquo Conſtantini imperio contigerant. Is, inquam, ipſe Sozomenus, poſtquam rebus Concilii finem impoſuit, per integra priora Libri II ſeptemdecim capita percurrit ea, quae inter Concilium Nicaenum, & Antiochenum in cauſa Euſtathii celebratum, interceſſerunt; & demum Capite xviii Antiocheni concilii celebrationem, Euſtathii abdicationem, atque Euphronii ſubrogationem deſcribit. Et tandem deveniens ad Libri II caput xix haec habet„ Per idem tempus cum Marcus poſt Silveſtrum ad exiguum tempus octo ſcilicet menſium, ſecundum Hieronymum in Chronico, Epiſcopatum Romanum geſſiſſet, Julius in illam Sedem ſucceſſit. „ Quonam igitur pacto Sozomenus ſub Julio celebratam Nicaenam Synodum ſcribere poterat? Mendum aliorum fuiſſe, non Sozomeni, affirmare oportet. Auctorem vero illius Parergon fuiſſe Cardinalem Perronium, licet is prae modeſtia nomen ſuum reticuerit, teſtatur Spondanus in Epitome Annalium ad annum 325, in Notis ad *num.* 3.

(*a*) S. Epiphanius *Haeres. LXIX* ait, Arii obitum contigiſſe, vivente adhuc Alexandro Epiſcopo Alexandrino, antequam etiam Nicaenum cogeretur Concilium: S. Hieronymus vero in Dialogo adverſus Luciferianos docet, Arium Presbyterum in Synodo Nicaena fuiſſe receptum; ſed, num hic Arius fuerit Haereſiarcha, de quo hic agitur; vel potius Haereſiarchae diſcipulus, valde dubitare videtur Natalis Alexander Diſſert. xiii, in Saeculum Eccleſiae iv, Art. II. Nihilominus, cum S. Athanaſius, qui Nicaenae Synodo interfuit, & cuncta ſpectavit, quique contra Arianos calamum perſtrinxit, atque apologias edidit, diſerte narret Orat. I contra Arrianos, Haereſiarcham Arium Nicaenam fidem, a ſe ſubſcriptam, obtuliſſe Conſtantino; Ven. Card. Baronius argumentatur ad annum Chriſti 336, num. 47, & ad annum Chriſti 327, num. 7, inſtar omnium habendum eſſe S. Athanaſii teſtimonium; atque adeo patere Arium tempore Nicaeni Concilii fuiſſe ſuperſtitem. Quamobrem errore lapſos eſſe ſubdit ad eumdem annum 336, *num.* 56, idem Ven. Eccleſiaſticorum Annalium Parens, qui vel ante Concilium Nicaenum, vel ſtatim poſt illud mortem Arii accidiſſe putarunt; quum ex decreto Concilii Hieroſolymitani, quod ex ipſis *Tricennalibus* praedicti Imperatoris celebratum eſt, Arius, jam in Nicaeno Concilio anathemate percuſſus, in Eccleſiam fuerit receptus. Interim autem Arii obitum, non ante annum 336, ſed potius anno 337 eveniſſe putat Baronius loco citato, num 57. Legi poteſt hiſtoria vitae Arii, erudite conſcripta a Cajetano Maria Travaſa Clerico Regulari Theatino, qui Lib. iv, cap. viii, plurimorum, quos citat, ſententiam ſequens, anno 336 Arium periiſſe ſcribit.

(*b*) Arium, qui viſcera profundendo periit, eumdem illum eſſe, qui Petro Alexandrino Epiſcopo in viſione oſtenſus eſt, acta martyrii ejuſdem S. Antiſtitis teſtantur: quae licet ſpuria proculdubio affirment Pagius *in Annales Cardinalis Baronii ad annum* 310, *num.* 4, Natalis Alexander *Diſſert.* ix, *in Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſaeculi* iv, & laudatus P. Travaſa *in Hiſtoria vitae Arii Lib.* i, *cap.* vii haud tamen omnino illa rejicit Ven. Card. Baronius; ſed aliqua in ipſis eſſe corrigenda ait, tum ad Annum Chriſti 310, num. 4, & 5, tum in notis in Martyrologium Romanum ad diem 26 Novembris.

(*c*) Sozomenus *Lib.* I *Hiſtor. Eccleſ. cap.* xxii de Nicaenis Canonibus agens, inquit, ideo a ſe non proferri; quod extent apud plures, & a quovis facile poſſint haberi. Sed Lib. iv, cap. xxv addit, ab Acacio Caeſareae in Paleſtina Epi-

Digitized by Google

quis pro Nicaenis habiti ſint, qui & in quibuſdam veteribus Codicibus Nicaenis admixti, etiam nunc reperiuntur; quantum fidei ſit habendum Epiſtolae Marci Pontificis Romani ad Athanaſium de Nicaenis Canonibus; (*a*) itèm de Baptiſmate Conſtantini &

Epiſcopo maxime laboratum eſſe, ut omnes in oblivionem decretorum Concilii Nicaeni inducerentur. Id vero, an ei juxta votum ceſſerit, incertum. Certum tamen eſt, acta Nicaeni Concilii, quamvis teſte S. Athanaſio de Synodis, fuerint accuratiſſime ſcripta, magnum tamen paſſa fuiſſe naufragium; ut advertit Baronius ad annum Chriſti 325, num. 61. Quare circa Nicaenorum Canonum numerum diu multumque diſputatum, & adhuc ſub Judice lis eſt, ut ait Cabaſutius in notitia Conciliorum S. Eccleſiae, edita Lugduni anno 1670, cap. XXII. Omnes fere hodie fatentur, illos fuiſſe numero viginti. Chriſtianus Lupus in Diſſertatione de Synodo Nicaena Cap. VIII *de Numero, & Auctoritate Canonum Nicaenorum*, ac Natalis Alexander Diſſert. XVIII, Hiſtor. Eccleſ. ſaeculi IV, qui acriter pro vicenario numero pugnant, Cardinalem Baronium impugnare conantur, tamquam amplioris Nicaenorum Canonum numeri aſſertorem. At Baronius poſtquam ad annum Chriſti 325, num. 157, viginti tantum eſſe Nicaenos Canones comprobavit; auctoritate deinde S. Hieronymi, S. Ambroſii, Zoſimi Papae, Concilii Sardicenſis, & Julii Pontificis adductus, nonnulla ex Nicaeno prodiiſſe Concilio, praeter laudatos viginti Canones, non dubitat; ſed certe illos ſancitos fuiſſe Canones, & non magis ex ejuſdem Concilii actis prodiiſſe, haud adeo facile affirmandum putat ſub num. 161. Nihilominus adverſus Natalem Alexandrum inſurrexit P. Joannes Chryſoſtomus a S. Joſeph Clericus Regularis Scholarum Piarum, qui Romae anno 1742 peculiarem edidit Diſſertationem *de Numero Canonum, quos Sancti Patres in magna Synodo Nicaena conſtituerunt*, in qua contendit, eoſdem Canones non eſſe tantum viginti, ſed plures. Duo ſupra viginti numerantur a Rufino Lib. I Hiſt. Eccleſ. cap. VI, ſed iidem ſunt ac viginti; quum ſextus & octavus in duas ſecti partes ab ipſo fuerint. Septuaginta fuiſſe Nicaenos Canones nonnulli argumentati ſunt ex epiſtola Marci Papae ad Athanaſium, & omnes Ægyptios Epiſcopos, quae velut ſincera ab illis item admiſſa fuit; uti narrat Alphonſus Piſanus loco mox citando. At, cum de ejus Epiſtolae falſitate dubitari nequeat, ut infra annotabitur, totum corruit ſeptuaginta Canonum fundamentum. Franciſcus Turrianus octoginta Canones Nicaenos ex antiquo exemplari Arabico exſcriptos Latinitate donavit, atque in lucem edidit. Aliquot poſt annos alia prodiit Latina verſio ab Abrahamo Echelenſi concinnata, in qua octoginta quatuor Canones cum multis Nicaeni Concilii ſtatutis exhibentur. Verum Canones omnes illi, quos cunctae Orientis ſectae; ceu genuinos Nicaenae Synodi foetus agnoſcunt ſunt ſuppoſititii; quum plura in iis contineantur, quae contra ſynodum ipſam pugnant. Sunt illi quidem antiqui, ut oſtendit Echellenſis; ſed poſt Concilium Chalcedonenſe conficti, ut arguit Antonius Pagi Tom. I. ſuae Criticae in Annales Card. Baronii, ad annum Chriſti 325, num. 45.

(*a*) In Tomo ſecundo Operum S. Athanaſii editionis Monachorum Ordinis S. Benedicti Congregationis S. Mauri pag. 665, refertur Epiſtola Athanaſii, & Ægyptiorum Pontificum ad Marcum Papam *Pro obtinendis exemplaribus Nicaeni Concilii, quia Ariani eorum exemplaria incenderant*: Et *pag.* 666 refertur Reſcriptum Summi Pontificis Marci *De Miſſione Capitulorum Nicaeni Concilii Athanaſio, & omnibus Ægyptiorum Epiſcopis*, quae Capitula ſeptuaginta eſſe dicuntur ibidem. Multi ceu legitimas & genuinas agnoverunt haſce epiſtolas, & publice etiam hoc nomine, & titulo celebrarunt, quos refert Alphonſus Piſanus *de Actis Conc. Nicaeni Lib.* III; verum eas hodie tamquam ſuppoſititias jam docti paſſim rejiciunt, uti teſtatur Chriſtianus Lupus in Diſſertatione *De Synodo Nicaena cap.* VIII, eaſque inter ſpuria, & commentitia recenſent laudati Monaci Benedictini. Quum enim binae eaedem Epiſtolae germano rectae rationis temporis ſigno minime inveniantur eſſe ſignatae, merito fictitiae reputantur a Ven. Card. Baronio ad annum 336, num. 61; qui ob id laudatur a Pagio in ſua Critica ad eumdem annum num. 12. Omnia vero Baronii argumenta adverſus eaſdem Epiſtolas breviter perſtringit Severinus Binius in notis ad epiſtolam Marci Papae tom. II Labbeanae Conciliorum collectionis.

Digitized by Google

(*a*) & unde Euſebii, & aequalium error; (*b*) de conſtantia & perſeverantia Liberii Pontificis Romani, & Oſii Cordubenſis, & hujus fine: a quibus niſi nos expedieris, unde petere, vel ſperare poſſimus explicationem, non video (*c*). Siquidem divina providentia in haec tem-

(*a*) Etſi Ven. Card. Baronius in Annalibus ad annum Chriſti 324, a numero 41, ad 54, multis probare conetur argumentis Conſtantinum Magnum praefato anno 324 a Sancto Silveſtro Pont. Max. Romae fuiſſe baptizatum, idque ex actis ejuſdem SS. Silveſtri, & Liberii, ex Libro Pontificali Damaſi, & Mariano Scoto, Sabellico, Platina in vita Marci, Nicephoro Lib. VII Hiſt. Eccl. cap. XXXIII, & XXXIV, aliiſque bene multis; haud tamen diffitendum eſt apud eruditos recentiores hanc opinionem communiter obtinere, ut putent Conſtantinum non Romae, ſed in Suburbanis Nicomediae ſacro lavacro tinctum fuiſſe; idque auctoritate Euſebii Caeſarienſis Lib. IV de Vita Conſtantini cap LXI, & LXII; Socratis Hiſt. Eccl. Lib. I, cap. XXXIX, Sozomeni Lib. II. cap. XXXIV; Theodoreti Lib. I Hiſt. Eccl. cap. XXXII; S. Ambroſii in Orat. funebri Theodoſii; S. Hieronymi in Chronico Concilii Ariminenſis in Epiſt. ad Conſtantium, quae extat tum apud S. Athanaſium, Libro de Synodis Arimini, & Seleuciae, tum etiam apud Socratem Lib. II, cap. XXXVII, nec non Caſſiodorum in fine Lib. III Hiſt. Tripartitae, & S. Hilarium in Fragmentis. Conſulendi hac de re praecipue inter ceteros Papebrochius in Commentario Hiſtorico de Conſtantino Magno in Actis SS. ad diem XXI Martii cap. II, & IV; Monaci Benedictini Congregationis S. Mauri in notis ad orationem S. Ambroſii de obitu Theodoſii, pag. 1209; & Natalis Alexander Hiſt. Eccl. Tom. IV, Diſſertatione XXII.

(*b*) De Euſebii Caeſarienſis erroribus in fide loquitur S. Hieronymus Lib. I Apologiae adverſus Rufinum cap. II; Lib. III, cap. IV, cap. X, & Epiſtola LXV ad Pammachium, & Oceanum data; S. Hilarius in Libello ad Conſtantinum Auguſtum; S. Epiphanius haereſi LXVIII; Theodoretus Lib. I Hiſt. Eccleſ. cap. XXI; Septima Synodus Oecumenica Actionibus V, & VI; Photius Codice CXXVII, quatuor ejus Libros de vita Conſtantini recenſens accurate notat, ipſum Arii partibus & haereſi etiam poſt Nicaenam Synodum ſtuduiſſe. Cardin. Baronius ad Annum 324, num. 110; & 325, n 96, 100, & 189; Fleury, & Tillemont. in Hiſtor. Eccl. Natalis Alexander Tom. IV, Diſſertatione XVII intrinſecis argumentis Euſebii errores ex ejus libris petitis, ac extrinſecis ex teſtimoniis veterum in medium profert.

(*c*) Oſius Cordubenſis in Boethica provinciae Epiſcopus, Inſignis Fidei confeſſor ſub Diocletiani perſecutione, Conſtantino magno chariſſimus, Nicaeno Concilio praefuit tamquam Romani Pontificis legatus, dein in Sardicenſi Concilio primum locum tenuit, ab omnibus in pretio habitus ob ejus praeclara geſta, doctrinam, atque pietatem; varie tentatus ab Arianis, ut in ſuam ſententiam pertraherent, anno demum 356 exilio Sirmienſi multatus fere anni ſpatio calamitatibus, aerumnis, atque tormentis oppreſſus fractuſque, Arianae impietati in ſecunda formula Sirmienſi exaratae ſubſcripſit. Teſtantur id S. Hilarius Lib. de Synodis o. 11, & Lib. contra Conſtantinum. 23; S. Athanaſius in Epiſt. ad Solitarios p. 886, Sozomenus Lib. IV. c. VI, & XII; Socrates Lib. II, c. XXVI; Epiph. hæreſ. XXVI, n. LXXV. De ejus converſione, & pia morte in catholica communione verba facit S. Athanaſius eadem epiſtola ad Solitarios p. 886; *Moriturus enim* (inquit, nempe Oſius) *quaſi in teſtamento ſuo eorum vim proteſtatus eſt, & arianam haereſim condemnavit, vetuitque eam a quoquam probari, aut recipi*. De his Hilarius de Synodis; Auguſtinus Lib. I contra Parmenianum c. IV, V, & VIII; Iſidorus autem Epiſcopus Hiſpalenſis Lib. de Vir. Illuſt. in Oſio c. 5. tradit Oſium poſt reditum in Hiſpaniam in defenſione haereſis perſtantem, quum ſententiam damnationis adverſus Gregorium Epiſcopum Eliberitanum ſibi communicare repugnantem amandare vellet, hujus precibus Deo fuſis, repente ore verſo cerviceque diſtorta de ſede in terram eliſum illico expiraſſe. Praeferenda eſt SS. Patrum teſtificatio (Athanaſii praecipue in propria loquentis cauſa), qui contemporanei & ſuperſtites Oſio fuere, Iſidori teſtimonio, qui poſt annos ducentos vixit. Accedit, quod Liber ille judicio omnium eruditorum non eſt Iſidori, quum illius non meminerit S. Ildephonſus ejus opera univerſa recenſens Lib. de Vir. illuſtr-

tempora dilatus es, ut praeclariſſimis tuis ſcriptis lucem ſuffunderes, qua denſiſſimas, & obſcuriſſimas ignorantiae, & impietatis nubes

bes

ſtr. Sed quiſquis ſit auctor Libri illius, hanc Oſii fabulam hauſit ex coenoſo fonte Fauſtini & Marcellini Schiſmaticorum Luciferianorum, qui reperiuntur hujus falſitatis auctores fuiſſe in Libello Theodoſio Imperatori porrecto; neque hiſce fides ulla adhibenda eſt, praeſertim quum auctor nullus coaevus, aut ſuppar idem tradat, eoque magis Fauſtini, & Marcellini teſtimonium ſuſpectum eſſe debet, quod illi in Concilio Ariminenſi Epiſcopos lapſos in Conſtantii perſecutione ita ſunt averſati, ut maluerint potius ſchiſmate impio ab Eccleſia divelli, quam cum illis communionem inire. Verum Oſii lapſu tragoedia Sirmienſis haud finem accepit, quae caſu Liberii Romani Pontificis longe lugubrior reddita eſt, ſi fidem mereantur hiſtoricae memoriae in operibus Athanaſii Hiſt. Arian. n. xli. Apolog. contr. Arian. num. lxxxix, apud Hilarium in Frag. VI. n. 4 & ſeq., atque teſtimonia Hieronymi Lib. de Script. Eccl. cap. XCVII. & Chron. ac Sozomeni Lib. IV, cap. XV. Scriptores plurimi in hanc ſententiam flectunt, etiam hujus aevi. Diu conſtanterque Athanaſii cauſam damnare recuſavit Liberius. Anno 355 Mediolanum acceſſitus Conſtantio viriliter reſtitit; qui quum poſt longum colloquium nullis rationibus nec promiſſis Pontificis animum flectere potuiſſet, ad Beroeam Thraciae Urbem deportari juſſit, ſubrogato in Romana Sede Felice Archidiacono. Duobus & amplius annis in exilio permanſit, & jam miſeriarum atque periculorum, quae ſuſtinuit, taedio ſuperatus, vim & verbera paſſus, [illegible]que Demophili importunitate, formula Fidei Sirmienſis ſubſcribenda tradita fuit, non ultima Potamii, ſed prima publici juris facta in Synodo adverſus Photinum, in ſenſu catholico ab Hilario interpretata, quum eſſet Demophilus Epiſcopus haereſi ſemiariana [illegible], tandem minis prorogationis exilii, tormentorum, ipſiuſque etiam mortis perterritus ceſſit, & Athanaſium damnavit. Scripſit Conſtantii praeſcripto litteras, cum ad Orientales Epiſcopos, tum ad Urſacium, & Valentem, nec non ad Vincentium Epiſcopum Capuanum, in quibus aperte profitetur, ſe deſiderio redeundi Romam, & Athanaſii damnationi conſenſiſſe, & fidem Sirmii conſcriptam approbaſſe, ac pacem cum Orientalibus iniiſſe; eoſque rogat, ut ad Imperatorem legatos mittant, qui ejus libertatem poſtularent. Miſſis legatis ab Italiae Epiſcopis Sirmium, ubi aderat Conſtantius, eodem tempore Sirmium pervenere Epiſcopi Concilii Ancirae a Baſilio illius Civitatis Epiſcopo congregati, ut formula ſecunda Sirmienſis a Potamio ſcripta, & ab Oſio approbata damnaretur. Ex Beroea vocatus Liberius venit in Sirmienſem Civitatem, & denuo fraude Baſilii, Euſthatii, & Eleuſii Cizziceni cogitur conſenſum praebere ſuppreſſioni vocis *Conſubſtantialis*, & alienos a ſua communione declarare, negantes Filium Dei in omnibus Patri ſimilem. Hoc pretio juxta communem opinionem Pontifici facta eſt poteſtas ad ſuam Sedem revertendi. *Cui Romam revertenti obviam cum gaudio populus Romanus exivit*. Praef. Marcell. & Fauſt. *Romam quaſi victor intravit* Hieronym. in Chron. Felice a Romanis expulſo, odio habito ob ejus communionem cum Arianis. Ex hac maxima quam Romanus populus laetitia in Liberii adventu praetetulit, oritur firmiſſima dubitandi ratio, an verae ſint res narratae ſui infelicis lapſus. Clerus enim, populuſque Romae, Fidei Nicaeni Concilii, ejuſque acerrimo defenſori Athanaſio addictiſſimus erat, ac ſummopere haereſi averſus; prima cauſa amoris ſui erga Liberium erat ſua conſtantia in fide, innocentiae protectio; ſic ejus alienatio a perſona Felicis [illegible] originem ducebat ex communione cum haereticis. Quonam pacto hic Clerus, hic populus ſigna extremi honoris ac benevolentiae efferre poterat homini, qui Nicaeno Symbolo Sirmienſem formulam praetulit, & Sanctum Alexandriae Epiſcopum condemnavit, ut cum Orientalibus pacem iniret, praecipue cum Urſacio, Valente, & Auxentio, nomina tam infamia ac deteſtabilia Orbi Chriſtiano Occidentali? Uti opinari quiſquis valet, quo dolore, ſeu potius horrore in Conſiſtorio lecta fuiſſet Liberii epiſtola Beroea Romanis Presbyteris miſſa, ut certiores illos redderet ſuae praevaricationis, contemptus ampliſſimae dignitatis, mendarumque ſuarum, muneribus neceſſariis ſupremi capitis illius Eccleſiae, apud quam perfidia nunquam ingreſſum habuit; ita quoque judicium quilibet ferre poteſt, ſi poſt tot ingentes jacturas, excepturi communi plauſu ac gaudio illum, & quaſi triumphantem in Urbem deducturi eſſent.

Ex

bes Chriſtianum Orbem involventes diſcuteres ac diſſipares. Huic ſit honor, & gloria, a quo omne bonum. Tuque, vir praeſtantiſſi-

Ex hoc argumentum maximum eruitur, ſuppoſititias eſſe epiſtolas ſub nomine Liberii Epiſcopis Orientalibus directas Urſacio, Valenti, Germinio, ac Vincentio Capuano; atque aedificium alicujus Sycophantae Ariani. Leguntur illae in fragmentis Sancti Hilarii. Sicut etiam probatur id calumniam eſſe, quod ſimiliter praefert ejus nomen in eodem opere, ac ſupponatur illud conſcriptum ab eodem Liberio ſui Pontificatus initio eiſdem Orientalibus Epiſcopis. Vide hac de re apud Hilarium in Fragm. IV Adnotationes Monachorum Congr. S. Mauri. Porro Sancti Athanaſii loca, in quibus loquitur de lapſu Hoſii & Liberii, eſſe alicujus recentioris additiones, facile conjectari licet, quum ſua Arianorum hiſtoria ad Monachos, in qua ſermonem habet caſus, mortiſque Oſii, conſcripta fuerit tempore, qoo aut ille in vivis erat, aut ejus obitus ooritia in Aegyptum pervenire non poterat. De qoibus conſule eruditiſſimum P. Magiſtrum Orſi litterariae Reipublicae decus, in ſua *Hiſt. Eccleſ. ad Annum* 357. Quum autem ioibi adverſus hiſtoriae ſinceritatem affirmetur Oſium minime Athanaſium condemnaſſe, illiuſque reatum fuiſſe tantum communionem initam cum Urſacio & Valente, manifeſtum eſt, hanc additionem non eſſe S. Athanaſii. Theodoretus in ſua hiſtotia Lib. II cap. XV; referens illum Apologiae locum fugae, ubi idem Sanctus laudes Oſii celebrat, ut magis Arianorum feritatem oſtenderet in hominem ita optime meritum de Eccleſia, multiſqoe perſequutionibus vexatum, qoud Arianarum calumniarum conſcius, ſobſcribere noluerit inſidioſis eorum reſcriptis; nil aliud de eo memorat: onde minime videtur legiſſe quod ſequitur de ſpiritoali excidio ejusdem Oſii minis, plagis, & fidiculis coacti, ut cederet. Caeterum duos paragraphos ultimos additos eſſe aliquot poſt annos, confecto opere illo, ſententia communis eruditorum eſt. Vide in hunc locum Not. Monach. Congr. Sancti Mauri. Noo repugnabo, illos forſan adjectos, ut ipſi aſſerunt ab eodem Sancto, dummodo auferantur ambae interjectiones, ſeu parentheſes, in quibus oratio interjicitor Oſii, Liberiique lapſue; quae non modo ſenſum implicat, ut animadvertit Tillemon. in S. Athan. Not. LXXXI; ſed etiam directe adverſatur ſequenti, quod legitur; *Teſtes iterum ſu-*

mat Liberium & Oſium eorumque ſocios, qui extrema pati maluerint, quam aut veritatem, aut judicium noſtri gratia datum prodere. Sunt autem ea ipſa monumenta & cippi contra Arianam haereſim, & contra Sycophantarum malitiam erecta. Sunt etiam forma & exemplar poſteris noſtris, ut pro veritate uſque ad mortem decertent. Arianamque haereſim Chriſto inimicam, & Antichriſti prodromum perhorreſcant, neque illis adverſum nos loquentibus fidem habeant. Theodoretus de cujus fide haeſitandum haud eſt, quod Athanaſii opera legerit, potiſſimum illa, quae conferunt ad illuſtrandam augendamque ſuam hiſtoriam, tribuit Liberii reditum ſollicitis efflagitationibus a Romanis Matronis Conſtantio factis; ſummi ipſius Pontificis ſemper cum laude loquitur; modo illum appellans Lib. II, Hiſt. Cap. XV; *celebratiſſimum Liberium*; nunc *glorioſum veritatis Athletam*; ibidem Cap. XVII, in princ. Ut autem de Liberii bonitate omnis ſuſpicio tolleretur eodem Cap. XVII prope finem haec ſcribit; *Poſt has acclamationes Chriſtianiſſimae plebis, conſentaneas juſtitiae & pietati, rediit Romam admirabilis Liberius.* Severus Sulpitius, qui Fragmentis Sancti Hilarii admodum uſus eſt, in contexendo ſuam Arianiſmi hiſtoriam, ut notant PP. Bened. Congr. Sancti Mauri ad Frag. II, num. 26, nec verbum quidem facit criminis Liberii; dumtaxat obſervat Romae reſtitutum fuiſſe propter populi ſeditiones. Nequ ſolum harum ſeditionum mentio habetur in praefatis Fragmentis, ſed ſi ſincerae eſſent epiſtolae, quae ſub nomine Liberii in informi illa collectionu apparent, excludi plane haec cauſa deberet; quum ex illis habeatur, Conſtaotium nullum non moviſſe lapidem, ne ille Romam rediret, immo difficillimum ſe oſtendiſſe, ac poſt diuturnum tempus Beroeae, & Sirmii Pontificem retentum, etiamque allectum ſuis praeceptis obſemperare, precibus Valentis, Urſacii, Germinii, *Vincentii* Capuani, Fortunatiani, ac Epiſcoporum Orientalium dimiſiſſe. Socrates Lib. II Hiſt. Cap. XXXVII, noo aliam cauſam innuit Liberii reditus, niſi populi tumultum, qui Felicem exilio mulctaverat; certe oſtendit nullam fidem praeſtitiſſe famam ſuorum criminum; directe potius illam oppugnat ſua teſtificatione, praeter voluntatem a Coo-

Digitized by Google

tiſſime, talentum fideli ſervo concreditum, quod egregie facis, exerce. Vale, & nos tuis precibus, & ſcriptis juva. Datae XIII Kal. Februarii An. Domini MDXCII.

EX LIBRO DUNGALI CONTRA CLAUDIUM TAURINENSEM EPISCOPUM AD LUDOVICUM PIUM, ET LOTHARIUM EJUS FILIUM IMPERATORES.

EX VETERI CODICE.

Idcirco, ut arbitror, Ambroſius ſuum fratrem, quem nimium dilexerat, juxta Sanctum Martyrem Victorem ſepelivit; de quo tres libros edidit egregios, unum de ejus planctu; alteros duos conſolatorios, de Reſurrectione & Paradiſo: Cujus Epitaphium, hoc dictavit tetraſticho:

„ Uranio Satyro ſupremum frater honorem
„ Martyris ad laevam detulit Ambroſius.
„ Haec meriti merces, ut ſacri ſanguinis humor
„ Finitimas penetrans abluat exuvias.

Ex Eodem Libro didici, Paulinum Epiſcopum Nolanum quindecim natales B. Felicis ſcripſiſſe. Haec enim ibi leguntur.

Pau-

a Conſtantio in priſtinum ſtatum eum reſtitutum fuiſſe; quod libenti animo id iniquus Imperator feciſſet, ſi triumphum de Pontificis conſtantia retuliſſet, & hoc pretio ſuae conſcientiae ac honoris libertatem vendidiſſet. Quemadmodum vero negari minime poteſt antiquam hujus facti famam eſſe, ita non haeſitandum eſt, quin illius auctores & promulgatores extiterint Ariani. Eadem imprudentia, qua Eudoxius & alii Anomaei, ut ait Socrates Lib. IV Hiſt. Cap. XV, Antiochiae vulgarunt, Liberium condemnaſſe voces *Conſubſtantialis, & ſimilis in ſubſtantia*; Semiariani pariter ſe jactarunt, aſſenſum praebuiſſe ſuppreſſioni vocabuli *Conſubſtantialis*, & adoptaſſe expreſſionem *Similis in ſubſtantia*. Huic voci, Semiarianorum ſtudio in populum prolatae per omnem Aſiam, S. Hilarius forſan credidit, exul tunc ex illis partibus ob fidei confeſſionem, & hac data occaſione ſcripſit adverſus Conſtantium illa verba Lib. in Conſt. n. 11; *Vertiſti deinde uſque ad Romam bellum tuum, eripuiſti illinc Epiſcopum: & o te miſerum, qui neſcio utrum majore impietate relegaveris, quam remiſeris*. Scripſit S. Hilarius, an majori impietate Conſtantius in exilium miſiſſet, vel ad ſuam Sedem reſtituiſſet, quum neſcire poſſet, ſi verae, aut falſae eſſent vulgatae voces, Liberium liberatum fuiſſe praevaricationis ſuae pretio. Iiſdem rumoribus ductus S. Hieronymus huic facto fidem praeſtitit, quod quiſquis ſuadere ſibi facile valet, quum in aliis occaſionibus leviter crediderit vulgaris falſitatibus a calumnioſis hominibus; uti apparet ex eo, quod ſcribit de Ordinatione S. Cyrilli Hieroſolymitani juxta ſugillationem ab illius inimicis prolatam. Ab initio, & temporibus Hieronymi incertum fuiſſe aſſertum Liberii errorem, manifeſtam probationem affert Rufinus Lib. I. Hiſtor. Eccleſ. cap. XXVII, ubi haec habet. *Nam Liberius urbis Romae Epiſcopus, Conſtantio vivente regreſſus eſt. Sed hoc utrum quod acquieverit voluntati ſuae ad ſubſcribendum, an ad Populi gratiam, a quo proficiſcens fuerat exoratus, indulſerit, pro certo compertum non habeo*. Vide ſpecialem diſſertationem ſuper hac quaeſtione Canonici Gorgne Eccleſiae Cathedralis Sveſſionenſis, Pariſiis editam anno 1732.

Digitized by Google

Paulinus Epiſcopus vir eruditiſſimus, & ſanctiſſimus, ſicut & multi de eo teſtati ſunt, nobilem librum XV carminibus diſtinctum, in honorem & laudem Sancti Felicis Martyris edidit &c. Ex quinque ultimis Natalibus plus ducentis verſibus tranſcripſi, ex quibus ne charta haec vacet, quoſdam adſcribam.

EX CARMINE XI.

Namque tenebroſum veteri caligine mundum,
Languenteſque animos miſeratus in Orbe Creator
Sic ſua diſpoſuit terris monumenta piorum,
Sparſit ut aſtrorum nocturno lumina Coelo.
Hos igitur, nobis, cupiens avertere morbos
Omni medens Dominus ſanctos mortalibus aegris
Per varias gentes Medicos pietate ſalubri
Edidit, utque ſuam divina potentia curam
Clarius exereret, potioribus intulit illos
Urbibus & quoſdam licet oppida parva retentent
Martyres; at proceres Deus ipſos moenibus amplis
Intulit, & paucas functos diviſit in oras:
Quos tamen, ante obitum toto dedit orbe magiſtros,
Inde Petrum, & Paulum Romana fixit in Urbe;
Principibus quoniam Medicis caput Orbis egebat.
Sic Deus, & reliquis tribuens pia munera terris,
Sparſit ubique locis magnas ſua membra per Urbes
Sic dedit Andream Patris, Epheſoque Joannem,
Ut ſimul Europam atque Aſiam curaret in illis,
Diſcuteretque graves per lumina tanta tenebras.
Parthia Matthaeum complectitur, India Thomam,
Thaddaeum Lybies, Phryges accepere Philippum.
Creta Titum ſibi ſumpſit, & Boeotia (a) Lucam
Marcus Alexandria tibi datus, ut bove pulſo. ſic.
At Carthago potens Cypriano Martyre gaudet,
Cujus & ore ſimul profuſi, & ſanguine fontes
Foecundaverunt Lybiae ſitientis arenas.

EPI-

(a) Hoc in loco ad marginem Apographi, quem habemus, legitur, Codex *Otia*.

Digitized by Google

EPISTOLA XXXVIII.

CAESARI BARONIO

MARCUS VELSERUS (a).

Eccleſiaſticos Annales maxime laudat, tantumque opus, quam a Baronio non potuiſſe perfici arbitratur, & de quibuſdam Sanctorum geſtis quaeſtiones proponit.

ME tibi ſerius, quam pro ſumma tua humanitate reſpondere video, & erubeſco. Et ſi ejus profecto nulla apud me culpa reſidet; ſubvereri tamen cogor, ne me, quod minime vellem, hoc ipſo nomine, tui parum amantem, & obſervantem interpreteris. Excuſationem ergo accipe. Intellexeram ex tuis litteris, te mihi tertium Annalium tuorum Tomum dono mittere, eamque amoris & honoris ſignificationem pro eo ac debeo magni aeſtimabam; reſpondendum vero prius, quam librum accepiſſem, non exiſtimabam. In ea expectatione dum verſor, dies ex die lapſus, non hebdomadae tantum, ſed & menſes aliquot praeteriere, neque codex interim comparuit. Ego nihilo ſecius benevolum in te animum, quae meretur gratitudinis memoria, complector. Verum deſiderium diutius ferre non valens, aliud exemplum Venetiis afferri curavi. Incoepi legere. Quid dicam? Pauca tibi in hos; hoc tamen unum numquam diſſimulem, reperiſſe, quae hodie ab homine nato nemine, praeterquam a te praeſtari poſſe ſatis ſciam. Macte vir praeſtantiſſime, gratulor tibi, gratulor Eccleſiae, gratulor etiam mihi, quem, tu tantus vir, in amicorum numerum receperis: nec quidquam aſſentationi tribuere, teſtor omnis veri auctorem Deum. Cohortarer ad pergendum alacriter in hoc ſtadio, niſi tu ſponte tua curreres: ſic tamen exi-

(a) Marcus Velſerus Auguſtae Vindelicorum ex Matthaeo Velſero ſecretioris conſilii Senatore ampliſſimo, & Anna Bumelia tam genere, quam virtute inſignis anno 1558 natus eſt. Romam venit, atque hic in arte dicendi magiſtrum habuit exercitatiſſimum M. Antonium Muretum. Ad cauſas Dicaſterii anno 1589 acceſſit; deinde latum clavum, quae veſtis Senatoria eſt, anno 1592 impetravit; poſtea ſecretioris Senatus conſilio adſcriptus 1594; tandem Octaviano Fruggero in Praetorem an. 1600 fuit ſuffectus. His cumulatus inſignibus, animi dotibus clarior, pluribus ingenii ſui foetibus, & quidem ſanioris doctrinae, litterariam Rempublicam locupletavit. Hujuſmodi ſunt. Rerum Boicarum Libri VIII; Rerum item Auguſtanarum Libri VIII; Monumenta Auguſtana; Acta SS. Martyrum Afrae, Hilariae, Dignae, Eunomiae ac Eutropiae: Vitae S. Udalrici, & S. Severini. Prodierunt Venetiis 1581, apud Aldum Paulli F.. Obiit idibus Junii 1614, poſtquam annos vixiſſet 56.

Digitized by Google

exiſtima, ut ut acceleres, noſtra, & omnium lectorum ſtudia; ſemper eſſe praecurſura. Deum precari pergam, ut te ad propoſitam metam uſque, quo coepit favore, comitari pergat. Eram praeteritis diebus in inveſtigandis Auguſtanorum noſtrorum Sanctorum hiſtoriis. Praeter quae de Sancta Afra commentatus ſum, inveni Acta manuſcripta S. Albani, S. Theoneſti, & Sociorum hoc principio; *Poſtquam aeterni Patris unigenitus &c:* quae in pleriſque conciliandis praecipue temporibus, correctione indigent. In iis ſcriptum eſt, S.Urſum, Theoneſti diſcipulum, hic paſſum eſſe. Quoniam autem Petrus de Natalibus prodidit, horum martyrum corpora Burani prope Venetias, Torcellenſis Dioeceſis, extare, acta quoque quae ibi habentur, & in Feſto S. Albani in lectionibus leguntur, exſcribenda curavi: quorum initium eſt; *Temporibus impiiſſimi Honorii Perſarum Regis, atque Medorum*, *Wandalorumque &c.* Quae ſane cenſuram non minus poſtulabant, ut vel ex hoc principio cognoſcis. At ſcrupulum injicit, quod in tertia lectione Civitas Auguſta, ſita dicitur ad radicem montis, qui nuncupatur Jovis, quod Auguſtae noſtrae Vindelicorum neutiquam, ſed Auguſtae (*a*) Praetoriae, quae Salaſſorum fuit, convenit; & vereor ne noſtri ſimilitudine nominis decepti ſint. Si tibi quidquam in promptu eſt, ad hanc definiendam litem, quaeſo ſignifices; nam video te annotaſſe in Martyrologio xxi Junii de quadam vita S.Albani manuſcripta, quae apud te ſit: & ſi eam apocripham cenſes, fieri tamen poteſt, ut hac

(*a*) Plurimae Civitates Auguſtae per orbem Romanum, quae non primigenio, ſed derivato ab Octaviano honore, hoc nomine fuerent inſignitae. Hujus rei teſtis Dion qui Lib. LIII ſcribit: *Paphiis terremotu afflictis, largitus eſt (Auguſtus) juſſitque, ut Urbem Auguſtam nominarent.* Quaecumque autem urbes Auguſtae, ut aliis obſervatum, a populis accepere cognomina, ut diſtinguerentur, cujuſmodi ſunt Auguſtae Taurinorum, Veromanduorum, Rauricorum, Vindelicorum &c. Ex Velſero Lib. V Rerum Boicarum. Quod attinet igitur ad Auguſtam Praetoriam, de qua Velſervus, obſervat Cointius in Annal. Eccl. Francorum ad Annum 574 num 3. Caeſare Auguſto, nonum Conſule, ideſt anno ante Chriſtum natum viceſimo tertio, Coloniam Romanorum factam eſſe, victis Salaſſis, dictamque Auguſtam Praetoriam, quo maxima pars agrorum Praetorianis cohortibus fuerit attributa, ut Dion teſtatur Lib. LIII; Pertinuit quondam ad Epiſcopatum Vercellenſem, donec epiſcopali Sede donata fuit. Epiſcopi vero ab hac Civitate nuncupati ſunt Auguſtenſes & Auguſtani; Metropolitanoque Mediolanenſi, cui Vercellenſis Epiſcopus etiam num ſubeſt, ſubditi fuerunt. Verum poſtquam Auguſta Praetoria Franciſcis ditionibus ſub Guntchramno Rege anno 574 acceſſit, ut teſtatur Fredegarius in Chronic. Cap. XLV; & Aimoinus, Lib. IV. Cap. VII, hujus Civitatis Epiſcopi Metropolitae Darentaſſenſi tributi ſunt, Sita eſt autem Auguſta Praetoria, antiqua Salaſſorum, ſeu Salaſſatiorum Metropolis ad Duriam flumen &c. De Auguſta Pretoria praeter Ferrarium, Auguſtinum Chieſam, & Ferdinandum Ughellium, omnino videndus eſt Fredegarius. Cap. XLV, & Cointius ad Annum 536, *num.* 6. uti ex quibus aperte deprehenditur, illos turpiter erraſſe, quo tradiderint, non Gunthramno, ſed Clotario Rege, civitatem hanc in Francicorum poteſtatem eſſe redactam.

Digitized by Google

hac in re lucem aliquam praeferat. Fulvio Urſino (a) officioſam a me ſalutem nunciari velim, a quo diu eſt, quod reſponſum expecto. Tu mi Baroni vale, & me inter nominis tui cultores, laudatores, aeternum numera. Auguſtae Vindelicorum VII Kal. Maji in Feſto S. Marci Anno Domini MDXCII.

EPISTOLA XXXIX.

PHILIPPO II HISPANIARUM REGI CATHOLICO

CAESAR BARONIUS.

Tertium Annalium Tomum eidem dicat.

QUID Deo, quid Principibus debeatur, Apoſtolorum Princeps brevi illa ſententia definivit: Deum timete, Regem honorificate. Qui vero inter Deum, atque Reges medii intercedunt Sacerdotes, duplici dignos honore Paulus Apoſtolus judicavit. His ego legibus parens, ante omnes ſummo totius Chriſtianae Religionis Antiſtiti duplex munus, nempe primum, & ſecundum Annalium Tomos obtuli. Hic vero tertius ex Conſtantini Magni magnis rebus geſtis contextus, tibi Philippe Regum maxime, de induſtria, quod Samuel dixit, ſervatus eſt; regium plane munus, ex Regis depromptum theſauris, Rege maxime pio, dignum. Regum namque eſt, Annales legere; quos ex eorum lectione magnos conſtat feciſſe progreſſus, animumque ad res magnas inchoandas, & perficiendas erexiſſe. Cujus rei, etſi complura ſuppetere poſſent exempla, unum, vel alterum ex ſaris litteris adduxiſſe, contenti erimus. Certe ex Annalium lectione potentiſſimus ille Rex Aſſuerus, quid virtuti, quid ſceleri deberetur, accepit; ſummoque Juſtitiae libramento ſuum cuique tribuens, periclitantem ſub gladio Dei populum liberavit, atque ſuperbiſſimum Aman infami ſupplicio condemnavit. Sed & Da-

(a) Fulvius Urſinus, Romae nobili loco natus, Literas tum Latinas, tum Graecas coluit, quibus ad ſacrae, & prophanae antiquitatis evolvenda, ac retegenda monumenta aditum ſibi comparavit. In eo ſtudiorum genere, diu multumque ita ſedula opera verſatus eſt, ut excelleret. Illius quanta eſſet facultas, & praeſtantia in explicando obſcuriora loca quae ſaepe occurrunt & in antiquis hiſtoriis, & in Ruderibus nuper effoſſis, magno argumento eſſe debent vel multae lucubrationes, quas protulit, quaeque eruditorum manibus quotidie teruntur. Militiae eccleſiaſticae nomen dederat, & inter Conſtantinianae Baſilicae canonicos fuit cooptatus. Supremum quum obiit diem; quod contigit Kal. Junii anno 1600, & aetatis ſuae 70; haeredem ſibi ex teſtamento eſſe voluit Eduardum Cardinalem Farneſium.

Digitized by Google

Darius Rex una Annalium inſpectione pietatem didicit, cum ex Cyri Regis praeſcripto non ſolum adverſarios Judaeorum aedificantium Dei templum cohibuit, verum etiam immenſae molis opus ſuis ſumptibus abſolvendum, & ſacrificia immolanda, ut dignum erat regia munificentia curavit, novitque Deum timere, quem & Judaeorum precibus optavit ſibi eſſe placatum.

Quod igitur Regem decet accipere, aeque concongruit a Sacerdote, tibi ortu, & origine ſubdito, impertiri. Non enim eximit Sacerdotium ab illa penſitatione tributi, qua ſcilicet Reges poſſint effici ſanctiores; perſolventibus aliis cenſum, ex quo ditiores reddantur. Docuit nos Dominus, quodnam Sacerdotes pendere debeant Regibus tributum; ſtaterem nempe, eundemque in ore piſcis inventum, quem & juſſu Domini Petrus hamo piſcatus eſſet, quatuor drachmarum pretii nummum. Quibus ſimbolicis formulis, veluti hieroglyphicis characteribus, una fides Catholica, quatuor Evangeliis conſignata, oreque Apoſtolico praedicata oſtenditur.

Quod quidem tributi genus a me Ampliſſimae Majeſtati Tuae non ut indigenti perſolvitur; utpote hiſce divitiis largiter affluenti, ex eiſque univerſum novum orbem, quod plane eſt valde admirandum, ubertim locupletanti; ſed quod Religio, pietaſque tua id jure ſuo quodammodo exigat, & obſequium, ſtudium, obſervantiaque in te mea hoc ipſum poſtulare omnino videatur. Quamobrem quod mearum partium eſt, imperatum divina lege tributum infero in magnum illud tuae pietatis aerarium, perſolvens ſtaterem illum in ore illius piſcis inventum, quem Chriſtianus ipſe ſalutari ſigno, mira quadam ratione de Coelo piſcatus; oſtenſa nimirum coelitus Cruce velut hamo, vincendi ſpe dulci captum eſca, e fluctibus impietatis ad littus eductum, Eccleſiae pertranſit ad fidem. Magnus ſane piſcis, in cujus ore ſtater inventus, tot poſteros ditavit Imperatores. Penditur hic ipſe a me tibi, dum quae ab eodem Conſtantino in fide capeſſenda, tuenda, illuſtranda, amplificanda, & ad exteros longe lateque propaganda geſta ſunt, annis ſingulis, tertio hoc Annalium tomo, ſumma fide potiſſimum exhibentur.

Accipe ergo grato animo, quod pio affectu perſolvitur, Sacerdotale tributum, ſtaterem ſacrum, numiſma nobile imagine Caeſaris inſignitum, tibi tamquam Caeſari debitum a Caeſare exhibitum, Regique Catholico jure penſum; quod & praeclaro fidei ſigno ſalutiferae Crucis vexillo extat impreſſum. Illud vero tunc locu-

locupletius exhibendum, cum ex ſuſcepto ſemel munere, res a te pie, ſanſteque geſtae annis ſingulis, iiſdem Annalibus ſuo quoque tempore feliciter intexentur, quas poſteri Reges ſint admiraturi, utinam & imitaturi; cum de te longe plura, atque majora vere narrata eſſe comperient, quam nec Xenophon in Cyro effinxit, neque de Chriſtianis Principibus multa ab hinc retro ſaecula conſpexere. Vale Rex inclite, Chriſtianorum Regum maximum decus, & ornamentum; teque ardentiſſimo ſtudio Catholicam fidem ſtrenue protegentem, ac latiſſime propagantem diu ſuperſtitem Deus conſervet incolumem; atque demum immortalis quoque gloriae corona fulgentiſſima auctum, in conſortium Regni Coeleſtis accipiat.

EPISTOLA XL.

AUGUSTINO CUSANO S. R. E. CARDINALI

CAESAR BARONIUS.

Tertium Annalium Tomum ei conſecrat.

EXigit officium, quod aequitas imperat, atque in primis ratio perſuadet, Cardinalis Ampliſſime, ut Annales noſtri tandem, licet ſero, de acceptis beneficiis gratias relaturi, te conveniant, quos adhuc in cunabulis poſitos benevolentia foviſti, munificentiaque lactaſti; cum enim magno Dei conſilio negotia illa domeſtica, te quietis amantem, vel invitum Romam pertraxerint; quamvis paterent tibi, ſi voluiſſes, perampla ad habitandum palatia; tu tamen Auguſtine, Hieronymi gloriae aemulus, illis omnino ſpretis, ad Bethlehem divertiſti; ad noſtras, inquam, ſub titulo Deiparae Virginis humiles aedes: ubi biennio commoratus, cum primum oculos in meas lucubrationes adhuc plane informes, & rudes conjeciſti, illarum amore captus, ad eas excolendas, & ocyus abſolvendas, opem ſedulo contuliſti. Liceat mihi, quod in angulo geſtum eſt, praedicare, auctoritate Domini, ſuper tecta; nec non de te illud Apoſtoli magnum gloriae praeconium uſurpare; nullus enim mihi communicavit in ratione dati & accepti, niſi tu ſolus.

At qui quamvis magna ſint haec, & qualibet gratiarum actione majora videri poſsint, minima tamen apparent, ſi conferantur cum uberrimo illo, caeterarum virtutum tuarum promptuario,

rio, tunc nobis mille actibus patefacto, cum ex eis quid ſeniores in te mirarentur, imitarenturque juniores copioſiſſime invenirent; quippe cum te ipſum in omnibus exhiberes abſolutiſſimum virtutum exemplar, ne illud quidem recens efformatum, ſed longiore uſu jam ante probatum. Cujus cum natura ipſa, rerum magiſtra, prima quaedam lineamenta duxiſſet probitatis, eaque adeo nota, ut te domo primo egredientem, cum adoleſcentulum ſuſcepiſſent florentiſſimae Italiae Academiae juris prudentia imbuendum, admirantibus ferme omnibus prae miraculo, ſeniorem te ipſum, magiſtrumque morum invenerint: accedens inſuper praecellens manus artificis Caroli Borromaei Cardinalis S. Praxedis, patriae tuae Archiepiſcopi dignae memoriae, numeris omnibus abſolutum reddidit.

Ita quidem in te olim a pueritia ſummus ille rerum opifex Deus optimus maximus ſtatuendae in Templo Sancto ſuo ingentis columnae jecit fundamenta virtutum, magnamque deſuper molem erigens, cunctantem te, detrectantemque, nec niſi ſpirituali obſequentem imperio, ad amplisſimorum magiſtratuum vocavit honeſtiſſimam functionem, atque demum eligit S. R. E. Diaconum Cardinalem, auxitque presbyteratu. Quo tanto dignatus honore, quamvis intus ob praeſtantem illam animi tui humilitatem ſub purpura duplo palleas; foris tamen prae oculis omnium maxima reſpleades claritudine; atque illa quidem non tam ex dignitatis ſplendore, quam ex virtutum radiis longe lateque fulgentibus comparata. Quo nomine cum boni omnes Deo ſe plurimum debere fateantur, quod in tanta ſaeculi hujus pravorum morum offuſa caligine, latentem lucernam ſub modio, extulit ſuper candelabrum, lucentem omnibus; ego in primis, qui eo amplius tam magno bono fruor, quo diuturna conſuetudine tibi propius accedo, Deo me magis devinctum eſſe profiteor, tibique cum ob virtutum praeclara merita, tum ob collata tua in me plurima beneficia, obſtrictum quam maxime.

Quorum gratia, cum Tomi hujus oblatio, leviſſima compenſatio videatur, finge tibi, quot in eo ſunt chartae, quot verſus, dictiones, ſyllabae, litterae, ac denique apices, tot eſſe ora clamantia, jugiterque dicentia; Gratias tibi referimus immortales, cujus munere coaluimus, ut e latebris in apertam lucem progrederemur. Nec nos modo id ipſum ingenue profiteri aequum fuerit, ſed & univerſam Oratorii Congregationem, matrem noſtram, cui per te, nimirum opera tua, pio ſaue ac ſaluberrimo conſilio,

te

te inquam, promotore, te auctore, incomparabilis theſaurus ille obvenit; Sanctorum videlicet Martyrum Papiae, & Mauri corporum: pignus duplex a Sixto V Pontifice Maximo ad aeternam rei memoriam ipſi dono datum. Quamobrem quantum praeclara iſta tam ſinceri, tamque eximii tui erga nos amoris monumenta excreverint, tantumdem noſtrae in te obſervantiae, debitaeque gratitudinis ſubinde augebitur cumulus, & tanta demum utrique fiet acceſſio, quanta venturorum deinceps ſaeculorum nulla umquam delere poſſit oblivio. Vale.

EPISTOLA XLI.

JOANNI IDEAQUEZ ORATORI HISPANO

CAESAR BARONIUS.

Tertium Annalium Eccleſiaſticorum Tomum ei dono mittit.

AUdio Illuſtriſſimam Dominationem Veſtram optimis litteris excultam, ſucciſivas interdum horas, quantum negotia ferunt, libenter in eiſdem impendere. Quod vitae ſolatium, & vobis jucundum, & aliis non inutile eſſe puto; tunc enim bene administrantur Reſpublicae, cum aut ſapientes praeſunt, aut qui praeſunt, philoſophantur. Haec de vobis concepta opinio, in cauſa fuit, ut tertium hunc Annalium Eccleſiaſticorum tomum, nuper a nobis editum, & nunc primum typis excuſum, Illuſtriſſimae Dominationi Veſtrae cum ſummae obſervantiae noſtrae teſtimonio offerendum curaremus. In eo multa reperiet Dominatio Veſtra a Sanctiſſimo Imperatore Conſtantino, pro Chriſti Domini gloria, & pro Catholica Religione amplificanda praeclare geſta, & inſtituta. Ad quorum inſtar, ſi pro temporum neceſsitate Illuſtriſsima D. V. Catholico Regi nonnulla opportune ſuggeſſerit, inſigniter, & Chriſtiani viri, & optimi Conſiliarii munere fungetur. Nec putet, quae pro Chriſto, & pro Eccleſia ipſius hic utiliter ſuaſerit, condigno praemio apud Deum optimum maximum caritura. Vale Romae IV Calendas Maii MDXCII.

Digitized by Google

EPISTOLA XLII.

GARCIAE DE LOAISA (a)

CAESAR BARONIUS.

Tertium Annalium Tomum dono mittit, ac ſubjicit multa illum in eo eſſe inventurum neceſſaria, & utilia pro inſtructione Filii Regis Hiſpaniarum ſuae curae commiſſi.

TErtium Annalium Eccleſiaſticorum tomum, de rebus a Conſtantino praeclare geſtis conſcriptum, Catholico Regi, qui ſanctiſſimi Imperatoris veſtigiis inſiſtens, religionem & pietatem ſimili zelo propugnat, nuncupatum, & nunc primo excuſum typis, Oratori Regio, qui Romae degit, proximis hiſce diebus tradidi, Catholicae Majeſtati meo nomine cum teſtimonio obſequii mei offerendum. Subiit vero poſtea cogitatio eamdem hiſtoriam, quae filios quoque ejusdem Imperatoris, & ipſorum res geſtas complectitur, aliqua etiam ratione Sereniſſimo Principi Catholici Regis filio deberi. Quapropter opportunam nactus occaſionem, mihi viſum eſt, unum ejusdem tertii Tomi exemplar Reverendiſsimae D. V. offerre, in quo multa reperiet Regis filio, cujus curam gerit, quemque ad optimorum Principum normam diligentiſsime inſtituit, ſcitu non inutilia. Quod, ſi Deo propitio, Reverendiſsima D. V. hortante, aliquid ex ejus lectione profecerit, qui ut plurimum quotidie proficiat totus orbis chriſtianus merito cupit, & praecatur, non exiguum laborum noſtrorum fructum collegiſſe exiſtimabimus. Deus Optimus Maximus Reverendiſsimam D.V. tueatur incolumem, ipſique inſpiret, quae recte moneat; & Domino Principi, ut recte & utiliter monenti obſequatur. Vale Romae IV Kalendas Maii MDXCII.

EPI-

(a) Garcias Loaiſa Hiſpanus, Compluteníis Academiae Doctor, Toletanus Canonicus & Archidiaconus, a Philippo ſecundo Rege Catholico ſtudiis unici filii Philippi Tertii praefectus, eo munere egregie functus eſt, Archiepiſcopus demum Toletanus creatus obiit anno 1599, aetatis 65. Concilia Hiſpaniae unum in corpus collegit, notiſque eruditis illuſtrata edidit.

EPISTOLA XLIII.

CAESARI BARONIO

THEOPHILUS ARCHIEPISCOPUS EBORENSIS.

Editos Annalium Tomos maximis exornat laudibus, atque ad opus proſequendum hortatur; futuramque Cardinalatus dignitatem auguratur.

Litteras tuas multis ab hinc diebus non accepi, quas tamen ſummopere deſidero; tum quia ex earum lectione amplos, & uberes doctrinae tuae fructus colligere ſoleo, tum etiam quia diuturnae vitae ſpatium tibi exopto, quam in excolenda Domini vinea cum tanto Reipublicae Chriſtianae profectu inſumis. Enim vero hoc tuum eruditiſsimum Annalium opus, ut eximiae ſapientiae tuae ſpecimen praeſefert; ſic indefeſsi laboris ſtudium, & erga Chriſtianae fidei augmentum, perpetuamque firmitatem, zelum oſtendit, ut cum pleriſque tam doctis, quam indoctis utiliſsimum ſit, tibi omnes ſummo jure gratulari debeamus. Ego enim quo pluries primi Tomi volumen ſtudioſe revolvo; neque enim alia duo, quae in lucem jam prodjiſſe audio, ad manus meas pervenerunt; eo amplius tui amore devincor, & in tui obſequium majora praeſtare deſidero, quorum mihi occaſiones, vel ipſo nutu tribuiſſe, pro ſingulari in me collato beneficio reputabo. Neque vero te quanto poſſum affectu, & animi contentione excitare deſinam, ut quam ſemel coepiſti, tam utilis, tam ſancti, tam pii operis provinciam, ad finem uſque perducas; & ſanctae Eccleſiae ſtatum, uſque ad noſtra tempora ordinatiſsime traductum, nobis delinees; quo majus populo Chriſtiano beneficium conferri nequit. Rationi autem conſentaneum eſt, ut ſi quidem perduelles haeretici nullum non lapidem movent, quo Eccleſiae unitatem, pacemque invadant, limpidiſsimoſque ſanctarum Scripturarum fontes conturbent maximis laboribus, & expenſis non parcendo; nihilominus nos, in veritatis catholicae defenſionem, ac propagationem toto animi conatu incumbamus. Surgant igitur, ſurgant Eccleſiae filii, qui Haereticorum tela in eosdem retorqueant; qui eiſdem vera litterarum ſapientia, & virtutis exemplo favorem, & auxilium praeſtent; ſicut tu, non minus pie, quam ſapienter hactenus feciſti.

ſti. Animum igitur ſume, te precor. Tuae enim hae lucubrationes, pluſquam immenſus auri theſaurus, qui in Caſtello Sancti Angeli reconditus circumfertur, vel etiam armati militum exercitus in Franciam miſsi, ad honorem matris noſtrae, & magiſtrae Eccleſiae protegendum conducunt. Ab ejus enim Sponſo Chriſto Jeſu, ultra eam, quam in illa deſiderata viventium terra colliges, remunerationem, quam citiſsime ſpero fore, ut ſacri Collegii inſigniis decoreris; quod in laborum tuorum praemium, & in operum tuorum majorem apud omnes auctoritatem, video redundare. Cujus quidem dignitatis ornamentum, quanto minus ambis, eo te omnes eadem digniſsimum, & meritiſſimum judicamus. Franciſci Mariae amici noſtri chariſsimi nuncium expecto. Si quid de ejus ſalute accepiſti, quamprimum facias certiorem oro; ipſumque de mea bona valetudine; gratiſſimum enim illi fore certo ſcio, ſi me bene valere intellexerit. Reliqua vero Archidiaconus noſter meo nomine tibi referet, & praecipue cauſam, ob quam ab incepto ſemel itinere retrogredi mihi viſum fuit. Te bene valere deſidero, reliquoſque tuae Congregationis Patres, quorum deditiſſimus ſum. Saluta amicos nominatim, & nos ama. Te amamus. Vale in Domino. Eborae Idibus Maii MDXCII.

EPISTOLA XLIV.

CAESARI BARONIO

FRANCISCUS BENCIUS (a)

De ſua valetudine certiorem reddit, quam perfectam ſe recuperaturum putat, ſi ille apud Deum preces effuderit.

QUi Scribunt ad homines in opera publica occupatos, & ſcribunt de re nihili, eos duppliciter peccare arbitror; primum obturbant rem communem, deinde laborem inutilem & capiunt ipſi, & aliis praebent. Quae enim iſta intemperantia garriendi? An alios a negotio deterres, quia tu otio abun-

(a) Hic ante quam Societati Jeſu nomen daret Plautus nuncupatus, admodum adoleſcens a Marco Antonio Mureto viro diſertiſſimo Romae Graecis Latiniſque literis eſt inſtitutus, ex quibus poſtea, quaſi fundamentis ad ſummam eloquentiae laudem pervenit. Ven. Card. Baronius hoc illum elogio celebrat: *FRANCISCUS BENCIUS vir maxime pius, & inſigniter eruditus, qui & muſas reddidit Chriſtianas, & ſuaviore concentu caneras.* Multa autem ſcripſit Bencius egregie tum ſoluta oratione, tum verſibus,

abundas? Haec me cogitatio, Pater ſapientiſſime, atque optime, adhuc ita detinuit, ut veritus ſim, tibi obſtrepere. Expectabam videlicet, dum aliquid exiſteret aliquando, quod ſi minus probabilem, at certe excuſabilem faceret ſcriptionem meam. Sed quoniam id differri ſentio, aut praeſentio magis, nunquam affuturum, & ardeo cupiditate incredibili, tecum per litteras colloquendi, perſuaderi mihi ſum paſſus, ut hoc ad te litterularum darem. Neque tamen eram ignarus notae omnibus, & ſpectatae mihi ſaepius ſingularis humanitatis in te, ut quemadmodum, iſtic cum eram, ſic etiam nunc modeſte feras moleſtam interpellationem; idque eo facilius mihi eventurum opinor, quod ſeponi poterit epiſtola ad illud uſque tempus, quo a labore aſſiduo remiſſionem aliquam quaeres, & brevitate ipſa non te retinebo diutius. Hoc tantum admonebo, quod tu aves ſcire, mihi, ex quo iſthinc diſceſſi, factum meliuſcule, ac ſpem eſſe, & curatione, & intermiſſione curarum, ut revertar plane belle me habens; ſi praecipue acceſſerit tua pro me precatio apud Deum. Quod omnino efficies, tum quoniam a me rogaris, tum quoniam, quod meminiſſe debes, praedixiſti mihi, nunquid velles quaerenti, nec tacenti cauſam diſceſus, me valentem iſthuc penitus, ac vegetum rediturum. Ita hanc etiam ob cauſam tua propemodum intereſt, ut convaleſcam, & ego nunc libentius do operam purgationibus; quod gratum tibi fore intelligo, amicum, ſi ita Deus volet, integra potius valetudine, quam afflicta habere. Tu velim tibi parcas, vel meo exemplo, his praeſertim temporibus, quibus imminent aeſtus graves Coelo Romano: & hoc profecto diligentius, quo vides in tua unius vita, quam collocas in opere iſto fructuoſiſſimo, ac pleniſſimo dignitatis, omnium prope Catholicorum ſalutem, & Chriſtianae hiſtoriae veritatem, ac fidem, quam maxime contineri. Vale, & me tuis ſodalibus Patribus meis, ſed praeter caeteros, ſi fas erit, Patrum Patri Philippo ſumma contentione commenda. Neapoli III Kal. Junii M.D.XCII.

EPI-

ſibus. Quae autem mandata ſunt typis, haec enumerantur. *Annuarum litterarum de rebus Societatis volumina quatuor*, quibus complexus eſt geſta annis 1586, & quinque ſequentibus. Romae typis Colleg. 1589; & ſeq. in octavo. *Quinque Martyres*, poema heroicum, Romae typ. Vaticanis 1592. *Orationum & poematum tom. duo*, in quibus ſunt Dramata *Ergaſtus*, & *Philotimus*, quae ſeorſim primum, tum vero etiam coniunctim edita ſunt Ingolſtadii ab Adam Sartorio anno 1599. M. Antonium Muretum praeceptorem ſuum funebri oratione laudavit, quae praefixa extat ejuſdem Mureti operibus. Obiit Bencius anno 1594, aetatis ſuae LII. Plura de eo habentur apud Janum Nicium Erythraeum in Pinacotheca altera, num. L, pag. 155. & apud Sotuellum in Biblioth. Script. Soc. Jesu pag. 215.

Digitized by Google

EPISTOLA XLV.

FRANCISCO BENCIO

CAESAR BARONIUS

Delectari plurimum in ejus epiſtolis teſtatur, licet laboribus praegravatus.

TUae me quidem litterae, non dicam oneratum, ſed obrutum negotiis offenderunt. Verum tantum abeſt, ut eis, quod verebaris, praegravatus fuerim, & oppreſſus, ut me illis maxime ſenſerim allevatum. Quis enim ſcriptorum tuorum lepore, atque facundia non emergat e triſtioribus, & erigatur ad laeta. Etenim eſt tibi pro plectro ſtylus, quo valeas inſtar David, etiam malo ſpiritu arreptos homines, ad meliorem mentis ſtatum reſtituere, & felicius, quam Orpheus, reddere cicures feras beſtias. Magna mihi gratia, mi Benci, te vel meminiſſe mei, ſed plane major etiam ſalutaſſe. Et ſane dediſſe etiam litteras, eaſdemque officii plenas, laudibus refertas, maxima ad cumulum acceſſio facta eſt; adeo ut, qui curis merſus, & obrutus eram, tuis affluens divitiis, totus effluam, non capiens ultra me ipſum prae laetitia. Tantum namque abfuit, ut lecta tua epiſtola, eam ad commodius ſepoſuerim tempus, ut ter, quaterque legens, toties aeque me praedicarem beatum. Abundare te dicis otio, ſed nunquam, minus otioſus; ſicut nec minus ſolus, quam cum ſolus. Eſt tibi otium; verum non quod ex Syrenarum cantu, in quarum terra verſaris, ſoporem inducat; cum & in muſarum domicilio melius, quam muſae doceant, pſallas ſpiritu, pſallas & mente; & gratius, quam Charites, te caritas Dei foveat, quae neſciat otioſa conſiſtere. Quod tantopere, meam valetudinem tibi curae eſſe ſignificas; precariam ſcito me trahere vitam, quae fratrum precibus propagetur. Si itaque tu cum aliis pro me Deum precatus fueris, fiet, ut tua quoque opera Deo vivam: quod crebro facias, vehementer rogo. Tu vero interim perfectam aſſequere valetudinem, quo te collaborantem pro Dei Eccleſia athletam fortiſſimum nanciſcamur. Vale, ſaluta Patres & fratres nomine omnium noſtrum. Romae Idibus Junii Anno Domini M. D. XCII.

EPI-

EPISTOLA XLVI.

ALOYSIO PRAESIDENTI UNIVERSITATIS CONIMBRICAE

CAESAR BARONIUS.

Multa edit chriſtianae amicitiae, & humilitatis argumenta.

POST hauſtos omnium ſcientiarum foecundos calices, & ex cratere inebriatus ſapientiae, quid mirum, ſi nimis exatiatus, ſiceram laudes? Parere id ſolet affluens rerum copia, ut exotica, licet vilia ſint, in pretio habeantur. Tu, qui occiduum Orbem doces, tanto praeconio Annales noſtros commendas, adeo ut profitearis, te in illis invenire, quae diſcas? Sic plane ſaepe contingit, ludere ſenes cum pueris; vide, ne ex his bis puer ſenex ex more dicaris. Parce tibi, o Magiſtrorum Magiſter, & mihi hoc indulge, ut tuus diſcipulus dici merear. Quod ſi, & illud addidero, ut me inter tuos amicos adnumeres; ad menſuram bonam, utique confertam, atque coagitatam adjicies; quo nihil gratius, nihilque jucundius eſſe continget. Sicque tua munificentia additamentum illud acceſſerit, ut pro me ad Deum preces fundas, utique & ſupereffluentem menſuram effundes. De lucubrationibus noſtris, quod ſcire cupis, tertio jam cuſo Annalium tomo, quartus infra menſem praelo ſubjicietur. Secunda horum editio, quae Antuerpiae paratur, emendata a nobis, & aucta eſt: excuſiſque ibi tomis primo, atque ſecundo, tertius ſub praelo eſt. Inde potius eos velim accipias; dabo tamen Romae editos, ſi erit, qui exigat. Vale. Romae Kal. Junii. Anno Domini MDXCII.

EPISTOLA XLVII.

EPISCOPO CONIMBRICENSI

CAESAR BARONIUS.

Pecuniam ſibi oblatam conſtanter recuſat.

QUod ſtellio, vile animal, nullius penitus uſus, & inter minima terrae rejectum, in domibus Regum habitet, idipſum plane eſt, ut Baronius in memoria verſetur

Digitized by Google

clariſsimorum Antiſtitum. Unde mihi, ut nobiliſsimae Eccleſiae nobiliſsimus aeque Epiſcopus, adeo immenſo me proſequatur officio, dum pecunias ad impenſas Annalium offert? Praeſtas ſane, quod Regum eſt; exhibes, quod Epiſcopalem munificentiam decet; ac plane exſolvis, quod Chriſtiana paupertas exigit. Sed, cum omnes ſimul partes ita impleas, ſinas, obſecro, & meos me abſolvere numeros, paupertatemque, bonorum omnium mihi conciliatricem, arctius confovere, ne ingratus deſeram ipſam; ex qua, velut è fonte omnia mihi bona fluxere; ſatis ipſa mihi abundans, & opulenta eſt. Quamobrem pecuniam, nomine tuo oblatam ab egregio, & praeſtantiſsimo viro Archidiacono Eborenſi, haud rejicio, ſaltu contemnens; ſed continens, gratiaſque immenſas agens abſtineo. Nam ſatis mihi ad ſitim exigua ſtilla fluit, ut aurifero Tago opus non habeam. Caeterum, ſi ex ditiori theſauro potiora dona deprompſeris, nempe preces ad Deum, eas libenter accipiam. His enim plurimum egeo, quibus & locupletari cum avidius appetam, his frequentari muneribus opto. Vale Pater amantiſsime, meque tuis officiis provocatum, tibi addictiſsimum, certo ſcito. Romae Kal. Junii. Anno Domini MDXCII.

EPISTOLA XLVIII.

EPISCOPO CONIMBRICENSI

CAESAR BARONIUS.

Se excuſat, quod non receperit pecuniam, ab eo miſſam, ad impenſam Annalium; paupertatem quovis theſauro ſibi cariorem eſſe affirmans.

RUrſum tui, una cum Reverendiſſimo D. Luſitaniae Regni Legato, tanto Duce ſummis viribus, conferto agmine, magno impetu, certaminibus etiam iteratis, telis me aureis appetiere. Sed fruſtra quidem tantus apparatus ad bellum, cum abſque pugna, me totum tibi penitus dedam. Quid? niſi auro oppugner, & auro victus expugner, tuus eſſe non poſſum? & niſi aureis catenis obſtrictus, tibi devinctus ſervire non valeo? Fortiora, mihi crede, arctioraque ſunt vincula illa tua, quae virtutibus, doctrina, una cum generis claritudine nexa, triplicem funiculum illum efficiunt, qui difficile rumpitur; quo me abs

abs te vinctum, obſtrictumque inſolubili nexu ſcito. Scribe igitur laetus hoſce tibi victoriae titulos, me abs te non auro; verum quod longe praeſtantius eſt, ſumma virtutum tuarum potentia ſuperatum, captum, victum, vinctumque, perpetuo ſerviturum. Sed, & ad ſolatium tibi illud, quod ex munificentia tua, ea aliunde facta eſt rebus noſtris acceſſio, ut externo ſubſidio non amplius indigeamus. Haec vero pluribus tibi tui. Accepi graviſſimam concionem tuam, Apoſtolico viro dignam, quae lectionis unius hauſtu devorata, facta eſt mihi avidioris famis irritamentum, ut alias lucubrationes tuas cupiam, atque petam. Quod pertinet ad res noſtras, quartus tomus Annalium ſub praelo eſt. Foveas me, meaque tuis precibus, rogo. Vale. Romae III Nonas Auguſti. Anno Domini MDXCII.

EPISTOLA XLIX.

THEOPHILO EPISCOPO EBORENSI

CAESAR BARONIUS.

Integerrima ſui ipſius humilitas, & religio, veluti in Tabula expreſſa, conſpicitur.

CUM exoptata diu tua praeſentia Romae proxime perfrui putaremus, jamque meditaremur, non dico ruere in amplexus, ſed advolvi genibus, ſacram prehenſare dexteram, & oſcula figere, ecce redditae abs te litterae ſpem noſtram vulnerant, imo penitus ferme ſuccidunt; quibus perinde, ac ſoleant parentes abblandiri pueris dulcioribus verbis, demulcere genas, blandeque attrectare caput, ut ſic cohibeant erumpentes lacrymas, ex negatis petitis rebus, tu, quo moerorem auferas, tot, tantaque laudum praeconia ingeris, totuſque in eo argumento verſaris, ut res noſtras haud mediocribus, ſed exundantibus plane laudibus celebres. At ſicut, ne ſic quidem conceptum dolorem exhauris; ita & laborem immenſum adjicis, adigiſque apoſtolicam mox arripere falcem, qua luxuriantes in pampinis laudum mearum litteras tuas ex parte amputem, dum revocare in memoriam cogis illud Apoſtoli; *Quid habes homo, quod non accepiſti, & ſi accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Illudque mente repetere; *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis; ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt:*

Oo 2 rurſum-

rurſumque & illud verſare animo ; *Qui gloriatur , in Domino glorietur* ; & alia hujuſmodi ad ſalutem profugia quaerere . Ut plane intelligas , quot me laudibus ornas , tot me jaculis petere ; unde opus ſit ad certamen legitime auſpicandum , totius pene divinae Scripturae armamentaria exhaurire , induereque in primis loricam juſtitiae , ſcutum fidei , & galeam ſalutis aſſumere , atque accipere gladium ſpiritus , quo ab indicto praelio illaeſus evadam . Haud enim mediocre , leveque bellum eſt , quod ab inani , ſed potenti , ad malum inferendum , gloria excitatur ; cum humanum genus laudum cupidiſſimum ſit . Quamobrem ex Sapientis ſententia magis placeant , quae ab amicis inferuntur vulnera , quam oſcula : illis enim ſanamur , iſtis confodimur. Vulnera igitur potius ſeveritate judicii , nec amore nimio , parcas ; ſed quicquid in noſtris lucubrationibus inveneris , cenſura dignum (in multiloquio namque non ſolet abeſſe peccatum) ſumma auſteritate caſtiga . Quod faciens vere te mei amantiſſimum , atque rerum mearum ſtudioſiſsimum exhibebis : quo nomine erit , ut tibi plurimum debeam . Vale . R. P. Franciſcus Maria noſtrae Congregationis ſummum decus , & ornamentum , tuus ſervus , pro impertitis abs te ſalutationibus , immortales gratias agit , eaſdemque majori auctas foenore reddit . Romae pridie Nonas Julii . Anno Domini MDXCII.

EPISTOLA L.

CAESARI BARONIO

NICOLAUS FABER (a).

Summam ejus humanitatem effert ; & gratias agit pro judicio de vita Ambroſii a Paulino conſcripta , cujus emendationes quaſdam mittit . Mittitque ei praeterea ex veteri Codice epiſtolam ad Julium Papam .

EX tuis litteris , quas ad me XI Kal. Junias dediſti , eam voluptatem percepi , quam ex ejus colligere par eſt , quem pie veneror , & colo . Etenim ingratus ſim , vir maxime , niſi te , tam praeclare de Chriſti Eccleſia meritum , quo nomine cunctos tibi

(a) Vide quae de Nicolao Fabro a nobis ſuperius dicta ſunt in nota (b) Ad Epiſt. XXVIII. pag. 222.

tibi beneficio devinxiſti, privatimque tantum mei amantem, quantum epiſtola tua praeteſers, ſingulari quodam prae caeteris affectu, & pietate proſequar. Nam, quod me aliquem eſſe putas, quod apinas meas, & tricas tanti ſacis, non dignationis meae, aut meriti, ſed abundantiae tui amoris eſſe agnoſco, & ejus apoſtolicae abjectionis, qua infimos etiam tibi praeponis. Ita divinae legis, tam diligens obſervator, quam doctor egregius, debitam virtuti, & eruditioni laudem, Myſtarum ultimo, καὶ περιψήματι affingis. Verum, ſi licet tecum παῤῥησιάζεσθαι τὴν ἀλήθειαν, quamvis magnifica illa encomia ſint benevolentis animi, & amici certiſsima indicia, quo nihil mihi jucundius, nihilque optabilius obtingere poteſt; tamen animus facilis, & vulgaribus contentus, ſuam conditionem toto coelo excedentia, neſcio quo modo averſatur, ac reſpuit. Quare obnixe te rogo, ut ab ejuſmodi laudationibus in poſterum abſtineas, nec adeo affectui indulgeas, ut non etiam quid mihi conveniat, ſpectes. Quin potius, venerandum mihi caput, flumen illud ingenii tui in iis ſcribendis inſume, quibus lectis melior, & tua amicitia dignior effici poſsim. Ais te diſputationem de vino myrrhato ſcriptis tuis inſerturum. Dicam, quod ille apud Naevium, quandoquidem ita lubet, laetatus ſum laudari a te, Pater, laudato viro. Hoc enim nomen & dignitati tuae, & venerationi in te meae competit; & aliquod extare publicum tuae benevolentiae veſtigium, perhonorificum duco. Veruntamen, quoniam ex parte me novi, per eum, cui interiora noſtra patent, oro atque obteſtor, ut id nudo nomine, & abſque ullo elogio facias; bonique conſulas, ſi non firmae amicus valetudinis, tibi talium rerum prudenti, morbum meum detego. Judicium tuum de Paulino, quod miſiſti, vehementer approbo, eoque nomine ingentes ago gratias. Non arbitror certiora poſſe ex Libris, qui ſuperſunt, de illo Auctore cognoſci. Veteres tamen codices, inter quos unum praecipuae notae, & fidei vidi; quod ex quibuſdam emendationibus, quas huic epiſtolae ſubjiciam, perſpicuum tibi fiet; Epiſcopum eum conſtanter vocant. Sed pronus eſt error, in auctoribus ejuſdem nominis, notiori aſsignare, quod alterius eſt minus noti. Ita enim & B. Martini vitam a quodam Paulino, illo fortaſſe, qui Ephemeridem ſcripſit longo poſt Nolani obitum tempore, ſex Libris abſolutam, dicatamque Perpetuo Epiſcopo; quem circa Annum Domini 472, ſextum poſt B. Martinum, Eccleſiae Turonenſi praefuiſſe teſtantur Sidonius Apollinaris, Gregorius Turonenſis, & Sigebertus; eidem

eidem Nolano idem Gregorius Turonenſis, & Fortunatus tribuerunt. Cujus tamen auctor, ſe a Nolano alium indicaſſe, vir exactiſsimi judicii Sirmundus ex ſodalibus Jeſuitis me monuit. Nam ille Auctor Libro II, loquens de Paulino Nolano, a B. Viro curato, haec habet.

„ Quin & Paulino ſimilis medicina ſalutem
„ Reddidit, inſignis fidei quam gloria late
„ Exhibuit

Quod Nolanus ille eximiae vir humilitatis de ſe non dixiſſet. Subdit praeterea;

„ Atque utinam noſtri tenebras contingere cordis
„ Tali luce velit ſancti medicina patroni,
„ Reddat ut antiqui rurſum myſteria facti.

Nomen idem, medicus idem, par cauſa medendi; quae dubitandi rationem nullam relinqunt (a). Epiſtolam ad Julium Papam, quam petis, mitto, non uſquequaque integram, ſed qualem habet vetus Codex, quem unicum vidi. Caetera etiam, quae ex illo indice deſideras, lubentiſſime adjuncturus, ſi facultas ſuppeteret. Nunc vero, ut nihil te celem, omnium rerum inopia publice, privatimque premimur; ita ut in hoc tantae quondam urbis cadavere; nam ne umbra quidem urbis ſupereſt, peccat is ita exigentibus, & antiquae dignitatis noſtrae, aut opulentiae; ex iis, qui ejuſmodi officiis operas ſuas locare ſolent, non reperiatur, qui latine tranſcribere ſciat. Ego autem, & peſſime, ut vides, pingo, & invitiſſimus admoveo manum calamo. Nihil eſt tamen, aut laboris, aut moleſtiae, quod non tua cauſa ſubeam alacriter. Hoc unum peto, quandoquidem aliqua ex iis, quae illo Indice comprehenduntur, in locupletiſſimis veſtris bibliothecis reperiri non dubito, ne noctuas, quod ajunt, Athenas, quae non reperiuntur, indices; effecturumque ſpondeo, ut nec fidem, nec diligentiam meam requiras. Dominus Pillioeus plurimam

(a) Paulinum praedictorum carminum auctorem, alium eſſe a Nolano Antiſtite ſcribit Ven. Cardin. Baronius ad annum 402, num. 53, ſi verum eſt, quod narrat Gregorius Turonenſis; Paulinum nempe, qui Beati Martini geſta verſibus exaravit, mutuatum eſſe a Perpetuo Epiſcopo Turonenſi, quae Lib. VI de Miraculis S. Martini conſcripſit. Ab obitu enim S. Martini uſque ad Perpetuum effluxerunt, juxta eumdem Gregorium, anni ſexaginta quatuor. Ad quod tempus Paulinum Nolanum minime perveniſſe conſtat; cum ex Uranio, obierit anno 431, & ex ipſius ſecundi Paulini aſſertione ſatis eſt exploratum, quum ſe pariter, ad inſtar majoris illius Paulini, oculis curatum tradat. Nec mirum eſt, duos viros cognomines, ab eodem morbo, ope ejusdem Sancti liberatos, in gratiarum actionem carmen heroicum de ejus vita illi rependiſſe; quum & Venantius Fortunatus eadem de cauſa vitam ipſius S. Martini quatuor Libris Carminum fuerit comprehenſus.

Digitized by Google

rimam tibi impertit ſalutem, & quicquid eſt ſuae opis, in quo tuos labores juvare poſſit, libentiſſimus offert; reipſa praeſtiturus, cum primum facultas aderit. Vale Pater honorandiſſime, tuumque Fabrum, qui te filii veneratur animo, ut facis, redama. Lutetiae Pariſiorum XIII Kal. Auguſti. Anno Domini MDXCII.

IN VITA B. AMBROSII A PAULINO CONSCRIPTA VETUS CODEX OPTIMAE NOTAE SEQUENTES LOCOS ITA HABET.

PEr idem tempus mortuo Auxentio &c. incubabat Eccleſiae, eum populus ad ſeditionem inſurgeret in petendo Epiſcopo, eſſetque illi cura &c. Paulo poſt. *Subito vox Feſtus infantis in populum ſonuiſſe Ambroſium Epiſcopum, ad cujus vocis ſonitum totius populi ora converſa acclamantis Ambroſium Epiſcopum.* Poſt unius paginae interſtitium. *Quod tamen ſignum ſanitatis, ut mirabile fuit, ita etiam nec occultum. Nam hoc in hac regione poſitus poſt annos plurimos ſanctis viris referentibus cognovi.* Poſt ſemipaginam. *Sed haec confeſſio hominis, nec mulieris furorem, nec veſanorum Arrianorum dementiam repreſſit.* Poſt duas fere paginas. *Regnumque, quod arripuerat, foemineo quodamodo timore depoſuit, ut ſe procuratorem reip. non Imperatorem fuiſſe confiteretur. Mortua vero Juſtina &c. Innocentius nomine, ſed opere crudeliſſimus.* Et poſt quaedam. *Atque ita puer quamdiu Mediolani, apud Epiſcopum fuit nulla in illo diaboli dominatio apparuit.* Item paulo poſt. *Imperator praeceperat ut Synagoga ab Epiſcopo loci readificaretur, in monachos vero vindicaretur.* Poſt pauca. *Contra nos propoſuiſti hodie Epiſcope.* Poſt duas paginas. *Extincto itaque Eugenio Satellibuſque ejus, cum ſcripta acciperet Sanctus Ambroſius Imperatoris Theodoſii, non illi alia cura major fuit, quam ut pro his interveniret, quos reos invenerat. Deinde Aquilejam perrexit ad praedicandam pro eis, quibus facile venia impetrata eſt &c. orationibus ejus ſe eſſe ſervatum.* Paulo poſt. *Caput etiam ipſius, quod ab impiis fuerat abſciſſum ita integrum &c.* Poſt paginam unam. *Theodoro tunc Notario, qui poſtea ſumma cum gratia Mutinenſem rexit Eccleſiam.* Paulo poſt, *Miſſiſque muneribus ad Eccleſiam per legatos poſtulavit &c.* Poſt pauca. *Et tu quidem venies ad Eccleſiam, apertiſque januis, non invenies qua ingrediaris.* Poſt duas paginas, & dimidiam. *Honoratus autem Sacerdos Eccleſiae Vercellenſis, cum in ſuperiora domus ſe quieti compoſuiſſet.* Poſt pauca. *Sed nulli prae-*

Digitized by Google

praeter recenter baptizatos videre poterant, quia tam mundos oculos non habebant.

EXEMPLUM EPISTOLAE FACTAE AD JULIUM URBIS ROMAE EPISCOPUM.
JULIO EPISCOPO A SYNODO DIRECTAE.

Quod ſemper credidimus, etiam nunc ſentimus. Experientia enim probat, quae quiſque auditione audivit. Verum eſt enim quod Beatiſſimus Magiſter gentium Paulus de ſe locutus eſt, quamquam utique, quia in ipſo Dominus Chriſtus habitavit, dubitari non poſſit, ſpiritum per animam ejus loculum, & organum corporis perſonaſſe. Et tu itaque, dilectiſſime frater, corpore ſeparatus, mente, corde, ac voluntate adfuiſti. Et honeſta fuit, & neceſſaria excuſatio abſentiae, ne aut lupi Schiſmatici furtum facerent, & raperent per inſidias, aut canes haeretici, rabido furore exciti, inſani oblatrarent, aut certe ſerpens diabolus blaſphemiarum venenum effunderet. Hoc autem optimum, & valde congruentiſſimum eſſe videbitur, ſi ad Caput, ideſt ad Petri Apoſtoli ſedem, de ſingulis quibuſque provinciis Domini referant Sacerdotes. Quoniam ergo Univerſa, quae geſta ſunt, quae acta, quae conſtituta, & chartae continent, & vivae voces chariſſimorum fratrum, & compreſbyterorum noſtrorum Archydami, & Filoxeni, & chariſſimi, filii noſtri Leonis Diaconi veriſſime ac fideliter exponere potuerunt, pene ſupervacuum videtur, eadem his referre litteris.

Patuit apud omnes, qui convenerant ex partibus Orientis, qui ſe appellant Epiſcopos, quamquam ſint ex iis certi auctores, quorum ſacrilegas mentes Arriana haereſis peſtifero tinxit veneno, diu torqueſſati ſic propter diffidentiam ad judicium venire noluiſſe, ſuamque, & noſtram reprehendere Communionem, quae nullam habebat culpam. Quia non ſolum, octoginta Epiſcopis teſtantibus de innocentia Athanaſii pariter credimus, ſed & conventi per presbyteros tuos, & per epiſtolam, & ſynodum, quae futura erat in Urbe Roma, venire noluerunt. Et ſatis erat iniquum, illis contemnentibus, tot Sacerdotibus teſtimonium perhibentibus Marcello, & Athanoſio denegare ſocietatem. Tria fuerunt, quae tractanda erant. Nam & ipſi religioſiſſimi Imperatores permiſerunt, ut de integro univerſa diſcuſſa diſputarentur, & ante omnia de ſancta fide, & de integritate veritatis, quam violaverunt.

Secun-

Secunda de perſonis, quas dicebant eſſe dejectas de iniquo judicio, vel ſi potuiſſent probare, juſta fieret confirmatio.

Tertia vero quaeſtio appellanda eſt, quod graves, & acerbas injurias, intolerabiles etiam, & nepharias contumelias Eccleſiis feciſſent, cum raperent Epiſcopos, presbyteros, diacones, & omnes Clericos in exilium mitterent, ad deſerta loca transducerent, fame, ſiti, nuditate, & omni egeſtate necarent; alios clauſos carcere, & ſqualore, & putore conficerent; nonnullos ferreis vinculis, ita ut cervices, eis arctiſſimis, ſtrangularentur; denique ex ipſis quidam vincti in eadem injuſta defecerunt poena: quorum ambigi non poteſt, martyrio glorioſam mortem extitiſſe. Adhuc quoque audent, quoſdam retinere, nec ulla cauſa fuit criminis, niſi quod repugnarent, & clamarent, quod execrarentur Arrianam, & Euſebii haereſim, & nollent habere cum talibus communionem, qui aut in ſaeculo ſervire maluerunt prodeſſe. Et qui ante fuerant dejecti, non ſolum recepti ſunt, ſed etiam ad Clericam dignitatem promoti, & acceperunt praemium falſitatis. Quid autem de impiis, & de imperitis adoleſcentibus Urſacio, & Valente ſtatutum ſit, beatiſſime frater, quia manifeſtum erat, eos non ceſſare adulterinae doctrinae lethalia ſemina ſpargere, & quod Valens, relicta Eccleſia, Eccleſiam aliam invadere voluiſſet; & quod eo tempore, quo ſeditionem commovit, unus ex fratribus noſtris, qui fugere non potuit, viator obrutus & conculcatus in eadem Aquilejenſium Civitate die tertia defecit. Cauſa utique mortis fuit Valens, qui perturbavit, qui ſolicitavit. Sed ea, quae Beatiſſimis Auguſtis ſignificavimus, cum legeritis, facile pervidebitis, nihil vos praetermiſiſſe, quantum ratio patiebatur. Et ne moleſta eſſet longa narratio, quae feciſſent, & commiſiſſent, inſinuavimus. Tua autem excellens prudentia diſponere debet, ut per tua ſcripta in Sicilia, in Sardinia, in Italia, qui ſunt fratres noſtri, quae acta ſunt, & quae definita cognoſcant, & ne ignorantes eorum accipiant litteras communicatorias, id eſt epiſtolas, quos juſta ſententia degradavit. Perſeverent Marcellus, & Athanaſius & Aſclepias in noſtra communione, quia eis obeſſe non poterat iniquum judicium, fuga, & tergiverſatio eorum, qui ad judicium omnium Epiſcoporum, qui convenimus, venire noluerunt. Caetera, ſicuti ſuperius commemoravimus, plena relatio fratrum, quos ſincera caritas tua miſit, unam virtutem tuam perdocebunt. Eorum autem nomina, qui pro faci-

noribus dejecti ſunt, ſubjicere curavimus, ut ſciret eximia gravitas tua, qui eſſent communione privati, uti ante praelocuti ſumus. Omnes fratres, & Coepiſcopos noſtros litteris tuis admonere digneris, ne epiſtolas, ideſt litteras communicatorias eorum accipiant. Nomina haereticorum Urſacius a Sigiduna, Valens a Murſa, Narciſus ab Hierapoli, Stephanus ab Auterebia, Acacius a Caeſarea, Menoſantus ab Epheſo, Georgius a Laodicea. Item nomina Epiſcoporum infra, qui Synodo Sardicenſi fuerunt, & ſubſcripſerunt, iidem in judicio, Oſſius ab Spannia Cordubenſis, Anianus ab Spannia de Caſtullona, Florentinus ab Spannia de Emerita &c. Epiſcopi omnes unus, & ſexaginta.

EPISTOLA LI.

CAESARI BARONIO

FR. LUDOVICUS SOTTOMAJOR (*a*).

Gratias agit pro acceptis ab eo litteris, maximi muneris loco ducens, quod inter ejus amicos numeratus ſit, & enixius eum deprecatur nomine Epiſcopi Conimbricenſis, ut miſſos ab eo quingentos aureos nummos hilari animo recipiat.

VIR doctiſſime, accepi primas litteras tuas, & quidem deſideratiſſimas, quaſi primitias quaſdam amoris noſtri. Dixi deſideratiſſimas; has enim prius quam acciperem, vehementer deſiderabam; ut ſcilicet inter nos extaret aliquod teſtimonium luculentum, & certum mutui amoris, & praeſertim benevolentiae, & voluntatis erga me tuae. Si enim jucundum eſt laudari a laudato viro, o Pater, quanto vero magis diligi, atque amari.

(*a*) Fr. Lodovicus de Sottomajor Luſitanus Olyſſiponenſis Ordinis Praedicatorum vir ſacrorum dogmatum ſcientia, & hebraicae ac graecae linguarum cognitione illuſtris. Interfuit poſtremis ſeſſionibus Concilii Tridentini ſub Pio IV; atque hinc Luſitaniam rediens, coepit in Academia Conimbricenſi ſacrarum litterarum interpretem agere, & doctiſſima in quoſdam ſacrae Scripturae Libros digerere commentaria: ad quorum editionem invitatus eſt a Clemente VIII Pont. Max. datis ad eum litteris XXVIII Martii 1597. Obiit Conimbricae ann. 1610, ipſo Pentecoſtes die, annos natos 84. Plura de eo habentur in hiſtoria Dominicana Regni Portugalliae Part. 1, Lib. III, Cap. XXXVIII, & ſeq. nec non in Hiſtoria Generali Praedicatorum Part. III, Lib. III, Cap. LX. Scripſit interpretationem & notas in Canticum Canticorum, & Commentaria ad priorem & poſteriorem Pauli Apoſtoli epiſtolam ad Timotheum, & in ejuſdem Epiſtolam ad Titum. Commentaria item duo alia in Jobum & Joannis Evangelium, quae laudantur ab Auctore Hiſt. Caſtellanae Ordinis Praedicatorum; ſed ea nuſquam, quod ſciam, impreſſa ſunt.

Digitized by Google

ri. Ego vero fateor, vel certe hoc nomine, me plurimum debere D. Petro de Vaſconcellos Archidiacono Eborenſi; quem ego jamdiu plurimum merito ſuo diligo, & loco filii habeo; ſed nunc & colo; quod talem, & tantam amicitiam, id eſt tuam, tanquam bonus paranymphus, tam facile, & feliciter mihi conciliaverit; quemadmodum optabam, ex quo tempore Annales tuos perlegi, ac perguſtavi. Deſperabam enim propemodum, me facile id conſequuturum in tanta diſtantia locorum, & temporum turbulentia. Uſque adeo haec mihi res ardua, & difficilis videbatur, quod erat; ſed tamen Deus facile viam invenit, & cito. Quapropter immortales, & quantas maximas poſſum ei gratias ago, & ſupplex peto, ut hanc noſtram amicitiam ſecundet, & augeat in dies magis, ac magis. Ego enim, quantum in me erit, diligenter operam dabo, ut Spartam, quam nactus jam ſum, ornem; idemque ipſum te pro tua virili parte viciſſim facturum, non dubito, ſed optime ſpero de tua eximia humanitate, ac modeſtia ſingulari; quippe qua omnibus hominibus te inferiorem eſſe arbitraris, & facis; ſed tamen exemplo, & praecepto unici illius caeleſtis magiſtri, quem adamuſſim imitari, & ſequi praeſertim conſtituiſti. Quicquid tamen de te ipſe ſentias, vel dicas, parum certe illud eſt, quod praecipue a me in litteris tuis petis; nempe ut te inter amicos meos adnumerem, niſi etiam inter eos principem locum habeas, qualem quidem habere oportet, virum ſapientiſſimum. Qui enim viros ſapientes honorat, is ſapientiam ipſam potius videtur honorare. Unde eſt illud Platonis Cap. II ad Dionyſium Siciliae Tyrannum; *Si tu honorare me prius coeperis, ipſam philoſophiam videberis honorare &c.* Caeterum vir ornatiſſime, quod pertinet ad Reverendiſſimum Dominum Epiſcopum Conimbricenſem, accepit ille, & legit libentiſſime tuas litteras, & ita propenſior in te factus eſt, & tui amantior. Nam perlectis litteris tuis, mox praeſente me, ac bene favente juſſit atque mandavit, ut tibi ſuo nomine pro trecentis, quingenti ducati re ipſa mitterentur, & redderentur Romae per Eduardum Pauli mercatorem Luſitanum. De qua quidem re ſcribo ad amicum noſtrum D. Petrum Alphonſi de Veſconcellos. Ille enim, ut ſpero, rem ita perficiet, ut tu ſine ulla tua moleſtia, vel nota pudoris, ac modeſtiae tuae hoc beneficium accipias. Neque eſt, quod recuſes hanc liberalitatem tam promptam Reverendiſſimi Epiſcopi Conimbricenſis, vel ſpernas operam noſtram, & officium. Meminiſſe enim debes, quod docet Ariſtoteles in Li-

Libris Ethicorum, Cap. de Liberalitate; nempe oportere hominem liberalem, interdum etiam aliquid accipere; & illiberale eſſe, prorſus nihil omnino velle accipere. Poſtremo, & maxime illud te obſecro, & obteſtor per noſtram amicitiam, ut pergas pede fauſto, in eo quod tam feliciter inſtituiſti, ideſt in edendis in lucem ſcriptis, & operibus tuis omnibus; ne forte videaris occultare talentum, ſive gratiam, quam accepiſti ad publicam, & communem Eccleſiae utilitatem; ſed potius auctiorem reddere eam communicando. Vale plurimum, Vir ornatiſſime, & Deum etiam ſollicite pro me precari memento. Datum Conimbricae Kal. Auguſti. MDXCII.

EPISTOLA LII.

CAESARI BARONIO.

STANISLAUS CARCOVIUS ARCHIEPISCOPUS GNESNENSIS.

Annalium opus plurimum commendat, atque in eo divinum conſilium admiratur, quo illud excitaverit, veluti firmiſſimum totius Chriſtianae Reipublicae propugnaculum, ad evertenda Magdeburgenſium Centuriatorum machinamenta. Egregie ſentit de Familia S. Ignatii Loyolae, ac Bellarminum, auctore ipſo Baronio, cui pollicetur omnem operam, plurimi facit.

Officium fraternae caritatis, qua chriſtianae fidei, religioniſque communione colligamur, hoc a me, licet tibi de facie non ſim notus, jure quodam ſuo poſtulat, ut tibi commune in chriſtianam Rempublicam abs te profectum bonum gratuler; Annales nempe Eccleſiaſticos, nuper abs te editos; gaudiumque meum non vulgare, quo ſum ex hoc laborum tuorum fructu eximie affectus, apud te expromam. Cum enim primum, atque alterum eorum Annalium volumen avide perlegiſſem; ſero enim in manus meas pervenerunt; egi tantas, quantas animus meus capere potuit, Deo bonorum omnium auctori gratias, qui in neceſſariis Eccleſiae ſuae providit opportuno tempore; tibique non modo mentem, & voluntatem indidit ad opus arduum, difficile, propeque immenſi laboris, in quo annos, ut ſcribis, triginta deſudaſti, ſuſcipiendum; ſed etiam vires, faculta-tem-

temque praeſtitit, ad perficiendum. Tuum vero pectus, plenum pietatis, & amoris in Deum, plenum omnis doctrinae ac ſcientiae, abſens, abſentis tanquam praeſentis, dum libros evolverem, cupidiſſime ſum exoſculatus, atque incredibili tui ſtudio accenſus. Natura enim, ipſa optima duce, cupide ferimur in eorum amorem, qui inſigni una aliqua virtute excellunt; in eorum vero, qui pluribus, cupidius; qui autem non modo pleni ipſi ſunt coeleſtibus iſtis diviniſque dotibus, ſed & alios iisdem locupletare ſolent, hos uti vaſa divini ſpiritus, ejuſque donorum a Deo electa, omnium maxime ſuſpicimus & veneramur, capimurque ſummo & admirabili eorum amore. Jampridem ego de te multa a noſtris hominibus, qui te in noſtram gentem ſuaviter effuſum narrabant, mea magna cum voluptate audieram, perſpexeramque, emendato Martyrologio, tuam pietatem, & ſtudium Dei gloriae propagandae, ejuſque Eccleſiae ornandae. Sed cum Annalium volumen primum, ac poſtea alterum in manus noſtras veniſſet, haec mihi in te tanto illuſtriora viſa ſunt, quanto es, vaſtius pelagus non modo ingreſſus, ſed prope emenſus. Ac repetenti quidem mihi memoria divinae bonitatis conſuetudinem, quam in Eccleſiae iſtius militantis regimine ab ipſis ejus incunabilis retinet, videntur ſemper novis morbis nova remedia fuiſſe ſubminiſtrata. Ita, ut recentiora, & quae ſub aſpectum noſtrorum venerunt, tantum attingam, cum Lutherus haereſis ſuae virus effundere coepiſſet, quo maxima Europae pars infecta fuit, quodque ſectas innumeras inter ſe admodum diſſectas peperit, excitatus fuit clariſſimus Societatis Jeſu Ordo, qui cum aliis pro Eccleſia laborantibus, hac peſtifera lue mortalium animos liberaret. Ex qua, cum alii plurimi viri, Dei ſpiritu pleni, omnique genere ſcientiae ac doctrinae inſtructi, tanquam ex equo Trojano prodierunt; tum nuper Robertus Bellarminus prodiit, quem tu inexpugnabilem adverſus haereſim turrim, editis in lucem diſceptationibus de fidei noſtrae controverſiis, extruxiſſe ſcribis. Ita cum Centuriatores figmentis, mendaciiſque ſuis, Hiſtoriis Eccleſiaſticis tenebras offudiſſent, te potiſſimum elegit Dominus, qui tenebras iſtas depelleres, lumenque clariſſimum Orbi univerſo afferres, totumque eccleſiaſticum aedificium, tecta nimirum, parietes, & fundamenta, atque adeo Hierarchiam ipſam, non modo vallo, muroque inexpugnabili, hiſtoriae nimirum veritate cingeres & munires, ſed etiam armatura adverſus haereſes, dum controverſas quaeſtiones doctiſſime per-

pertractas & explicas, cumulate inſtrueres. Oſtendiſti igitur, uti optimus artifex auguſtiſſimi aedificii, militantis nimirum Eccleſiae origines, pugnas, victorias, trophoea, & incrementa; oſtendiſti perpetuam, & non interruptam Romanorum Pontificum, a Petro Apoſtolorum Principe, ſucceſſionem; oſtendiſti denique ſumma noſtrae fidei firmamenta, utpote traditiones Apoſtolicas, fidei dogmata, Petri in Eccleſia primatum, Sanctiſſimae Romanae Eccleſiae majeſtatem, Conciliorum auctoritatem, vetuſtiſſimumque Sanctorum Patrum de divinis Scripturis ſenſum. Quibus omnibus catholica fides magnopere firmatur, omniſque impietas, & haereticorum figmenta ita deficiunt, ſicut deficit fumus; & ſicut fluit cera a facie ignis, ſic illa quoque peribunt, & evaneſcent. Jam ſi tuae narrationis modum, genuſque dicendi, quo ego magnopere delector, de te praedicem, principium facilius, quam finem inveniam; tuque ipſe fortaſſe, quamlibet veriſſima ſcriberem, aſſentari me tibi putares. Sed vere tibi a me dictum velim credas, admirari me in hoc immenſo opere magnarum variarumque rerum in te ſcientiam, multarum linguarum peritiam, hiſtoriarum tam ſacrarum, quam profanarum cognitionem, accuratamque, & exactam antiquitatis inveſtigationem, ſive ex veterum lectione, ſive ex numiſmatibus, ſive denique ex vetuſtiſſimis arcuum triumphalium, columnarum, porticuum, templorum, aliarumque vetuſtiſsimarum aedium inſcriptionibus. Quae omnia ita hiſtoriae tuae accomodas, ut manifeſtum ſit, neceſſarias eas res unicuique fuiſſe ad texendum tantum opus. Igitur tam magna, & ampla talenti tibi crediti lucra, atque proventus, bonorum omnium ſtudia, qui pro tua incolumitate mecum una Deum Optimum Maximum precantur, ex animo gratulor. Et ut alia omnia, quae reſtant, volumina, quaeque te facturum, editurumque promittis, quam citiſsime nobis prodas, ad Jeſu Chriſti gloriam, ex animo opto, atque abs te maximum in modum peto; operamque tibi meam, & facultates omnes, tantae quantae ſunt, ad eam rem polliceor, & defero. Et, ſi permittes, curabo, ut in Collegio Patrum Societatis Jeſu Caliſii, nuper a me fundato & erecto, in linguam noſtram Annales iſti transferantur, ut tu, veluti civis Polonus, de univerſa Republica Eccleſiaſtica optime meritus, noſtro nobiſcum idiomate loquaris. Data ex Arce noſtra Lovicienſi V Menſis Auguſti. Anno Domini MDXCII.

EPI-

EPISTOLA LIII.

CAESARI BARONIO

FRONTO DUCAEUS.

Baronium ex animi demiſſione commendat, ejuſque facultatem in Hiſtoria Eccleſiaſtica concinnanda plurimi facit. Operam ſuam pollicetur; & interim fragmentum hiſtoricum, ex MS. depromptum, mittit.

NIſi mihi cognitus eſſet, & exploratus animi tui candor, & modeſtia, vir Clariſſime, non minus equidem me traductum putarem iſta tua tam honorifica appellatione prima, quam ſi Pygmaeo cuipiam cothurni Herculis aptati eſſent. Sic enim ad me ſcribis, ita modeſte de te, de me ſentire praeter meritum, ad dignitatem honeſte videris, ut qui utrumque noverit, impoſitam mihi perſonam judicet, quam non magis expedite agere queam, atque ejuſmodi gruum hoſtis, Herois illius calceos trahere, vel clavam etiam torquere poſſit, aut manu rotare. Itaque mihi Caeſaris litteras legenti, Caeſarii illius Arelatenſis occurrit ſententia ſimilis, (cujus homilias non ita pridem ex manuſcripti collatione innumeris locis emendari poſſe intellexi) „ Quemcumque humilem conſpexeris, Dei eſſe filium confidenter credere debes „. Itemque illud Auguſtini „ Quantam quiſque vult imponere molem aedificii, quanto erit majus aedificium, tanto altius fodit fundamentum „. Ideoque mirandum nobis non eſſe, cum tanti faſtigii fundamentum humilitatis appareret, cujus antea ad molem obſtupueramus; cum tua virtus, ac probitas non minus omnibus ſe prodiderit ſpectatam moribus, quam induſtria, & doctrina, libris in lucem editis, cum tantae modeſtiae, atque humanitatis exemplum prae te feras, ut non minus ſanctorum virtutes, ſanctitate vitae, quam res geſtas calamo exprimas, litteriſque, nunquam intermorituris, ad poſteros imitandas tranſmittas. Verum enim vero multo facilius eſſet onus iſtud, quod mihi tuae humilitatis pudor imponit, amovere, aut laboris deprecatione, aut imbecillitatis excuſatione, ni longe graviores compedes injiceret eximia caritas, quae in litteris tuis major, ſi fieri poſſit, elucet, quaeque ita ad redaman-

mandum invitat, & ſimul arcte obſtringit, tantamque ſe prodit, ut paria me ſacere poſſe deſperem. Quod, ſi per has temporum bellis infeſtorum procellas, quiſquiliis mihi Adverſariorum meorum ſrui liceret, quas, Lutetiae cum eſſem, congeſſeram, conarer profecto tibi, vero Hiſtoriae ſacrae Beſeleeli (1), adminiſtrum, & ὑπουργὸν haud inſomnem praebere me: ut non quidem purpuram, coccumque bis tinctum, ſed vel pilos caprarum, aut aera quaedam minuta ſuppeditarem, aut cum Nathinaeis, aut Gabaonitis inſervirem. Sed, cum ante duos annos, tanquam ex nauſragio, ſoluta obſidione illa periculoſa, enatandum nobis eſſet, & ad profitendas litteras ſacras huc pergendum, habitu diſsimulato, contra quam olim Caeſar fecit Alexandriae, non praetioſae quaeque, ſed eae chartulae mecum abripiendae fuerunt, quas minori jactura poſſem in eandem periculi aleam trahere. In hoc tamen favit nobis Deus, ut dum comites expectarem, quorum mihi ſubſidio tutior eſſet ab hoſtibus via, in quos non agnitus jam incideram, ac Rhemis eſſem, communicati mihi fuerint aliquot Bibliothecae Illuſtriſsimi Cardinalis Lotharingii Manuſcripti; ex quibus unum, aut alterum opus de Imaginibus excripſi, & ex altero antiquioris memoriae fragmentum, quod hiſtoricum aliquid continet. Tanquam indicium illius deſiderii miſi, quo ardeo, declarandi tibi, quantum tibi Catholici omnes, ac Clerici debeamus, ſuſcepto tam praeclaro Hiſtoriae Eccleſiaſticae opere, tanquam ſole doctrinae fidei; cujus, ut cum Oroſio loquar, mox ut de ſpecula Eccleſiaſticae claritatis elati ſunt, quatuor radii orientes toti Orbi fulſerunt. Quartum enim, aut Tertium licet nondum viderim; liberos tamen eſſe intelligo, & parente dignos libros; tantumque illos legendi deſiderio teneor, quantum me illo munere indignum ſentio, quod offers; nullo ut pacto prius auſim admittere, quam a te mihi injunctum aliquid laboris intellexero, quod tua cauſa exantlare poſſim, aut in manus meas veniſſe aliquid, quo reſpondere iſti liberalitati tuae liceat, aut gratiam emetiri. Quod, ſi id tibi amor tuus in me de hac opella noſtra perſuaſerit, ne quaeſo judicium ſolus de hac feras; mirum enim quantum judiciis noceat amor; ſed conciliatorem, & pararium noſtrum adhibe in conſilium, P. Jacobum Sirmondum; cujus etiam ſubſidio mihi acceleratum iſtud munus commendari, atque emendari deſidero, ſi quid calamo properanti exciderit, cujus

(1) Beſeleel Exod. XXXI, ver. 2. XXXV, ver. 30.

cujus lapſus illi familiares ſunt, & cogniti. Interea non deſinam aſſiduis precibus communem Dominum interpellare, ut te ex iſto LV anno foeliciter in ſenectam provehat multorum dierum, ut ſaltem ſaeculum tibi concedat; quo, tuo merito ſaeculorum quindecim Hiſtoriam Eccleſiaſticam, Annaleſque illuſtratos habeamus. Vale, & pro me, ſi placet, ora. Vuſſiponti Medromaticum X Kal. Septembris. MDXCII.

EPISTOLA LIV.

STANISLAO CARCOVIO ARCHIEP. GNESNENSI

CAESAR BARONIUS.

Pluribus hujus Archiepiſcopi effert ſingularem pietatem, eique, quam petierat, facultatem impertitur, ut Polonorum vernaculo idiomate Annales Eccleſiaſtici vertantur; quo Chriſtianae Reipublicae emolumento in futurum intelligat.

Litterarum tuarum ipſa dumtaxat inſpectione, Praeſul Ampliſſime, magna admiratione affectus ſum, ubi eas a viro tanto datas ad me novi, nempe ab Archiepiſcopo Gneſnenſi, Legato, Poloniae totius Primate, primoque Principe, natalibus, praefecturiſque adeo nobilitato, &, quod caeteris praeſtat, ob res praeclare geſtas, egregiae vitae meritis ſumma gloria inſignito; qui regalis Sacerdotii functione, & ſacerdotalis principatus miniſterio, ſacerdotem ſimul agens & Principem, principem locum in utroque ſis facile conſecutus; tum Archiepiſcopi ſedulam vigilantiam, Legati ſolicitum, fidumque miniſterium, primatis praecipuam diligentiam, ac denique principis robur indefeſſum, invictumque animum in omnibus, quam abſolutiſſime exhibes: adeo ut, perditiſſimis his, deploratiſque temporibus, maximo Dei beneficio quatuor hiſce muneribus factus ſis plurimis cauſa ſalutis, de te Propheticum illud occinere jure liceat „ Quadriga tua ſalvatio „ itemque fauſtis vocibus acclamare; „ Currus Iſrael & auriga ejus „ qui & una ſimul quadripartito munere, quatuor munia expleas perſonarum, Moyſis, Aaron, Hur, atque Joſue: ſicque inſint quatuor facies uni, dum quorum perſonam geris, eorumdem quatuor virtutes reddas, officiaque perſolvas. Ad haec, inquam, adeo admiranda, ipſo primo tuarum litterarum intuitu, immen-

ſo fulgore praeſtrictis oculis pallens obſtupui; verum ipſas perlegens, mox excuſſo pallore, erubeſcere coepi, ubi inſpexi immenſas, quas mihi laudes aggeras, exaggeraſque dicendi facundia; cum me illis longe imparem, ac prorſus immeritum eſſe ſentirem. Sed cave, ne exactius cuncta ſcrutatus, invenias, quod eſt in fabulis, pro Virgine cervam; vel, ſi ex divinis ſcripturis petatur exemplum, conſpicias pellitum, pro Davide, ſimulacrum; ſuffundariſque ipſe rubore, dum ab illa imagine abhorrere me ſenſeris, quam finxeras tibi animo, atque ſtilo formaveras. Sed eſt plane, ut hoc quoque nomine immortales tibi gratias agam; quod probe intelligam, vehementem amoris vim, quo me proſequeris, haud patientem anguſtis arctari limitibus, redundantia quadam in plures laudationum exitus erupiſſe, fluxiſſeque magno impetu flumina beneficentiae; cum adeo liberaliter non ſolum operam tuam ſpondeas, ſed & facultates, tantae quantae ſunt, ut ais, ſponte offeras. Verum liceat illud Apoſtolicum uſurpare, „ Quaero vos,non veſtra,„ In his enim, quae opus ſunt, ſatis abunde ſuppeditat mihi Romani Pontificis Clementis munificentia. Caeterum quod ad tuam amplitudinem ſpectat, pluſquam ſatis abs te meis rebus conſultum erit, ſi me inter clientes tuos annumeres; ſi vero & inter amicos, ſummum adjicies gratiae cumulum, generoſo animo tuo dignum. Quod autem a me exigis, impertiri tibi licentiam, ut Annales noſtri in Polonorum linguam vertantur, ipſeque Polonus effectus, cum Polonis communi idiomate loquar, cum id exiſtimes ad expugnandos haereticos haud leviter profuturum, imitari plane viſus es mihi fidelem patrem Abraham, qui ad debellandos quinque Reges, ſatis ſibi putavit armare vernaculos; & ſequi Davidem, qui regiis neglectis armis, ruſticis telis eſt progreſſus ad pugnam; quippe qui probe noveris, nova bella Dominum elegiſſe, in quibus, qui eſt infirmior, ille potentior habeatur. Accurro igitur ſumma alacritate, tanto claſſico excitatus, ad bellum inhaerens tibi ſtrenuo, ac pugnandi perito, ut armiger Jonathae. Annuat votis Deus, ut tuos labores ac ſtudia, divina aſpirante potentia, laeta victoria conſequatur, concedatque mihi Evangelica promiſſione, ut qui lingua locuturus ſum nova, ſerpentes pariter tollam. Sciant velim Poloni mei, omnia noſtra patere ipſis. Nec id quidem recens, ſed jampridem iiſdem noſtros oppignoratos eſſe labores, cum olim Romae jaciebantur Polonorum Collegii fundamenta. Sed quod ille plane viſus eſt ad experiendas vires amoris noſtri erga

Digitized by Google

erga Polonos anguſtus paleſtrae locus; ecce vocati in latum campum, laeti progredimur, non paucis tantum, ſed univerſae provinciae profuturi, ſub tanto ductore fortes, licet vires noſtras pertenues formidemus. Quod vero per viros religioſiſſimos, eoſdemque eruditos, ac maxime pios, affirmas, noſtros Annales fore reddendos linguae Polonae, nihil hoc potuit nunciari gratius, atque jucundius. Si enim Doctor Gentium Paulus, adventu Titi, quo utebatur interprete, magno affectus eſt gaudio; quanta ego debeo geſtire laetitia, tot ſimul nactus Apoſtolicos viros interpretes? Porro hujus adeo gratae petitionis, tuas ipſas litteras teſtes, futuras poſteris perpetuum monumentum, noſtri, qui ſub praelo eſt, quarti Annalium Tomi frontiſpicio perſpicuas cunctis affigendas curabimus; vocalem titulum, & ſemper loquentem inſcriptionem, praegrandibus ſignatam notis, ſummae tuae erga me benevolentiae. Quin & has noſtras eiſdem ſubjiciemus litteras, quae pro foribus eorumdem Annalium, veluti janitores excubent, patentes indices, non conceſſionis ſolum, ſed & mei erga amplitudinem tuam ſtudii & obſervantiae. Quae itidem cunctis ingredientibus notum faciant, & quae intus ſunt, & omnia denique noſtra noſtris expoſita eſſe Polonis, ipſis dicata, ipſorum ſemper inſervitura commodis. Quibus bene precamur, ac cupimus, acceptam eos a majoribus Catholicam Fidem, integram illibatamque ſervare, utpote digito Dei ſcriptam, cum innumeris ipſe eam miraculis confirmarit; agnoſcantque Paſtorem ſuum, Sanctorum Antiſtitem legitimum ſucceſſorem, veraeque fidei, & paternarum traditionum haeredem, earumdemque acerrimum defenſorem, cujus Apoſtolatus vos ipſi credentes, quos appello, ſigna eſtis in Domino, qui ab eo paſtorali ſtudio revocati eſtis ad caulas; & cum eſſetis oves errantes, jam converſae fuiſtis ad Paſtorem, & Epiſcopum animarum veſtrarum; quod pro magno miraculo ſit poſteris commendandum. Cum, ut taceam alia multa, in ampliſſima civitate, ubi duos Catholicos vix fuerat reperiri, aegre totidem nunc haereticos numerari contingat; ut hac ex parte ſis magno illi Thaumaturgo Gregorio com- comparandus, ne temere dicere videar, praeferendus. Nam ille, & plures numero Chriſtianos reperit; diemque obiens, totidem Gentiles, nempe ſeptemdecim poſt ſe reliquit. At tu ipſe, validum Eccleſiae Catholicae propugnaculum, vale; tibique jam aetate longaevus concedat Deus, ut inſtar Sanctiſſimi Simeonis, antequam ex hac vita recedas, exoptatam, diuque expectatam

 ple-

plenam videas redemptionem Iſrael, univerſum, inquam, Polonorum populum fidei Catholicae reſtitutum. Romae pridie Kalendas Octobris. MDXCII.

EPISTOLA LV.

FRONTONI DUCAEO

CAESAR BARONIUS.

Ne ſuas lucubrationes, & vitae actionem amplius laudibus ornet, omnino prohibet, & ſimul gratias agit, quod Concilii Andegavenſis exemplum miſerit, ac fragmenta ex Epiſtola Gregorii Dialogi; quam tamen, ut mittat integram, rogat.

AMor nimius impoſturam quandam operari ſolet, atque praeſtringere oculos, ut minima quaeque maxima faciat apparere. Id plane tibi accidere probe ſentio, dum me, meaque laudibus praedicare non ceſſas. Quod ſi converteteris in Ariſtarchum, vel Momum, quod non cupio, nec verſum quidem mearum lucubrationum abſque cenſura, neque actionem quamlibet vitae meae abſque reprehenſione tranſigeres. De laudibus igitur hactenus, & in poſterum omnino ſilentium. Sed quod ex abundantia recti cordis bonum verbum eructas, & de bono theſauro tuo profers bona, ad Deum omnia referas, unde prodeunt. Accepi miſſum abs te Concilium Andegavenſe, tuis etiam notis egregie illuſtratum, gratias ago immortales; utar illo opportune. Quae etiam miſiſti fragmenta ex Epiſtola Gregorii Dialogi pergrata fuere. Sed cur non integram dediſti? Sic plane paſcis eſurientem, ut magis famem irrites, quam exaties. Ne putes velim, hac ex parte me parvulum, cui ſatis ſit fragmentum porrigere; ſed potius illum me importunum exactorem exiſtima, qui noctu veniens, tres ab amico importune panes expoſcit; ut plane cogaris, & ſi amicus non eſſes, propter improbitatem tamen ſurgere, & dare quotquot habeo neceſſarios. Mitte igitur quae reliqua ſunt epiſtolae, ne deſit vel apex unus; ſed & ardentiori deſiderio expecto, quae ex Lotharingiis Bibliothecis, & aliis ſagax indagator inveneris. Tertium Annalium Tomum, quem expetis, dabo Reverendiſſimo Patri, qui tuas mihi litteras reddidit; ſed maluiſſem, te illum ex Antuerpienſi editione emen-

emendatum accipere. Vale mei ſemper memor in tuis ad Deum precibus. Romae nonis Octobris. MDXCII.

EPISTOLA LVI.

FRONTONI DUCAEO

CAESAR BARONIUS.

Teſtatur, operam illius ſibi pergratam eſſe; itemque quae miſerat antiqua monumenta, uti Acta Synodalia Gelaſii, & quidam Hiſtoricus Libellus, quem alicubi reprehendit, in rem ſuam maxime eſſe profitetur; ac Fevardentium, multis litteris clarum, valere jubet.

ADjicis, o Vir Dei, (digniori, quo te appellem titulo nullum habeo) adjicis, inquam, ad exhibitam jam menſuram bonam, etiam confertam, & coagitatam, cum de bono theſauro tuo, bona profers, & optima, & tanquam Scriba doctus de eodem nova, & vetera exhibes. Ita plane, dum vetera, a tenebris in lucem vendicata, nova emendatione perpolis, elucidas, atque caſtigas. Sicque mirifica ingenii tui praeſtantia obrizum aurum ornas gemmis, quibus, & paupertatem meam affatim locupletare laboras. Unde magna eſt mihi ope tua parta fiducia, fore noſtra ſolide permanſura; quod ſcriptum ſit „ Frater qui adjuvatur a fratre quaſi Civitas firma „. Ago gratias, acturus in dies ſemper uberiores, ut in hunc modum charitas, & gratitudo ſibi invicem obviantes, ſeſeque mutuo oſculantes inſolubili vinculo conſtringantur. Inſideat bigae iſti amicitia tua, cui praeſideat ejus cultor, cuſtos, & auriga Deus, qui moderetur habenas. Pergrata fuerunt miſſa abs te ſynodalia acta Gelaſii in abſolutione Miſeni, quae longe emendatiora ſunt, quam quae, apud nos cuſa, valde mendoſa extant, & decurtata. Utar illis opportune. At quantum ex miſſis abs te ſcriptis proficiam, Sextus, qui ſub praelo eſt Tomus Annalium, liberaliter profitetur. Libellus vero Hiſtoricus abs te miſſus, haud ejuſmodi eſſe reperitur, cujus fides ſit in omnibus explorata. Habet nonnulla minime conſentientia veritati; ut inter alia, quod dicit, Renatum ante conventum Epheſinum in quadam Inſula praedefunctum, quem ſupervixiſſe poſt Synodum, Theodoreti docet Epiſtola; quam tibi aeque

aeque Sextus exhibet Annalium Tomus. Quod mitti ad te petis Indicem Epiſtolarum illarum, quem ſcripſi, Romanorum Pontificum, id praeſtitiſſem abunde; quin & addidiſſem ipſos tres Tomos Epiſtolarum; ſed noſter Sirmundus, ne id facerem, interceſſit, aſſerens ſe miſiſſe. De viro doctiſſimo Fevardentio quod ſcribis, expectare adhuc meas litteras, dolui, fateor, eas nondum accepiſſe, quas confeſtim reddidi illi, qui ſuas dedit. Sed & gravius accepi, non retinuiſſe apud me earum exemplar, ut modo duplices exhiberem; verum puto, creditas certo, nobilique viro litteras fore reddendas. Intera vero tu velim, illi nomine meo ſalutem plurimam dicas, meoque nomine ſpondeas una cum ſincera amicitia omne officium, cultum, & obſequium, nec unquam futurum, ut ex litterariis controverſiis iſta deſint, imo ſicuti ex ventis agitatae arbores altiores radices figunt, ita his controverſiis fore amicitiae vincula arctius; atque tenacius conſtringenda. Vale, pro meque ora frater, alioſque, ut hoc ipſum propenſius curent, ut facis, jugiter hortari non praetermittas.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA LVII.

THOMAE STAPLETONIO ANGLO (*a*)

CAESAR BARONIUS.

Apologeticum adverſus objecta circa ſermonem de Deipara Sanctiſſima, quam Athanaſii Magni non eſſe dixerat, conſcribit; atque Athanaſio Antiocheno potius adjudicat.

ET ſi non litteris ad me datis; miſſis tamen ad ampliſſimum Cardinalem Alanum (*b*) ſcriptis tuis, me provocaſti, ut hanc, vir optime, ac clariſſime, epiſtolam apologeticam redderem. Aegro ſane animo tulit Sanctus Hieronymus, quod alii, priuſ-

(*a*) Thomas Stapletonius in Seſſexia Angliae Provincia nobili genere natus operam humanioribus litteris dedit Cantuariae, & Vvintoniae; Philoſophiam Oxoniae didicit, & docuit. Canonicatu potitus Eccleſiae Cathedralis Ciceſtrienſis, illi ex ea, ob perſecutionem Reginae Eliſabethae in Catholicam Religionem, una cum parentibus Lovanium commigrandem fuit. In ſacras litteras hic, & Pariſiis incubuit. Romam profectus pietatie cauſa, Lovanium rediit. Mox animum appulit ad ſcribendum adverſus haereticos. Naſcente Academia Duacena Thelogiam primo Aquicincti docuit; tum anno 1566 renunciatus eſt Theologiae doctor una cum Guilielmo Alano; poſtea Cardinali Machlinienſium Archiepiſcopo nominato. Duaco profugus ob tumultum plebis, Romam revertitur; rebus compoſitis, Duacum denuo ad facultatem theologicam revertitur; donec anno 1590 Lovanium, ad ſacrae Scripturae profeſſionem, regiis auſpiciie evocatur, ubi & inter Octo-Viros ſacrae Facultatis Regentes adlectus eſt. A Clemente VIII Romam evocatus, ſed ſenio, podagriciſque doloribus confectus, curſum vitae conſummavit Lovanii die 12 Octobris ann. 1598, aetatis ſuae 68. Multa ſcripſit partim anglice, partim latine, primum ſeparatim edita, conjunctim Pariſiis Tom. IV, in fol. 1620. Tom. I, De principiis Fidei doctrinalibus Lib. XII. Defenſio Succeſſionis Eccleſiaſticae. Relectio Principiorum Fidei doctrinalium. Defenſio Auctoritatis Eccleſiaſticae contra Guil. VVitakerum. Triplicatio pro Eccleſiae auctoritate, adverſus eumdem. Tom. II De juſtificatione Libri XII. Speculum pravitatis haereticae. Orationes Funebres, Academicae, Miſcellaneae, & Catecheticae. De Magnitudine Romanae Eccleſiae. De Conciliis & Primatu Pontificie Romani. Extant denuo tres tractates praecedentes in Bibliotheca maxima Pontificia P. Roccaberti Tom. XX. Propugnaculum Fidei primitivae Anglorum. De Proteſtantiſſimo Diſſertatio. Tom III. Antidota Evangelica. Antidota Apoſtolica in acta Apoſtolorum, in Epiſtolam Pauli ad Romanos, & Epiſtolas duas ad Corinthios. Tom. IV. Promptuarium morale in Evangelia. Promptuarium Catholicum. Tres Thomae, ſeu res geſtae S. Thomae Apoſtoli, S. Thomae Archiep. Cantuarienſis, ejuſque Epiſtolae, & vita Thomae Mori, ejuſque Martyrium. Ejuſdem Stapletonii eſt ſub nomine Didymi Viridici Henfidani, Apologia pro Rege Catholico Philippo II contra varias & falſas accuſationes Eliſabethae Angliae Reginae. Conſtant ac apud Theodorum Fanium ann. 1592. Vide Placcium de Pſeudonymis pag. 604 num. 1796. Vitam Stapletonii ſcripſit Henricus Hollandus Duacenus Theologus, praeclaris Operibus praefixam.

(*b*) Antequam Thomae Stapletonii cenſuram Cardinali Alano miſſam, & ab eo Vener. Baronio communicatam, ſuper his quae idem Vener. Baronius aſſeruit Tom. I An-

Digitized by Google

priuſquam ipſe, legiſſent, quae Sanctus Auguſtinus, in commentariis a ſe editis, eſſe emendanda ſignificaſſet; ſed nihil eſt, quod hoc

Annalium da Orationa Sancti Athanaſii in Sanctiſſimam Deiparam hoc loco in medium proferamus, ajusdem Baronii textu prolato; aliquid de ipſo Cardinali dicera, operae pretium arit. Fuit hic nationa Anglus in Provincia Lancaſtrienſi, quae eſt Angliaa pars ſub Eboracenſi Dioeceſi, natus anno 1531, ſeu verius 1532. Poſtquam in Oxonienſi Academia, nondum haeretica pravitara infecta, humanioribus litteris, Philoſophiae, ac Thaologiae ſtudiis operam dediſſet; quum io ea incidiſſet tempora in quibus Eliſabatha Regina; quibusdam veluti furiis agitata, Catholicam fidem, traditamqua a Chriſto Domino religionem labefactare, ac funditus evertere conabatur, Lovanium ſeceſſit; ubi quum in gravem incidiſſet morbum, medicorum cunſilio, qui negabant illum convaleſcere poſſe, praeterquam aeris nativo beneficio, rediit in Angliam. Ibi multas res pro Catholica religione memoria dignas geſſit, pluresque ab Haereticorum caſtris ad Chriſti vexilla traduxit. Qua de re quum ab Eliſabetha Regina aqua & igne intardictus, laesaeque majeſtatis reus declaratus, multos in ſe laquaos paratos videret, in Belgium remeavit. Iis in locis dum Alanus Catholicam fidem pro aris & focis & ſcriptis, & opere defenderet, Gregorius XIII Pontifex Maximus, ne tanta hominis virtus, illuſtriori loco poſita, clarius illuceſceret, eum Romam ad ſe vocavit, & Anglorum Collegio praefecit. Mox a Sixto V in ampliſſimum Cardinalium Collegium cooptatus eſt, & a Gregorio XIV, Sixti ſucceſſore, Vaticanaa Bibliothecae praefectus eſt, Archiepiſcopus Macienſis renunciatus, deputatuſque ad correctionam vulgatae verſionis a Sixto V coeptam una cum Cardinali Culumna. Scripſit Cardinalis Alanus vernacula lingua libros complures, qui tamen fere omnes in latinum ſunt idioma tranſlati, Anglicamque Bibliorum Sacrorum verſionam adornavit. Obiit Romae XVII Kal. Novembris ann. 1594, aetatis LXIII, atque hic in Eccleſia Anglorum SS. Trinitatis ſepultus aſt. Plura da eo habentur apud Nicolaum Fiteibertum in ejus vita; Janum Nicium Erithraeum in prima parte Pinacothecaa, Lud. Donium d'Attichy in Tom. 1., Flor. Hiſt. Card. & Victorellium in Additionibus ad Ciacconium. Jam vero ſit Stapletonii cenſura adverſus Baronii ſententiam, de Orationa in Sanctiſſimam Deiparam, quae nomine Athanaſii circumferebatur. Quaa quidam cenſura ita comparata aſt, ut priori loco promantur argumenta, quibus Baronius intelligebat eam Orationem oportere abjudicaria Sancto Athanaſio, eamque potiori jure Anaſtaſio Antiochano eſſe tribuendam; poſteriori vero momenta, ex quibus Stapletonius cenſebat, contra ac ille ſentiret, eſſa conficiendum. In re ergo propoſita hac utitur rationa.

,, Cum ibi Author multus ſit in con-
,, futando Neſtorii dogmate, da quo tunc
,, eſſet controverſia, plane alius ab Athana-
,, ſio eſſe convincitur. Si enim ea ab Atha-
,, naſio ſcripta eſſent, Cyrillus ejosdem Ec-
,, cleſiae Epiſcopus, & alii Patres, qui Ephe-
,, ſino Concilio adverſus Neſtorium inter-
,, fuere, & cuncta, quaa, a SS. Patribus
,, ſcripta eſſent volumina, ut illius haere-
,, ſim impugnarent, evolvarunt, nequaquam
,, adeo laboraſſent, ſed nullo negotio quid
,, de Incarnatione Verbi ſentiendum eſſet,
,, illa una tanti Patris edita homilia occlu-
,, ſiſſent ora omnium blaſphemantium.

STAPLETONIUS ,, Conjectura ſane
,, non improbabilis, verum parum firma,
,, cum alia ſint indubitata Athanaſii ſcripta,
,, in quibus contra illam de Incarnatione
,, Verbi haeraſim a Neſtorio defenſam diſ-
,, putat, ut mox oſtendemus; quibus tamen
,, haereticorum ora, nec Cyrillus, nec alii
,, Epiſcopi obturara potuerunt; vel quia ejuſ-
,, modi Patres haeretici, ſicuti & ipſas Scri-
,, pturas prava interpretatione eludebant; vel
,, quia non omnia majorum ſuorum ſcripta
,, ad manum illi ſancti Epiſcopi habebant,
,, quae haereticorum blaſphemiis objicerent;
,, vel denique quin hanc Homiliam, & alia,
,, ſeu Athanaſii, ſeu aliorum Patrum anti-
,, quiorum ſcripta a Cyrillo, aut aliis Epiſ-
,, copis contra Neſtorii haeraſim prolata in
,, medium non fuiſſe nobis non conſtat.
,, Quis enim affirmare auſit de omnibus,
,, quae tunc contra Neſtorium allegata, &
,, probata fuerunt, certo nobis conſtara?
,, Aut propoſitionam illam negativam, haec
,, Homilia Athanaſii a nullo tunc prolata
,, fuit, quis demum certis, ac firmis argu-
,, mantis probara poteſt?

BARONIUS ,, Scimus tamen Glicam
,, Siculum, recentiorem hiſtoricum, ut Atha-
,, naſii

hoc nomine tibi ſuccenſeam , quin potius excuſem , quod ex his , quae natura hominum fert ; ſicut Abraham non putavit

„ naſii illam citaſſe , ſed cum Aucthor eo
„ ſermonu , ſe ea conati teſtetur udverſus
„ blaſphemias haereticorum , doceat fuiſſe
„ temporibus Athanſhi , vel ante , qui , ſi-
„ cut duas naturas , ita duas perſonas in
„ Chriſto praedicarent , & negarent , Ma-
„ riam Matrem Dei eſſe dicendam , quus
„ ibi Auctor impugnat.

STAPLETONIUS „ Doceri iſtud non
„ difficulter poteſt , etiam ex ipſo Athana-
„ ſio , primum in Libro de Incarnatione
„ Verbi , qui citatur u Cyrilio in Libro
„ priori de Fide ad Reginas , ut ipſemet
„ *Baronius* in margine hic annotavit. Dicit
„ enim in illo Libro , qui & in Operibus ejus
„ extat , hunc in modum ; *Confitemur non*
„ *duos eſſe Filios , alterum adorandum , nem-*
„ *pe Filium Dei , alterum non adorandum ,*
„ *ſed per gratiam , perinde ac caeteri homi-*
„ *nes , in filium cooptatum hominem , ex*
„ *Maria natum* ; quae erat poſtea propria
„ haereſis Neſtorii ; *ſed ex Deo unum filium*
„ *Dei &c.* Rurſum aliu Athanaſii verba ci-
„ tat Cyrillus ; hoc modo ſe habentia ; *Si*
„ *quis alium docet eſſe Filium Dei , & alium,*
„ *qui ex Maria adoptatus eſt in Filium ,*
„ *ſicut nos , ita ut ſint duo Filii , unus ſe-*
„ *cundum carnem Filius Dei , nempe is ,*
„ *qui ex Deo ; & alter ſecundum gratiam ,*
„ *nempe , qui ex Maria homo , hunc ana-*
„ *thematizat Sancta , & Catholica Eccleſia.*
„ Haec iterum ex Athanaſio Cyrillus , quaa
„ contra Neſtorii haereſim non minus di-
„ ſerte diſputant ; quam etiam ob cauſam ea
„ Cyrillo profuerunt ; quam ulla verba in
„ hac Humilia , de qua agitur . Deinde Atha-
„ naſius in Epiſtola ad Epictetum Corinthio-
„ rum Epiſcopum contra eamdem haereſim ,
„ ubi iſtu Epicteto , ut videtur , aſſertam , his
„ verbis diſputat , non longa a principio ;
„ *Cur affectant Chriſtiani Hominis vocabu-*
„ *lum , qui dicunt , Verbum nequaquam ho-*
„ *minem eſſe factum , deſumpto ex Maria*
„ *corpore , ſed alium eſſe Chriſtum , alium*
„ *Filium Dei , qui ante Mariam , & ante*
„ *ſecula extiterit Filius Patris ?* Haec ibi
„ Athanaſius contra propriam Neſtorii hae-
„ reſim diſputans . Iſta quippe haereſis a Ne-
„ ſtorio poſtea publice propalatu , & latius
„ propagata , tam antiqua fuit , quam eſt an-
„ tiqua Divi Joannis prima Epiſtolu ; cum
„ contra hanc diſerte ſcripſerit in illis ver-
„ bis Cap. IV , *Omnis ſpiritus , qui ſolvit Je-*
„ *ſum ex Deo non eſt* . Cerinthus enim ,
„ contra quem in illa Epiſtola diſputat Di-
„ vus Joannes , alium faciebat Jeſum , alium
„ Chriſtum ; ut diſertis verbis docet Irae-
„ neus Lib. I , Cap. XXV . Unde factum eſt ,
„ ut antiquiſſimi haeretici Cerinthiani ; &
„ alii haec verba corruperint . Quae etiam
„ corruptio in Textu Graeco moderno ad-
„ huc cernitur , ut diligenter notavit con-
„ tra ipſum Neſtorium Socrates Hiſt. Eccleſ.
„ Lib. VII , Cap. XXXII. Vetuſtiſſima igitur
„ haec Neſtoriana haereſis fuit , & clancu-
„ lum continuata , donec per Neſtorium emi-
„ nenti loco poſitam erupit . Nam & Pau-
„ lum Samoſatenum , qui ante Athanaſium
„ fuit , multa Neſtorio ſimilia docuiſſe pro-
„ bat Cyrillus Alexandrinus in quadam Con-
„ teſtatione , Conſtantinopoli publice propo-
„ ſita , & affixu , quam videre licet in Actis
„ Epheſini Concilii a Theodoro Peltano edi-
„ tis Tom. I , Cap. 11 , pag. 222. Ubi inter
„ alia dicitur , Paulum Samoſatenum docuiſ-
„ ſe , alium eſſe Jeſum Chriſtum , alium rur-
„ ſum Deum Verbum . Haec fecit Cerin-
„ thi , haec Neſtorii haereſis , haec Samoſa-
„ teni ; contra quam pugnat Divus Joannes
„ Epiſt. I , Cap. IV ; *Quiſquis confeſſus fue-*
„ *rit , quod Jeſus eſt Filius Dei , Deus in eo*
„ *manet &c.* Rurſum Cap. V ; *Qui credit*
„ *quoniam Jeſus eſt Chriſtus , ex Deo natus*
„ *eſt* . Et iterum , *Quis eſt , qui vincit mun-*
„ *dum , niſi qui credit , quoniam Jeſus eſt*
„ *Filius Dei* . In quibus omnibus locis do-
„ cere vult , unam eſſe perſonam Filii Dei ,
„ & Filii Mariae ; neque alium eſſe Filium
„ Dei , & alium Chriſtum Filium Mariae.
„ Non eſt igitur mirum , ſi Athanaſius con-
„ tra tam antiquam haereſim ſuo etiam tem-
„ pore , ut apparet ex Epiſtola ad Epicte-
„ tum , renovatam in hac Humilia diſputat .
„ Sane eiſdem argumentis in Libro de Incar-
„ natione Verbi contra hanc haereſim uti-
„ tur ; quibus in hac Homilia , ſeu oratio-
„ ne . Ut ſi propterea repudiari debeat ,
„ tanquam non vere Athanaſii , eamdem quo-
„ que ob cauſam , alia ejus Opuſcula citata
„ repudiare neceſſe ſit.

BARONIUS „ Cum alioqui ſciamus ,
„ Athanaſium , quod non eſſet ſuo tempore
„ ea de Incarnatione Verbi exorta , agitata-
„ que controverſia ; & ſi ſemper eadem
„ ſen-

in Geraris aliquem reperiri , in quo Dei timor ineſſet; ita fortaſſe exiſtimaſti , me non ſine ſtomacho lecturum eſſe ea, quae meos palam facerent , & emendarent errores . At quemadmodum magnum illum patrem falli contigit ; eodem quoque modo ſcias , ſi id exiſtimaſti , te tua hac opinatione deceptum . Etenim illud mihi ſemper in ore , *Corrigat me juſtus , ſi modo juſte*; imo nec refugiam , ſi injuſte , quod ſciam ex his , quae utcumque in controverſiam vocantur , veritatem magis illuſtrari, red-

,, ſenſerit, quae io Sacroſancto Coocilio Epheſino poſtea reperiuntur eſſe decreta ; non adeo explicite iisdem prorſus vocibus uſum eſſe , quas ad excludendum penitus dogma Neſtorii Patres , qui io eadem Synodo interfuerunt , oportuit dilucidius declaraſſe . At non ſic ilia Auctor , qui poſt Synodum aa ſcripſiſſe ex hoc ipſo maoifeſte cognoſcitur, cum ſecundum id , quod definitum fuerat iu aodem Coocilio Epheſino, duas praedicet iu Chriſto oaturas in ona perſona inconfuſa , & indiviſa , & inconvertibiliter ſimul unitas.

STAPLETONIUS ,, Hanc coutroverſiam de Incarnatione Verbi Athanaſii tampora exortam , agitaramqua fuiſſe, jam ex ipſo Athanaſio oſtendimus . Saoa Cyrillus io Libro citato ad Reginas etiam alterius cujusdam Epiſcopi antiqui verba profert contra eamdem Neſtorii haereſim , ut illic videre licet . Sed & ipſa illa varba ; ioconfuſa , lodiviſe , & inconvertibiliter ante Epheſinum Concilium Patres uſurparunt . Nam Epiſcopi illius , cujus tam multa citat Cyrilius loco citato , haec ſunt verba ; *Non ſic bomo factus eſt Filius Dei , ut a Deitate receſſerit , neque ſecundum profectum ex bomine factus eſt Deus , ſed verbum exiſtens propter impaſſibilitatem caro factum eſt , immutabili manente natura*. Et paulo poſt , *De diſpenſatione Salvatoris ſecundum carnem credimus , manente Verbo Dei immutabili , & inconvertibili , Incarnationem factam eſſe &c.* Et haec ex illo veteri Epiſcopo Cyrillus . Quid quod ipſe Athanaſius in Libro de Incarnatione Verbi , ut ab ipſo Cyrillo citatur , loco jam dicto , ita ſcribit ; *Si quis Domini Carnem ſuperne dicat , & non ex Maria Virgine , vel converſum Divinitatem in carnem , vel confuſam , vel immutatam , vel paſſibilem Domini Deitatem &c. bunc anathematizat Sancta , & Catholica Eccleſia*; Haec Anaſtaſius , nempe in hac Homilia , ſeu Orationa , ubi Sanctus Athanaſius his vocibus , a Baronio citatis, utitur , & ex Nicaenis Patribus ea ſe accepiſſa inſinuat . Eos omnes in proxima ſequentibus verbis citat . Haber autem confeſſio fidel Nicaeni Concilii , hoc modo , ut aſt apud Ruffinum Hiſtoriaa Eacleſiaſticae Lib.I, Capita VI ; *Eos , qui dicunt eſſe τρέπτον aut convertibilem , vel mutabilem Filium Dei anathematizat Catholica , & Apoſtolica Eccleſia* . Nihil igitur novum facit Athanaſius , ſed receptam tunc io Eccleſia doctrioam ſequitur , cum hojuſmodi vocibus utitur , quas Epheſini Patres oon primi iovenerunt , ſed a Patribus acceperunt . Sane , ſicut B.Leo epiſtola LXXVIII, alias epiſtola LXXVI docet in Concilio Nicaeno , idem firmatum fuiſſe , quod in Chalcedonenſi . Ita veriſſime dici poteſt in eodem Concilio , idem firmatum fuiſſe , quod io Epheſino . Quandoquidem in illo Concilio contra omoes veteres haereſes circa Incarnatiooem Varbi definitum fuit . Poſtremo , ſi non aſt haec oratio vera Athanaſii , quia Neſtorii haareſim diſerte axplodit , oec etiam Symbolum Athanaſii , qood tota decantat Eccleſia , vere Athanaſii cenſebitur , in quo ita legimus ; *Deus , & bomo unus eſt Chriſtus , unus omnino non confuſione ſubſtantiae , ſed unitate perſonae* .

BARONIUS ,, Haec idcirco dixiſſe voluimus , quod exiſtimemus Catholicam veritatam labefactari potius , quam hiſca falſis allegationibus adjuvari .

STAPLETONIUS ,, Haec idcirco reſpondare voluimus , qood exiſtimemus Catholicae veritati praejudicium , & periculoſum eſſa tam illuſtri antiquitatis teſtimonio Eccleſiam Dei ſpoliare ; in illa maxime cauſa , quam contra hujus temporis haereticos ſuſtinemus , abſque firmis , & certis argumentis in contrarium . Quae tsmen omnia a nobis , ſalvo meliori judicio , dicta ſunt ,

reddique perſpicuam. Quae quidem & ſi aequo, libentique animo a quolibet erudito viro ferenda ſunt, quanto magis a meo Thoma, Anglicanae Eccleſiae ornamento, ſacrarum litterarum antiſtite, fidei conſeſſore, martyrii candidato, & Eccleſiae Catholicae anteſignano, propugnatore, non dico tolleranda, ſed expetenda ſunt? Etenim cum ex ſententia Clementis Alexandrini nullius ſcripta ita feliciter currant, quibus aliquid non objici jure valeat, in lucro mihi erit, ſi talem, tantumque nactus ero monitorem, correctorem, atque emendatorem. Nullum ergo hac ex cauſa ſit jurgium inter me & te. Non autem addam quod magnus Pater ille ſubdidit; *Si ad dexteram jeris, ego ad ſiniſtram pergam*; imò audentius, fidentiuſque ingeram illud Petri; *Sequar te quocumque ieris*; quod ſic exiſtimem bene conſultum Catholicae pietati, ſi junctis ſimul dexteris, unanimes pro veritate certemus. Sed nec velim putes alia me incedere via, ſi interdum contingat, haud inſiſtere tuis veſtigiis. Eſt enim, ſecundum Iſaiae Vaticinium, in Eccleſia ſemita, atque via; haeque non duo tramites, ſed una via, ſancta vocata. Quamobrem nunquam dicemur ab invicem diſſentire, cum diverſis ſemitis in via una ad unam veritatem libero pede tendimus; & ſi aliqua in re aliquando inter nos diſcrepare contingat, ut modo accidit. Legi pervalidam confutationem tuam meae aſſertionis de Homilia, quae extat apud Athanaſium de ſanctiſſima Deipara, quam non Athanaſii eſſe; ſed Auctoris, qui poſt Neſtorium vixerit, affirmavi. Equidem, quod alio veloci curſu tendebat oratio, nonniſi leviter & obiter, atque in tranſitu ea tractare licuit, exiſtimans tamen potuiſſe illa ſufficere ad declarandum illud Athanaſii opus non eſſe, mihique libenter arriſuros fore omnes viros eruditos, cupidos veritatis. Idque complures fecere mihi adgratulantes, quod ſpurios filios a legitimis ſegregarem; quippe qui eamdem accuratius perlegentes, facile perſuaſi ſunt, diſputantem adeo diſerte, vocumque proprietate exquiſite adverſus Neſtorium agentem, longe diverſum ab Athanaſio eſſe illius Tractatus Auctorem. Quas tu voces, etſi ex ſententia vel Cyrilli, vel aliorum, etiam ante Neſtorii tempora tibi vendicas ex diverſis auctoribus. Certe quidem tempore Athanaſii, quod nulla hujuſmodi vigeret haereſis, haud adeo exacta requiri videbatur earumdem vocum expreſſa proprietas. Nam idem ipſe Athanaſius, de quo vertitur quaeſtio, pro voce *Perſona*, interdum *Naturae* nomen uſurpat in Libro de Incarnatione Verbi.

Digitized by Google

Quem locum, ne quis putet textum eſſe depravatum, vel interpretem non aſſequutum, hic ex Cyrillo reddemus, qui eum citat, tum in Libro de Fide ad Reginas, tum etiam in Apologetico, ubi haec ait verbis ipſius; *Confitemur etiam eſſe ipſum Filium Dei, & Deum ſecundum ſpiritum, Filium hominis ſecundum carnem, non duas naturas, unum filium; unam, quae adoretur, unam, quae non adoretur; ſed unam naturam Verbi Dei incarnatam, & adorabilem cum carne ſua una adoratione, non autem duos filios*. Haec ipſe. Quo quidem exemplo apparet tam diſtincte, atque proprie, tamque explorate, & abunde de duabus naturis loqui, praeſeferre Auctorem ejus Homiliae eſſe Neſtorii potius temporis ſcriptorem, quam Athanaſium. Id quidem & illud magnopere perſuadet, quod cum exactiſſima facta ſit Scriptorum Athanaſii indagatio, tum a Cyrillo ejus ſedis Epiſcopo, penes quem ejuſdem Athanaſii lucubrationes aſſervabantur, tum ab adverſariis: qui, quod aliquid non invenerint, Librum ad Epictetum, ut idem Cyrillus teſtatur, corrumpentes, in ſuamque ipſorum mutantes ſententiam, fecerunt pravi dogmatis aſſertorem. Ubinam gentium quaeſo Homilia iſta delituit, ut non modo Cyrillus non repererit, ſed nec tot doctiſſimi Epiſcopi, qui convenerunt ad quatuor Oecumenica Concilia Epheſinum, & Calcedonenſe, Quintam, & Sextam ſynodos, in quibus de eiſdem actum eſt, cujus una tantum inſpectio ob exactam rerum, & nominum definitionem, & tanti Auctoris praeſtantiam, ſatis ſuperque erat ad Neſtorium, atque Euthychen, & alios haereticos confutandos? At in conjecturis his, quamvis haud levioris ipſae ſint argumenti, diutius immorandum non eſt, cum fortiſſimae adſint ab Auctore ipſo petitae probationes. Atque in primis illa. Quid enim eſt, quod adeo execretur ibi Auctor has voces *Chriſtum hominem Deiferum*? Quibus tamen, ut ipſemet tradit, germano ſenſu acceptis, uſi ſunt Patres Nicaeni Concilii, atque ſaepe, ut auctor eſt Theodoretus contra Cyrillum in Anathematiſmis, S. Baſilius una cum aliis ante Neſtorium haereſiarcam, qui primus his abuſus eſt vocibus ad ſuam haereſim ſtatuendam. Sane quidem, quod illas deteſtetur voces, quae Athanaſii temporibus, pie, ſancteque dici a Patribus conſueverunt; a Neſtorii vero tempore ſunt vetitae; perſpicue, & abſque dubitatione aliqua demonſtratur, Auctorem illum poſt exortam Neſtorii haereſim ea ſcripſiſſe. Ut autem eaedem voces *Chriſtus homo Teophorus* a piis omnibus reſpuerentur, ſolus Neſtorius in cauſa fuit, qui eas, ſuae haereſis veneno

no infectas, reddidit execrabiles; ut pluribus docet Cyrillus in Libro de Incarnatione Unigeniti Cap. XXII, & XXIII; nec non S. Joannes Damaſcenus, agens contra Neſtorium, cujus verba recitat Euthymius in Panoplia, quibus plane teſtatur, Neſtorium ad ſuam aſtruendam haereſim, Chriſtum Dominum noſtrum appellaſſe *Deiferum*. Ob id itaque in Quinto Cyrilli Anathematiſmo, a Concilio Epheſino recepto, ita definitum habetur; *Si quis Chriſtum Deiferum hominem audet dicere, & non potius Deum ſecundum veritatem, &c. Anathema ſit*. Rurſum vero, quomodo potuit has, ut impias voces, Athanaſius exhorruiſſe, qui aliis minoris efficaciae uſus fuit? Fortioris vis eſt dicere, *Chriſtum hominem Deiferum*, quam aſſerere *Chriſtum hominem Dominicum*; prout ipſe dixiſſe reperitur in Expoſitione Fidei ad finem; & in Sermone Majori adverſus Apollinarem, qui citatur in Concilio Lateranenſi ſub Martino Papa, & Martyre, Secretario Quinto. Qui ergo dicere non veritus eſt *Chriſtum hominem Dominicum*, certe quidem haud vitaſſe potuit aſſerere *Chriſtum hominem Deiferum*? Quid igitur his evidentius, rogo, quidve firmius dici poteſt ad inſinuandum, Auctorem illum eſſe non potuiſſe Athanaſium, ſed alium, qui poſt Neſtorii vixerit tempora? Sed quamvis haec ſatis ſuperque ad aſſertam ſententiam confirmandam, ſtabiliendamque videri poſſint; ex quo tamen ſemel coepi loqui, adjiciam alia. Cum enim Auctor quam exactiſſime, quae ſunt in Chriſto duae voluntates, duaeque operationes pertractet, redarguens haereticos, qui aliter ſentirent; quis non videat, ipſum urgere, confutare, immo confodere Monotelitas? Sed reddamus hic verba ipſius; *Duas voluntates praedicamus, ſed nequaquam duos volentes, aut duos operantes, ſed unum volentem, ſecundum unitatem perſonae: contra duas voluntates, duas operationes, ſecundum peculiarem utriuſque naturae rationem. Hoc igitur modo Divinum Incarnationis Myſterium praedicantes, haereticorum blaſphemias repudiamus, in quibus ipſos relinquentes, tranſimus*. Haec Auctor. Sed quoſnam haereticos urget quaeſo, niſi Monotelitas? Quinam vero, vel Athanaſii tempore, vel etiam ante fuerunt haeretici, qui de una in Chriſto operatione, & unica voluntate adeo explicite diſputarint, ut incumberet Athanaſio tam exacta definitione illos arguere? Sicque plane, jam liquidum eſt convincio, ex ſuis ipſius verbis, Auctorem ea ſcripſiſſe poſt exortam Monotelitarum

rum haereſim (*a*) . Quamobrem ex eo mihi recantandi palinodiam onus incumbit , quod in notis ad Romanum Martyrologium dixerim, Homiliam illam adſcribendam eſſe Cyrillo Alexandrino potius, quam Athanaſio; cum nonniſi Auctori, qui vixerit poſt proditam Monotelitarum haereſim adſcribi jure valeat; tantum abeſt, ut concedam, eam eſſe Athanaſio tribuendam . Sed, ſi in his rebus dubiis conjecturae ſit locus , dicerem , ob ſimilitudinem nominis eſſe Anaſtaſii potius, quam Athanaſii ſcriptionem; illius inquam Anaſtaſii Epiſcopi Antiocheni ſanctitate, & eruditione clariſſimi , cujus nobilis ingenii nonnulla monumenta ſuperſunt. Haec quidem, quae de Athanaſio dicta ſunt, haud affirmare me puto cum Eccleſiae detrimento. Non enim ex his jacturam ſentit, quae cum ſit columna, & firmamentum veritatis , procul abhorret , ut inſtar Æſopi Corniculae aſcititia quaerat , cum pulchrior ſua fulgeat ſimplex veritas nuditate . Vale frater, haſque accipe litteras defenſionis teſtes, atque meae erga te benevolentiae, & obſervantiae obſides.. Romae Kal. Novembris. Anno Domini MDXCII.

(*a*) Ven. Baronius ad Annum 48, n. 20, & ſeq.& num. 53, ubi fuſius agit de hac quaeſtione ; haec ſcribit . „ Conſulitur de eadem „ Homilia quid ſentiret eruditus vir Antonius „ Agellius , ad ſuperiora iſta addidit : *Ut* „ *non exiſtimem eam homiliam eſſe Atha-* „ *naſii , inter alia & illud me maxime* „ *permovet, quod etymologiam vocis* οὐσίας „ *leviter admodum ac pene pueriliter auctor* „ *exequitur , ut indigniſſimum ſit eam* „ *tanti viro tribuere, ſic dictam* οὐσίαν *quaſi* „ ἰσίαν . *Atqui vox* ἰσία *nuſquam apud* „ *Graecos reperitur : aiunt enim* ἰσότητα „ *cum aequalitatem ſignificant : &* οὐσία „ *non* ἀπὸ τῆς ἰσίας ; *ſed a foeminino potius* „ *participio* οὖσα *deducitur. Fere idem peccat,* „ *niſi etiam periculoſius in explicanda ap-* „ *pellatione* τῆς ὑποστάσεως , *quaſi de eo* „ *dicatur , qui ſub aliis ſtat , hoc eſt alte-* „ *ri ſit ſubjectus : cum hypoſtaſis etiam de* „ *Patre dicatur , qui ſub nullo ſtat , cum* „ *a nemine habeat originem* . Addi pro coronide poteſt , quod Auctor hujus Homiliae cenſet animam Chriſti , ex quo Verbo divino hypoſtatice unita eſt , viſione beatifica uſam non fuiſſe . Hoc S. Athanaſius , ut quidem exiſtimari valet , non ſenſiſſet . loquitur enim illius Homiliae Auctor „ Non enim , ſuſpicandum eſt , quod ſecundum ſimplicem „ naturae ſuae proprietatem, Virgo in ſe inha- „ bitantem Deum videre potuerit: cum nec ipſa „ animata rationiſque ac intellectus facultate „ praedita caro filii, conſpicere valuerit : ſed „ quatenus fieri poterat , velut ipſa Altiſſi- „ mi virtute praeſtante umbraculum ; ac qua- „ ſi umbras creante , quarum adminiculo vi- „ deret, quantum res patiebatur,. Deum in „ ſe habitantem . Utque ipſi nos , qui in car- „ ne noſtra inhabitantem animam habeamus, „ haud quaquam tamen quomodo, qualiſve „ ea ſit , conſpicere poſſumus : ſed quaſi um- „ bram ejus , ac lineamenta ex ejus virtu- „ tibus , ac operationibus colligimus : tale „ quiddam tum virgo, tum ipſa ratione ac „ intellectu praedita Chriſti anima , contue- „ ri poterat , atque etiamnum poteſt ex po- „ tentiis & operationibus inde prodeunti- „ bus „; Baronianae huic ſententiae pene omnes ſe ſubſcribunt , Monachi praecipue Benedictini Congregationis Sancti Mauri , qui in Notis ad Homiliam de Sanctiſſima Deipara Virgine Tom. II. pag. 393. praefatam epiſtolam in medium proferunt.

EPI-

EPISTOLA LVIII.

FR. LUDOVICO A SOTTOMAJORE (*a*)

CAESAR BARONIUS.

Rationem reddit de recuſata pecunia, nempe quia Summus Pontifex abunde omnia neceſſaria ſuppeditabat, eumque, ut ſe apud Epiſcopum excuſatum reddat, enixe deprecatur.

Legi tuas litteras amoris plenas, dignos teſtes propenſioris tui erga me ſtudii, quo nomine plurimas tibi gratias refero. Caeterum ne iſthaec inter nos verbis tantummodo tranſigantur, ſed fructus aliquos percipiamus mutuae amicitiae, aſſidua inter nos precum ad Deum communicatio intercedat; quo ſic religionis vinculo, eadem arctius colligata, hic jugiter perſeveret, atque tandem, quod in optatis eſt, in coeleſti gloria feliciſſime conſummetur. Nam hic ob locorum diſtantiam, litterarum infrequentiam, inconceſſum colloquium, atque uſuram conſuetudinis interceptam, interdum frigeſcere eſt neceſſe. Quod vero iisdem tuis litteris perſuades accipere, miſſos quingentos aureos ab Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo Domino Epiſcopo Conimbricenſi, morem quidem geſſiſſem quam libenter, niſi ſciviſſem, id ipſum haud grato animo accepturum noſtrum Romanum Pontificem. Qui enim ſimul ac creatus fuit Romanae Sedis Antiſtes, nihil antiquius habuit, quam rebus meis conſulere, & ad conficiendos Annales ſumptus ſuppeditare. Sibi exiſtimabit ablatum, quicquid a quovis mihi oblatum ſenſerit. Quam ob rem non ſolum tu me velim excuſes, ſed apud eumdem Reverendiſſimum Dominum reddas in omnibus excuſatum. Si enim munuſculum aliquod, more majorum, pro benedictione miſiſſet, obviis manibus occurriſſem; cum e contra ſecum habens aurum, quod piis terrorem incutiat, Profeta clamante, *Beatus vir, qui poſt aurum non abiit*, ſiſtere gradum, immo potius reſilire conſultius exiſtimavi. Vale Pater amantiſſime, meique memor in Sanctis tuis precibus perſevera. Romae Nonis Novembris. Anno Domini MDXCII.

EPI-

(*a*) Vide quae de hoc dicta ſunt a nobis ſuperius in notis pag. 298.

EPISTOLA LIX.

CAESARI BARONIO

JOANNES SORIA.

Poſt laudes ei collatas, XXXV quaeſtiones diſſolvendas poſtulat circa varias res ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam pertinentes.

QUAM praeclare, quam vere ſcriptum reliquerit Salomon ,, Da ſapienti occaſionem, & feſtinabit accipere ,, ſi non aliunde perſpectum habuiſſem, certe tuae litterae, Caeſar, omni officio, & humanitate refertiſſimae exploratiſſimum redderent. Nam quis quaeſo, crederet eum, qui disjunctiſſimo a noſtro in loco degat, qui alterius Patriae & gentis, adeoque vivendi rationis non omnino ejusdem ſit, quempiam ſibi prorſus ignotum, eo tamen hunc amore proſequi, ut non tantum litteris dignari ſuis, ſed beneficiis etiam eum exornare, non provocatus contendat, qui non continuo etiam illum credat ſummo jure ſapientiſſimum compellandum? Quid? Quod ſi verum eſt illud philoſophi ,, Sapienti viro mundus ipſe Patria eſt ,, Nae tu quidem ſapiens, Caeſar, dicendus eris, quippe totius univerſi municeps videaris, dum litteris, & operibus tuis in omnium cordibus inſtructiſſimum tibi, quaſi quibusdam prodromis adhibitis, domicilium paraviſti? Et quidem ut haec, vel ſapientia, vel humanitas tua, una fuit, quae me impulit, ratio, ut ad te ſcribendi occaſionem haud praetermittendam cenſerem; ita tibi eadem addidit vires, ut ad me etiam reſpondendi ſedulo arripiendam putares. In ea vero epiſtola tua eam amoris ſignificationem dediſti, dum prehenſo meae non dicam culto capillitio, ſed quamlibet tenui cujuſque quaeſtionis capillulo, qui quandoque amantis cor vulnerare ſolet, ut ad omnes ſic reſponderes, quaſi omnem velles a corde dubitationem exemptam. Nec his ſe paſſa eſt ſpatiis continere amoris illa vis in me tui; eo uſque proceſſit ulterius, ut me non in tuorum ſaltem amicorum (quod ipſum per ſe maximum eſſet beneficium) ſed in fratrum etiam album me adſcribere non dubitarit. Scilicet debetur hoc Chriſto Jeſu parenti optimo, & indulgentiſsimo, quem in te

Digitized by Google

in te adhuc ſpirantem ſuſpicio. Te vero fratrem maximum, & primogenitum ſic veneror, & obſervo, ut tamen id in memoriam revocare non deſiſtam, quatenus de alendo fratre, in primogenitum a patre rejectam curam, non procul abjicias, ſed me tuis incenſis ad Deum precibus ſic juves, quod & ipſe identidem praeſto, ut ſi non ex aſſe, at minima ſaltem ex uncia haereditatem paternam adire tandem aliquando contingat.

I. Atque ut ad quaeſtiones antea propoſitas revertamur, ea me certe dubitatio premit, quod poſtquam fuiſſet Simeon in Sacerdotum ordinem adlectus, caſu aliquo potuit viſu, ac luminibus capi. Qua ratione locus jam conſtat miraculo. Praeſertim cum Auctor illius Libri non a nativitate caecum, ſed in caecitate potius conſtitutum dicat, ſine dubio innuens antea viſum habuiſſe. Verum Simeonem non fuiſſe Sacerdotem, etſi Epiphanius, Cyrilluſque refragentur, Nicodemus in Hiſtoria Paſſionis Chriſti, Surius ſummum Sacerdotem ſemel, & iterum eum appellat. Thalmudiſtae vero miracula in templo non defuiſſe XL annis, quibus ipſe Domino miniſtravit, docent. Irenaeus Lib. IV, Cap. XV; Lumen in revelatione oculorum legit, pro Gentium. Lucas ipſe exiſtimaſſe videtur. Non enim. Sacerdotem illum, ut Zachariam, ut Annam, & Caipham appellat; ſed hominis tantum dignatur elogio; id non praetermiſſurus, ſi Sacerdotio fulgeret. Ut Theophilacti, & Janſenii viri doctiſsimi nobiſcum ſentientium auctoritas non eſſet, ut debet eſſe graviſsima. Neque picturas quaſvis ita moror; ut in his etiam non ſit locus Horatiano dicto;

Pictoribus, atque poetis quidlibet audendi ſemper &c.

Quod ipſum nullo negotio verum eſſe demonſtrabo. Videmus enim latrones Chriſto confixos funibus potius adſtrictos cruci, quam infixos clavis, quod cum hiſtoriis de inventione Crucis non congruit. Videmus etiam Chriſti Domini circumcidendi hiſtoriam ſic depingi ſolitam, ut inter Virginem, & Joſephum medius quiſpiam appareat Sacerdotis ſpeciem praeſerens; quippe Linteatus ſit, & Mitratus, manuque dextra lapidem geſtans; cum tamen ex Hieronymi ſententia Lib. de Vera Circumciſione col. 16; & Bernardi in Lamentatione Virginis, verſus principium; imo & ex tua Epiſtola ad me ſcripta, Virgo Sanctiſsima id muneris non dubitarit objiſſe. Ut nil de Luciae exoculatae imagine, & Marthae Dracone dicamus. Addo quod,

 Virgi-

Virginem nomen Chriſto impoſuiſſe, docet Leo Caſtrus in Iſaia VII, ibi; Et vocabitur nomen &c. (*a*).

II. Deinde Latronem Chriſto Domino confixum, quod germanum fratrem, & non quempiam de media plebe, Gregorius, & Eulogius Martyr interemiſſe dicant, e Chriſti Domini incredibili credi poſsit caritate, qua, alterum ferme Caim, ad ſe allicere, & primum ſervatum voluerit. Videlicet hic futurus erat primus illius arboris fructus, quae humano Chriſti ſanguine irrigata, quod ſolemne dicunt, foecundior reddita ferret; quoque poſſet ſponſam Eccleſiam, ad ſe ejus dulcedine illinitam, invitare. Adde quod, ne miraculi loco habendum videtur, ſi homicidam quemvis eum dicas; quamquam, ni fallor, Ephraemus hunc homicidiis nobilem dicit Tom. I. Addo inſuper, quod qui illud mandarunt ſcriptis, tantum abeſt, ut phraſi dicantur haebrea locuti, ut ne inter latinos computentur. Quod etiam attinet ad junceam Chriſti Domini coronam, vehementer probo tuam illam ſententiam; quam inde confirmo, quod, qui curioſe intuitus eſt tres ſpinas diverſis in Coenobiis Hiſpaniae, ſcribit ſtipitem eas referre, quaſi e arbore fuerint detractae; certe quam domi noſtrae habemus, Roma allatam, rubi longioribus ſpinis perſimilem eſſe conſpicimus. Junci vero meminit; quod ipſe retuli in epiſtola mea; non Septuaginta editio, ſed Haebraicus Jonae textus Cap. II; Ambroſius in Cronico de Spina, quae Rhodi ſervabatur. Vide quid ſcribat Michael Buchingerus in Martino I. (*b*).

III. In conjectura vero illa tua, ad verſum Cap. I Lib. Machabeorum, perſpicio tuum acre judicium, ſed non admiſerim Litterae correctionem, quam in Apulejo detrectaſti, agens in ſuperadditis Tomo I. de Mirrhato; cum ſit contra omnium Codicum fidem; & hujuſmodi diſputatio apud noſtrates nimium ſit delicata. Illud ſeſe offerebat, vel ibi ſermonem eſſe de ſummo Imperatore, quem ſingulis annis Roma crearet contra enaſcentes in dies hoſtium incurſus; vel certe Judas non tam refert, quae Romae gererentur, quam quae geri in ea audiſſet vago rumore, & incerto nuncio. *Et audivit*, inquit, *Judas nomen Romanorum*. Nec averſantur ſacrae Litterae rumores referre, etiam veri-

(*a*) Vide quae de hac Symeonis quaeſtione habentur ſuperius in Not. (*a*) ad Epiſt. XXXV, pag. 255.

(*b*) Videſis hac de re ſuperius noſtrae Adnotationes ad Epiſt. XXXV, lit. (*c*) pag. 257.

veritati contrarios, ut ex 1I Reg. XIII, num. 30 colligitur, & aliunde. Id vero ſequentia confirmant. *Nemo*, inquit, *portabat diadema, nec induebatur purpura, ut magnificaretur in ea*. Quod contra omnium Scriptorum fidem eſſe videtur. Certe Joſephus hanc Epiſtolam referens Lib. XII Antiq. Cap. XVII Purpurae, aut diadematis non meminit. Plinius etiam Lib. IX, Cap. XXXIX, *Purpurae uſum*, ait, *ſemper Romae fuiſſe video*; & Cap. XXXVI, Huic faſces, ſecureſque Romanae viam faciunt; haec diſtinguit ab Equite curiam, & in triumphali miſcetur auro. Imo & Martialis ſaepe purpuram pro Magiſtratu uſurpat; niſi forte his verbis Demetrium notare voluerit, qui quo tempore tyrannidem adornabat in Judaeos, hoc ornamenti genere, contra praecedentium Regum conſuetudinem, uſum affirmant. Teſtis eſt Alexander V Genial. Cap. XVIII, ut fere ſolet ex antiquiorum ſententia. Haud vero erit huic ſimile, quod de auri fodinis refertur ibidem Eas enim omnes in Hiſpania fuiſſe profitentur (*a*). Gaviſus ſum maxime, ut vidi de Libris Eſdrae meam a te probari conjecturam; ſed vehementer indolui, quod Tomo I, dum e 1II Eſdrae Cap. IV, teſtimonium producis, illud ex Scriptura Divina petitum dicas. Correctionem illam ad tuam excuſationem inveni, ut opinionem Graecorum in eo fueris ſecutus, qui priora Capita 1II Eſdrae Libri in priorem reſumunt. Hi ſunt Athanaſii in Synopſi, & alii, quos retulit Romana Editio Septuaginta Notatione ad Caput .... Libri I. Sed jam eſt in tertia tua Tomi primi editione id prorſus ſublatum. Utinam ſimiliter alius naevus auferretur, vel certe calami lapſus. Anno Domini 34 dicis, Phlegontem in annum Claudii 14 retuliſſe illam notiſſimam Eclypſin, pro Tyberii. Tuam in Eucherio laudo conjecturam, ut in Athenogene Martyre.

IV. Templum Pacis a Veſpaſiano reparatum, non exaedificatum ſcribit Aurelius Victor, & ſi contra Svetonii ſententiam; & Beroaldus eum referens, videtur probaſſe. Certe non eſt illa Clementis Alexandrini, Auguſtini, Plutarchi ſententia de aediculae cujusdam ignotae, & ſine teſtimonio erectae extructione elevanda, vel evellenda. Tu quaeſo videas oro (*b*).

 VI. Ad-

(*a*) Ad marginem Autographi, quo utimur, haec adjecta reperiuntur. „ Poſt „ haec ſcripta, inveni P. Bellarm. Tom. I, „ ubi de his libris agit, haec difficultatem „ ex auctoritate Livii expediviſſe „.

(*b*) Conſule quae ſupra notavimus ad Epiſtol. XXXV, pag. 258.

V. Addam autem, te libentiſſimo, Caeſar, quaedam alia, de quibus tuam rogavi ſententiam, epiſtola ad te miſſa menſe Julio; ſed eam deperditam credo ex tua ſingulariſſima humanitate. His oro tuam reſponſionem, ne denega. Illud primum eſto; an nomine tenus, vel etiam ordine Judas Epiſcopus fuerit a Chriſto inſtitutus? Re namque vera, fuiſſe in Epiſcopum electum cum aliis, videtur Petrus ex Davide probare, dum e Pſalmo id affert; & Epiſcopatum ejus accipiat alter. Quod non ſuadet illud, quod prius ille laqueum gulae injecerit, quam ſuppeteret Epiſcopatus, ut ea dignitate ornaretur. Ut enim docet Ambroſius, Ser. LI, Pariſina Editio; Eutimius in id Pſal. CVIII, Fiant dies ejus pauci; Juvencius; & Oecumenius. In acta ante relata Anno Chriſti 34, c. 63. ſuſpendium elegit ante mortem Chriſti, quamquam Auguſtinus oppoſitum ſentiat. Epiſcopos autem creavit Apoſtolos, vel Chriſtus Dominus ante Aſcenſionem, Quaeſtion. XCVII, ex Quaeſtionibus Veteris, & Novi Teſtamenti; vel Spiritus Sanctus in die Pentecoſtes, ut ex Hieronymo, & utroque Cyrillo probat Turrianus ad Lib. VI Conſtit. Clem. Cap. XII: ad quorum neutrum tempus ille pervenit. Scio Viguer. & Sotum in noctem Caenae id rejicere, ſed ſine auctore, nec diſtinguunt inter Sacerdotium, & Epiſcopatum.

VI. An Beatus Petrus Romanae Eccleſiae Liturgiam inſtituerit, & quidem graece modo extet? Certe quod fuerit miſſa Apoſtolorum inventum, quod ad coeremonias attinet, docet Iſidorus I de Eccleſ. Offic. Cap. 1; & Hugo eodem Libro. Idque teſtantur de Petro ipſo Apoſtolorum Principe, ut omittam Codicem illum venerandae antiquitatis, quem video inter monumenta Eccleſiaſtica excuſum. De reliquis Apoſtolis alii. De Petro & Paulo ſimul id prodit Gregorius VII Epiſtola ad Regem Hiſpaniae Adefonſum, quem indicas in Martyrologio ad diem Maii XV. Et de eiſdem VII Hiſpaniae Epiſcopis id ipſum antea ſcripſerant Julianus, & Felix Epiſcopi Toletani, ut ex vetuſtiſſimo Codice Bibliothecae Regiae refert Morales Lib. IX Chronici, Cap. XIII ad finem. Quod autem, hodieque perdurat graece ſcripta miſſa Sancti Petri, ſcribit Turrianus Lib. VIII Conſtit. Obſervatione marginea ad Cap. XII pag. 134. At, ut quod ſentio dicam, exiſtimo, hanc, quae in Provincia Baſilicatae reperitur, nomine tantum Petrum referre, ut ea, quae Jacobi Apoſtoli dicitur. Quae, quod ejus non ſit, multa ſuadent. Meminit

nit

Digitized by Google

nit Confeſſorum, Anachoretarum, & ad metalla damnatorum; quae poſt apoſtolica tempora contigerunt. Jubet recitari Gloria in Excelſis, & Triſagium decantari; quorum primum Concilium Nicaenum non ſuperat; ſecundum vero Conſtantinopolitanum vix excedit. Quidquid Proclus, & Sanctеſius ſcribant. Aut certe, ſi haec addita ſunt Jacobo, conſtabit etiam integra ſua fides Clementi in Conſtit. eadem ferme ſcribenti (*a*).

VII.

(*a*) Eccleſiae Romanae Liturgiam a S. Petro originem trahere probata traditio apud omnes eſt. Credit S. Innocentius Papa I, quod omnes latinae Occidentales Eccleſiae ritus Eccleſiae Apoſtolorum Principis diligenter obſervare teneantur in Epiſt. ad Decent. „ Quis „ neſciat, ait, aut non advertat id, quod a „ Principe Apoſtolorum Petro Romanae Ec- „ cleſiae traditum eſt, ac nunc uſque cuſto- „ ditur, ab omnibus debere ſervari; nec ſu- „ perinduci, aut introduci aliquid, quod aut „ auctoritatem non habeat; aut aliunde ac- „ cipere videatur exemplum? praeſertim cum „ ſit manifeſtum in omnem Italiam, Gal- „ liam, & Hiſpanias, Africam, atque Si- „ ciliam nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, „ quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut ejus „ Succeſſores conſtituerint Sacerdotes „. Tempore, quo S. Innocentius hanc ſcripſit Epiſtolam circa annum 416, erat de traditione tantum ſermo; Canon non adhuc erat exaratus. Manifeſtus igitur error eſt aſſerere, tunc extitiſſe liturgiam Graeco idiomate ſcriptam, cui titulus; *Divina Liturgia S. Apoſtoli Petri*. Haec Liturgia publici juris facta eſt anno 1589 a Lindano, ex Codice ms. Cardinalis Sirleti. De monumenti hujus falſitate aſſequi facile poſſumus conjecturam, Liturgiam hanc conſcriptam fuiſſe ab aliquo Graeco-Latino, vel Latino Graeciżante, quoniam principium ſumitur a SS. Baſilio, & Jo. Criſoſtomo. Canon eſt Romanus cum additionibus S. Gregorii, & Sergii Primi. Card. Bona Rer. Liturg. Lib. I, Cap. VIII exiſtimat Codicem illum eſſe poſtremi ſaeculi, quum omnia temporis ſigna indicant ſaeculum decimum tertium. S. Patri nomen praenotatum eſt huic Liturgiae, ut majori auctoritate illa praeſtaret. Ven. Baronius ad annum 102, num. 23 cenſet S. Clementem eſſe primum Liturgiae Eccleſiae Romanae fontem, quum a S. Petro legem Deo offerendi Sacrificium novae Legis recepiſſet, teſtimonio S. Procli innixus, de traditione divinae Miſſae; cujus verba haec ſunt; *Multi quidem, & alii divini Paſtores, qui Apoſtolis ſucceſſerunt; ac Eccleſiae Rectores ſacrorum illius divinae Miſſae myſteriorum rationem explicantes, ſcriptis mandatam, Eccleſiae tradiderunt*. In quibus primi & clariſſimi ſunt B. Clemens ſummi illius Apoſtolorum Principis diſcipulus, & Succeſſor, qui ſacroſancta illa myſteria a SS. Apoſtolis ſibi revelata in lucem edidit. Quamvis ſit certum tribus prioribus, vel quatuor ſaeculis SS. Jacobo & Clementi Liturgias tributas, notas eſſe ſolummodo; & licet nonnulli in medium afferant quamdam Liturgiam Graece & Chaldaice conſcriptam circa quintum ſaeculum S. Clementis nomine, quam Cardinalis Beſſarion in Libro de Sacramento Euchariſtiae inter apocrypha commemorari ſolere ſcribit. Notandum praeterea, quod Baronius, Bona, Tillemontius, aliique judicarunt Liturgiam S. Clementi adſcriptam nil aliud eſſe, quam quaedam capita Libri Conſtitutionum Lib. VII, cap. XV; & ſeq. Lib. VIII cap. XV, & ſeq. Non extat alia Miſſa, quae Clementi Pontifici tribui poſſit. Verum quinque prioribus ſaeculis Miſſam litteris conſignatam extare dubiiſſe, ſive S. Petrus illam digeſſerit, & Clemens, aut alius ejus ſucceſſor ex ejus praeſcriptis collegerit, ſive ab hominibus Apoſtolicis eam acceperint. Opinandum igitur multa huic addita fuiſſe uſque ad Gelaſii Pont. tempora, qui hanc Liturgiam in Romana Eccleſia uſurpatam in multis auxit. Anaſtaſius in vita Gelaſii ſcribit, eum feciſſe Sacramentorum orationes & praefationes; unde *Gelaſianus Codex* appellatus extiterit. S. Gregorius Magnus plurima in eo mutavit & addidit, ac duos tomos Gelaſii in unum redegit; appellatum *Sacramentarium S. Gregorii*, *ſeu Liber de Sacris myſteriis*, ut Joannes Diaconus in vita S. Gregorii memoriae prodidit. Verum Liturgiam aliquam ante Gelaſii, ac Gregorii tempora in uſu fuiſſe Romae, convenire neceſſe eſt, quum non pauci illorum Deceſſores Pontifices multa addiderint. Damaſus I juſſit, ut in Miſſa recitaretur Nicaenum Symbolum

VII. Quod primo Tomo, & tertio ſcribis de quatuor clavis, quibus eſt in Cruce Chriſtus infixus, praeter Gregorium Turonenſem, & Abulenſem Paradoxo III, Cap. X, teſtes ſunt Cyprianus Ser. de Paſſione „ Clavis ſacros pedes terebrantibus „. Et quod non parum rem juvat Plautus in Moſtel. Scena VI, *Ego dabo ei talentum unum, qui in crucem excucurrerit; ſed ea lege ut affigantur bis pedes, bis crara*. Indicavit hunc locum Lipſius in Elect. Cap. XVIII, ubi ex Apulei Lib. IV Miles; & Seneca Cap. XIX. de Vita Beata, clavos a Romanis adhiberi docet. Omnino vide Lipſium, & Cap. XXIII, ubi de percuſſione januae a lictore. Eo autem hoc teſtimonium caeteris praeſtat, quia eſt hominis Ethnici, & Romani, qui de ritu crucifixionis Romanae fert teſtimonium. Alioqui enim veroſimilius puto, Judaeis non fuiſse eum morem, ut clavis adhibitis crucifigerent. Ex Lege certe Deuteronomii XXI id non habetur. Id ipſum confirmant etiam apud Corſicam antiquiſſimae Imagines, quae decuſsatis Chriſti Domini tibiis, pedibuſque depictae habentur. Et Birgitta probat hanc pingendi rationem ſuis Revelationibus, ſic Lib. II, Cap. XLII. *Ipſe* habitus Crucis fines, & ſummitates habet quinque, duos in longitudine, & duos in latitudine, & unum in medio, ubi requieſcit qui clavis affigitur. Vide Baif. de re veſtiaria col. 200. (*a*) Deinde quod Hierony-

belum. Ab Innocentio I *Oſculum pacis* ſtatutum eſt. S. Leo Canoni haec verba addidit; *Sanctum Sacrificium, immaculatam hoſtiam*. Sed de hac quaeſtione conſulendi Rabanus Maurus de Juſtitia Cleric. Lib. I, Cap. XXXII; Rupertus de Divin. Offic. Lib. II, Cap. XXI. Innoc. III de Myſteriis Miſſae Cap. XLVIII. Le Brun de Liturgia Romana Tom. II, Diſſert. II. Art. II.

(*a*) Chriſtum Cruci affixum, & manus ejus fuiſſe clavis perforatas demonſtrant haec verba Thomae; *Niſi videro in manibus ejus fixuram clavorum & mittam manum meam in latus ejus non credam*. Sed & pedes ejus fuiſſe transfixos ipſe Dominus docet; *Quid turbati eſtis*, inquit, *& cogitationes aſcendunt in corda veſtra? videte manus meas & pedes, quia ego ipſe ſum: palpate & videte*. Id autem fuerat praenunciatum; *foderunt manus meas & pedes meos* Pſal. XXI. An duo pedes uno clavo, an diſtincto ſinguli, ut quaternariis clavis crucifixus ſit Dominus incertum eſt. Quatuor clavos exhibent Graeci in ſingulis manibus pedibuſque ſingulos, addito quodam Scabelli genere ſub pedibus, ne corporis pondere evelleretur. Cornelius Curtius pro quaternario numero clavorum multa teſtimonia collegit in Libello, quem edidit *De clavis dominicis*. Rem putat demonſtrari poſſe variis Chriſti Crucifixi Imaginibus, quas memorat. Tres tantum alii fuiſſe contendunt ex Patribus, faveatque huic ſententiae Occidentalium conſuetudo, vetuſtae imagines pleraeque, quae clavo uno utrumque pedem figunt. Vide Theodoret. Lib. I Hiſtor. Eccleſ. Cap. XVIII; Ambroſium & alios. De hoc argumento fuſius agit Binaeus de morte Chriſti Lib. III, Cap. VI, Art. X. Romanos autem, pro conſuetudine ſua, Dominum Cruci affixiſſe, oſtenditur ex iis, quae in ejus crucifixione contigerunt juxta Evangeliſtas. Caſaubonus exercit. XVI ad Annal. Eccleſ. Baronii autumat, Crucis ſupplicium veteribus Judaeis ignotum fuiſſe hiſce potiſſimum argumentis. Et I Rabinorum auctoritate, quorum teſtimonium illud eſt; *Non fuit hic mos in Iſrael, ut clavos figerent in pedibus, aut manibus hominum*,

ronymus, & Cyrillus, Chryſoſtomus, & alii dicunt Chriſto Domino veſte Coccinea, ſceptro, corona fictis illudere Judaeos voluiſſe, confirmari poſſet ex conſuetudine, quae ſolemnis fuit apud Romanos, ut quem Regem creare vellent, vel in Regno ſtabilire, Purpuream ad hunc veſtem decernendam, cenſerent. Id quod & e Livio de Bello Maced. Lib. I; & Tacito IV Annal. colligi poſſit; & I Machab. Lib. Cap. X, & XI perſpicue confirmatur. Scipionis etiam eburnei meminit Tacitus, pro quo Domino arundo data. Sed qua, teſte Athanaſio de Paſſione, & Cruce Chriſti, Daemonem, ſerpentem inquam, veſtem lethaliter percuteret; id quod arundini proprium eſſe dicit. Non eſt hujuſmodi quod de Clavo, & Sparto ad febrim amovendam in A. Caracallo attuliſti, ut auctoritate Plinii poſſit ſtabiliri, & affirmari; ibi enim Ethnicam ſuperſtitionem potius referre videtur, quam Chriſtianae religionis pietatem. Subjicit namque Liberato, quem condunt caverna, quam ſol non attingat. Videor certe audire Apulejum officina ſua magica loquentem.

IX. Quam vere ſenſerint Patres ii, quorum veſtigia aſſectaris,

minum, qui lapidati aut ſuſpenſi fuiſſent. II quod Rabbini ſola quatuor genera poenarum agnoſcunt, lapidationem, ignis ſupplicium, occiſionem per gladium ſive decollationem, & ſtrangulationem; a crucifixione poenae haec ſunt diverſae. III. Quia Verbum nullum in haebraica lingua invenitur, quod Crucis ſupplicium ſignificet. Cruci reſpondet עץ & z, lignum ſcilicet; nomen genericum innuens inſtrumentum, quod ad diverſa tormenta variis modis adhiberi poterat; licet in Geneſi Cap. XI, 19 dicatur de Piſtore Pharaonis ſuper lignum ſuſpenſo, ſeu Crucem, ut Joſephus ſcribit, incertum erit ſemper, an ſuſpenſio illa fuerit Crucifixionis, vel ſtrangulationis. Verum enim vero Ang. Calmetus in ſua Diſſertatione de Suppliciis, de quibus fit mentio in ſacra Scriptura Tom. I pag. 94 probat validiſſime, morem fuiſſe apud Judaeos ſuſpendendi in Crucem homines exemplis ex ſacris paginis deductis. Geneſ. XI, 19; *Pharaonis Piſtor capite truncatus eſt, dein in CRUCEM illius corpus ſublatum eſt. Auferet caput tuum, ac ſuſpendet te in CRUCE, & lacerabunt volucres carnem tuam. Aman CRUCEM Mardocheo paratam ſubire coactus eſt.* Eſth. VII, 10; & Num. V, 4. *Morſes duces Iſraelitarum CRUCI damnavit, qui Beelphegor fuerant initiati. Joſue Hai Regem in CRUCEM egit*, Joſ. VIII, 29. Verum conſuetudinem etiam apud illos viguiſſe, hominum ſcilicet vivorum cruci affigendorum, ut eo ſupplicii genere abſumerentur, ex eadem Scriptura multa exempla in medium affert praefatus Calmetus adverſus Judaeorum opinionem, qui nonniſi mortuorum cadavera Cruci ſuſpendi conſueviſſe, affirmant. Lib. II. Reg. XXI. *Cultores Beel-phegor, Rex Hai & poſteri Saulis in CRUCE obierunt.* Joſephus Antiquit. Lib. XIII, Cap. XXII narrat, Alexandrum Regem Judaeorum octingentos perduellionis reos in Crucem egiſſe, eoſque adhuc ſpirantes, uxores, filioſque ante Crucem trucidari juſſiſſe. Zachariae XII, 10 praedixit futurum, ut Judaei aſpicerent *In quem confixerunt.* Animadvertendum praeterea quod in Deut. XXI. ſtatutum eſt, ut corpora in Cruce ſuſpenſa ante occaſum Solis ſepulturae traderentur; *Non permanebit cadaver ejus in ligno, ſed in eadem die ſepelietur, quia maledictus Deo eſt, qui pendet in ligno.* Ita ſervatum eſt in Rege Hai; & quinque Regibus Chananaeis Joſue VIII, 29; & X, 26, 27; Lib. II Reg. XXI, 8, & 9, demumque in Jeſu Chriſto, geminiſque latronibus ante noctem ſepulcto traditis, Joan. Cap. XIX, 31.

Digitized by Google

ctaris, qui Adami calvariam in monte Chriſto ſubjiciunt (*a*), & ſi refragetur Hieronymus, aſſeruit Moſes Barcepha, (forte hic fuit poſtea Niſibenus Epiſcopus) Scriptor Syrus (*b*) Lib. I de Paradiſo, quem latinis auribus dedit A. Maſius.. Is ergo e Jacobi Orrhactae, ſeu Edeſſeni, Magni Ephraim praeceptoris ſententia, totam rei geſtae narrat hiſtoriam. Et qua ratione? Noas primi parentis exuvias, oſſaque ſacra in arca condiderit, filiis teſtamento relinquenda. Obtigit autem Semo filio chariſſimo Cranium, quod in monte praedicto reliquit ſepultum. Teſtatur vero Auguſtinus huic terram Cana itidem ſortito ceſſiſſe. Huic narrationi haud leviter adſtipulatur, quod de oſſibus Joſeph (adde etiam, ſi libet, & fratrum duodecim ex Comeſtore & Dioniſio in Joſue ult.) ſacrae litterae narrant; tranſlata nimirum in eamdem a Nepotibus provinciam. Neque parere poteſt alicui calumniae nobiliſſimi Scriptoris indicata hiſtoriae origo. Idem Maſius in Joſue de Cruce cum Crucifixo ſepeliri ſolita, neſcio quid comminiſcitur. Forte haec apud Judaeos inclyta conſuetudo ortum habuit ex ultimo Cap. Joſuae, Editionis Romanae, & Origenianae apud eundem Maſium. Soli enim Septuaginta Interpretes meminerunt de ſepultis cum Joſua cultris lapideis, de quibus infra dicam; aut certe inde, quod qui in patibulum acti ſunt contra ſolem, Joſuae VIII, ſecum etiam patibula

(*a*) Supra montem Aboucal tradunt multi ſepultum extitiſſe Adamum. Autumant alii inundante Diluvio in Arcam ipſana Adam tranſlata; poſtea deducenda per Melchiſedechum filium Sem, & nepotem ſuum ea filio Jeroſolymam curaſſe. Ab Orientalibus Chriſtianis, & Patrum non paucis traditio haec retenta eſt; ſepulturae amanuatum Adami cadaver ſuper Montem Calvariae, ubi Jeſus Chriſtus a Judaeis crucifixus fuit. Mons *Calvarius*, ſeu *Cranio* appellatus ex Hieronymo, quod eo loco rei capite plecterentur. Conſuetus certe lucus erat, reorum ſupplicio deſtinatus. Origen. in Matth. Ambroſ. Lib. X. in Luc. Epiph. haereſi XLVI; Athanaſ. de Paſſ. Domini; Baſil. in Iſai. Chryſoſt. in Joan. Homil. LXXXIV; Auguſt. Lib. XVI. de Civit. Cap. XXXII cenſuere inditum fuiſſe loco nomen ex Adami *Calvaria* primi hominum parentis in eo monte conditi. At nihil eo incertius. *Golgotha* hebraica vox non eſt, & ex hebraico גלגלת Golgoleth *cranio* effecta. Syrus legit *Gagultha*. Sterilis mons frequenter appellatur mons calvus, calvariae inſtar nudae, & arentis. Oſtenditur hodie Samariae in Paleſtina Sacellum Adamo dicatum, quem ibi Turcae colunt. Herbelot. in Biblioth. Orient. pag. 56. col. 2.

(*b*) Moſes Barcepha Syrorum Epiſcopus creditur vixiſſe decimo ſaeculo. Quinquaginta orationes edidit de Opere ſex dierum. Commentarium in tres partes diviſum, in quarum prima de Paradiſo, juxta ſenſum hiſtoricum agit; in alia ſecundum myſticum ſenſum diſſerit; in ultima Haeretodoxorum calumnias falſitateſque rejicit. Prima viginti & octo capita, altera ſeptem, tertia octo complectitur. Antonius Maſius praefatum Commentarium ex Syriaco idiomate, quo ab auctore exaratum, in latinam linguam reddidit. Extat in Bibliotheca Patrum. Animadvertendum tamen eſt, quod Margarinus Bignaeus in ſecunda editione Bibliothecae Patrum Moſem Barcepham confundit cum Mois Mardeno, quem Ignatius Syrus Patriarcha Antiochenus ad Paulum III Pontificem Legatum miſit circa annum 1550. Idem Maſius ex lingua Syriaca in Latinam vertit illius profeſſionem Fidei, ac Contemplationem theologicam de SS. Trinitate.

Digitized by Google

bula habuerint conſepulta, de quo ille addidit, & in eodem Libro, tanto Judaeos hodie in Chriſti Domini memoriam odio ſerri, ut Crucem nominare pro Religione ducant; ſed nominaturi, Crucem paraphraſtice Tegmen, & Subtegmen appellant. Athanaſio teſte, Quaeſt. CXIII ad Antiochum, has vocabant execrationes Organum, & affert id Pſalmi; ex Baſan revertar, ideſt e turpitudine; nam e cruce ad ſepulchrum, & infernum properavit. Quod Noe tribus filiis Terras diſtribuerit, doces ex Epiphanio in Panario Januarii XV.

IX. Videri haud poſſe ſubſiſtere, quod de adductione praeputii ad Primae Corinthiorum, Cap. VII, explicationem ex Epiphanio prodidiſti. Nam praeterquam quod e reconditis, id eſt petitum Talmudiſtarum figmentis, quod oſtendit Maſius citatus ad Joſue Cap. V, dum agit de ſecunda populi Circumciſione, abhorret id maxime a ſententia Patrum. Hieronymus I, contra Jovinianum, de eadem circumciſione loquens, & Theodoretus Quaeſt. II in Joſue, hanc implementum appellantes; praeſertim cum circumciſio apud eos fuerit Sacramentum initerabile. Neque in hac re tam audiendi ſunt Poetarum explanatores, quam Patres, quorum proprium munus eſt de his pertractare. Quare Recutitos dixerim a diverſa cute deductum, ne interim alio Poetarum nomine careant. Apellas enim Horatius inde Judaeos appellat, quod ſine pelle; quae ſi ſupercreſcat prorſus nomen abjicient. De Machoeris vero petrinis, ſic eas Origenes Homilia ultima vocat, quae conſepultae ſunt Joſuae, quod & teſtatur Auguſtinus, & Gloſſa ad Joſuae ultimum, in magnam myſterii ſignificationem; abolendam videlicet, Chriſto Jeſu mortuo, circumciſionem, exiſtimo verius multo, non lapideos inde dici, quod vere e ſilice eſſent effecti, ſed quod e cote eſſent recens abducti, ad quam acutiſſimi redderentur alioqui ferrei. Quod Arias ex Paraphraſte Kaldaico ſenſit ad Joſuae cap. v. Tu, quid tibi arrideat in his, pro tua eximia eruditione, mecum communicabis (*a*).

(*a*) Extitiſſe Judaeos, qui peritorum ſtudio praeputium ſibi reparare conabantur, colligi videtur ex Lib. II. Machab. 5, 16, & Epiſt. I Cor. VII, 17. Origenes Philocal. Cap. I. aſſerit quoſdam ſe Judaeos noviſſe opera Medicorum ad eam rem uſos eſſe. S. Epiphanius de Pondet. & menſur. inſtrumentum inventum prodit, Cornelius Celſus totum artificium deſcribit de Medicina Lib. VII, Cap. XXV. Bartolinus de Morb. Bibl. Cap. XXVI automat auctoritate Judaeorum morem fuiſſe illum Reſractariis familiarem. Vide S. Hieronymum in Iſa. LIII, & in Jovin. Lib. I; Lyran. in I Machab. V, 16; Rup. Lib. IX, de Vict. Verb. Cap. XVIII, qui ſane auctores contendunt, fieri m'n me poſſe ut ſigna circumciſionis deleantur; idque etiam videtur ſenſiſſe Origenes Princip. Cap. II.

X. Et quoniam in Paraphraſtae Caldaei incidimus mentionem, de tempore, quo vixerit, mihi etiam inquirendum putavi; eo vel maxime quod ante Chriſti Domini adventum vixiſſe, teſtantur Quinquarboreus in Prophetas Minores; & Jacobus Juſtinopolitanus in Pſalmos, ut Galatinum omittam. Nec abhorret ab hac ſententia Elias ille Levites Germanus, cujus teſtimonio aliquando non gravate es uſus. Id quod etiam inde veroſimile videtur, quod niſi tam eſſet antiquus, non eſſet apud ſuos talem auctoritatem promeritus, ut religioſum ducant ejus ſcriptis reluctari; qualem non eſt aſſecutus Onchelos ille, quem quidam ex paranomaſia Aquilam Haebreum ſuſpicantur; alii vero Titi Imperatoris propinquum. E diverſo illud in primis generat difficultatem, quod videam Hieronymum, & Epiphanium has commentationes effugiſse (*a*). Ad Titum redeo. Quidam ſcribunt, de Judaeis cum triumpharet, inter alia praeclara ejus urbis ſpolia, arcam etiam ipſam cum menſa, & Candelabro abduxiſse, & in Capitolium invexiſſe, Romaeque perdurare ejus rei arcum, qui hoc ſua integra inſcriptione teſtetur; quod nec Joſephus, nec Annales prodiderunt. Quamquam illud non intelligo, de qua Arca loquantur. Certe primam illam a Jeremia reconditam in monte, Sacra refert Hiſtoria.

XI. Quando ortum habuerit ea conſuetudo, ut nomen illud Chriſti, quod Labarum praeferebat per compendium, primo & ultimo alphabeti graeci elemento exornaretur in hunc modum, A ☧ Ω. (*b*) Antiquiſſimum fuiſſe hoc ſchema teſtatur vetus illud

(*a*) Quamvis alii habeantur apud Hebraeos in ſacroe libros Paraphraſtes, duo tamen, qui in Pentateucum Paraphraſes concinnaruot ſuas, apud eos in magno pretio habentur; Jonatanis ſcilicet, qui creditur ſub Herode magno, triginta nimirum ante Chriſtum annis floruiſſe, & Onkali, de cujus aetate haud convenit apud Auctores. P. Mocinus hanc Onkeli Paraphraſim contendit, priorem Talmulde Babilonico, poſteriorem Jeroſulymitano; de qua nulla mentio adeſt apud Hieronymum, Euſebium, & Origenem. Rabbinorum multi autumant Paraphraſtem Onkelum eumdem fuiſſe ac Aquilam, ſeu Akilam Scripturae Graecum Interpretem. Murinus in ſuis Exercitationibue Biblicis Lib. II. Exercit. VIII, cap. VI hanc rejicie opinionem, his potiſſimum argumentis. Primo, quia magnum diſcrimen intercedit inter Aquilam & Onkelon, ut duo homines diſtinguantur. II, quod illa judaica opinio Onkelos origine Ethnicum, dein Judaiſmum amplexum fuiſſe, idoneo teſtimonio indiget. III, quod plurimum utriuſque aeras variat; Aquila enim ſecundo Eccleſiae ſaeculo vivebat; Onkeloe fuit Hilleli coevus aliquandiu ante Jeſum Chriſtum. Praeterea quum aſſerant poſt obitum Gamalielis nepotis Hillel, qui mortuus eſt decem & octo annis ante Hieroſulymee urbis deſtructionem, illum deceſſiſſe, grande temporie ſpatium remanet uſque ad ſecundum ſaeculum, in quo Aquila florebat. IV, quia ſcripſit quidem Bereſchit Rabba commentarium Rabbinicum in Geneſim; ac Rabbini poſt illum ſermonem habeut *Targum* Akilae; ſed *Targum* iſtud idem eſt ac verſio Graeca Aquilae. Hoc autem nomen *Targum* uſurpari ſolet pro verſione ſeu Paraphraſi apud Hebraeos.

(*b*) Conſtat hoc ſignum; ut omnes facile, qui

illud numiſma, quod Tomo III, pag. 565 attuliſti, quod erat Magnentii, & pag. 590, aliud Conſtantii cum A, & ſtellula; ſed

qui attigerunt graecas litteras, intelligunt, & illarum apertes docet Euſebius Lib. I, de Vita Conſtantini, Cap. XXXV ex duabus prioribus litteris, quibus graece Chriſti nomen exaratur. Scribit enim, cum jam Cap. XXX narraſſet, a Conſtantino accitos, ac doctos fuiſſe artifices modum, & rationem conſtruendi ejus militaris ſigni, quod labarum dicunt, *Κέρας εἶχεν ἐγκάρσιον σταυροῦ σχήματι πεποιημένον. πρὸς ἄκρῳ τοῦ παντὸς, στέφανον ἐκ λίθων πολυτελῶν, καὶ χρυσοῦ, συμπεπλεγμένον κατεστήρικτο, καθ' οὗ τῆς σωτηρίου ἐπηγορίας τὸ σύμβολον δύο στοιχεῖα τὸ Χριστοῦ παραδηλοῦντα ὄνομα, διὰ τῶν πρώτων ὑποσημαῖνον χαρακτήρων, Χ ἰαζομένου τοῦ Ρ, κατὰ τὸ μεσαίτατον.* Superior extrema pars ita erat comparata, ut in obliquum porrecta, crucem referret. In ejus ſummo vertice corona variis gemmis, auroque contexta erat conſtituta. In qua ſalutaris appellationis ſymbolum, duo litterarum elementa, Chriſti indicabant nomen; ſignificatum nimirum per priores characteres, defixo P in ipſo medio litterae X. At non hanc unam tantum rationem pingendi, atque exculpendi ejus monogrammatis excogitavit, & ſaepe uſa eſt antiquitas. Quandoque enim, ſecto crure τοῦ P, & quidem recta linea, crucis ſpeciem referebat; cui etiam lineae, non raro adjecta reperitur forma τοῦ X, ad eam quam jam retulimus rationem. Quandoque a ſiniſtra ad levam, integris caeteris, ipſum P vertebat. Quandoque item a leva elementum A, & a ſiniſtra Ω exculpere conſuevit. Cernuntur in aliquibus adjecta, vel columba, & ſtella; vel litterarum elementa C, & V; vel palmarum ramuli; & alicubi inferius quoque reperitur exaratum, quod ſcribit Euſebius Cap. XXVIII, a Conſtantino in coelo viſum *ἐν τούτῳ νίκα* *in hoc vince*. Qua vero aetate illud ſignum fuerit primum excogitatum ab iis, qui chriſtianae religioni nomen dederant, non ita facile conſtitui poteſt. Sunt qui putant, aetatem illius eſſe temporibus apoſtolicis conſignandam. Sunt alii item, qui arbitrantur, ante Conſtantinum Imperatorem a quoquam non fuiſſe propoſitum. Verum, ut facile intelligimus, utraque illorum ſententia nequaquam conſiſtit. Priores ſiquidem nullum proferre poſſunt ſatis expreſſum, ac apertum argumentum, quo illud dilucide, & perſpicue evincatur. Poſteriores vero veritatem nullo modo attigiſſe, docent clariſſima monumenta, quae proferuntur ex remotiori antiquitate. In monumento enim S. Marii, qui & militum dux fuit, & martyr occubuit in perſecutione Hadriani, hujuſmodi extabat monogramma. Hoc ipſum erat exculptum in ſepulcro S. Alexandri, qui vero Deo ſacrificaturus, Antonino Imperatore, fuit ad ſupplicia ductus. Referebat & illud inſcriptio ad ſepulcrum S. Caii Papae, qui jam obiit Imperante Diocletiano. Haec ſane Conſtantino ſunt longe antiquiora monumenta; apoſtolica tamen non ſunt. Sed quid plura? Cernitur quoque in ipſo ſepulchro S. Laurentii, quod e Coemeterio Priſcillae fuit effoſſum. Hoc autem monogrammate conſueviſſe majores noſtros ornare non modo inſcriptiones, ſepulchra, labara, templa, tabulas, amuleta, & litteras, quas dicebant formatas, atque pacificas; verum etiam nummos, vitra collares ſervorum circulos, militum coronas, lucernas, ſigna, ſcuta, & annulos, iis exploratum eſt, qui in antiquitatibus chriſtianorum utcumque ſunt verſati. Hoc in loco ſi quis a nobis ſciſcitetur, quae res illos impulerit, ut una cum ejuſmodi ſigno exculperent quoque ramulos palmarum, ſtellam, columbam, ac litteras C & V, vel A, & Ω, ut reponatur, diu non erit cogitandum, id factum eſſe, vel ad martyrium exprimendum, vel ad animam, & Chriſtum indicandum, vel ope & gratia Chriſti omnia terrena incommoda vinci, & ſuperari, vel, quod in Joannis Apocalypſi traditum eſt, ipſum Chriſtum Servatorem eſſe rerum omnium credendum principium, & finem, ipſumque eſſe verum Deum habendum. De cauſa & origine, quam hic proponit Soria, viderint alii. Iis, quae retulimus, praeter Euſebium, nobis teſtes ſunt Georgius *De Monogrammate Chriſti*; Caeſar Becillus Congregationis Oratorii Presbyter in Commentariolo *De Inſcriptione ad ſepulchrum S. Caii Papae*; Boldettus, Bonarrotius, Aringhius, & Thomas Maria Mamachius Ord. Praed.

vit

ſed male, nam deeſt ni fallor Ω. Certe inter Hiſpanos hoc erat Symbolum hominis Sancti, aut certe Catholici. Hincque in ſepulchris ipſis ſaepius reperitur inſculptum, non ſecus atque tuus ille Daniel, de quo in Martyrologio. Quin & in aedificiis, atque diplomatibus regiis ſaepe videtur adſcriptum; videlicet ſuam fidem contra Arianam perfidiam teſtatiſſimam reddebant homines pii. Vide Moralem Lib. II Chronici, Cap. XLI; Marianum Lib. V, Cap. IV. in fine. Aliam ego inde cauſam hujus hieroglíphici venandam puto, quod eſt ab Epiphanio contra Sabellianos, ad finem ſcriptum, ideſt Haereſi LXII. Probat ille, Chriſtum Dominum vere fuiſſe Deum, vere hominem; atque, quo hoc ſignificaret, dixiſſe; Ego ſum A, & Ω. A inquam, quod deorſum videt; Ω., quod ſurſum ſpectat, ut impleatur, inquit, quod dictum eſt, qui deſcendit ipſe eſt, & qui aſcendit &c. Nec alienum puto Etymon afferre, quo haec confirmantur. Θεὸς a videndo dictum putat Ambroſius in Exae. Ἄνθρωπος a ſuſpiciendo. Quod etiam docuerat in Cratylo Plato. Quod ergo oculi omnium in Deum ſperent, & viciſſim oculi Domini contemplentur bonos, & malos; inde factum puto, ut viri de religione noſtra optime meriti, hanc ſibi teſſeram ſumendam cenſerent. Quod ne ita ſit tuum erit indicare.

XII. Deinde vero, quod ſcribis luce ſerena Crucem Conſtantino apparuiſſe, videtur contra ſe habere Nicephorus Hiſtoriae Eccleſiaſticae Lib. VII, Cap. XXIX, & XLVII, qui inclinante jam veſpere id ſcribit ſignum apparuiſſe; & Nicolaus I ad Conſulta Bulgarorum Cap. XXXIII, Euſebii verba in Hiſtoria mutuatus ſic ait. Cum multa ſecum de inſtantis praelii neceſſitate pervolvens iter ageret, & e coelo ſibi divinum precaretur auxilium, vidit per ſoporem ad Orientis partem in coelo ſignum Crucis. Soporem vero ſomnum, quod in eo itinere hominem invaſit, ſignificare ſacrae litterae, Geneſeos II, ſuadent; quamquam omnes Hiſtorici, quos viderim, tecum video etiam conſenſiſſe.

XIII. Duo ne fuerint eodem tempore Caeſarienſes Euſebii? Auctorem enim habeo, qui ſcribat, unum in Cappadocia floruiſſe, cui Baſilius Succeſſor fuerit, confeſſione Fidei tam illuſtrem, ut nec minis ſuccumbere, nec allici potuerit ſollicitationi-

vir ſane doctiſſimus, & in *Originibus*, & *Antiquitatibus Chriſtianis* in primis verſatus Tom. III, Lib. III, Part. I, Cap. I, §. III, num. 20., pag. 48, & num. 22, pag. 53, & ſeq. & num. 24, pag. 74.

tionibus. Certe Nazianzenus in Baſiliana Euſebium quemdam commendat, eumque in Baſilii ipſius manibus ſuaviter animam efflantem inducit. Alterum vero in Caeſaraea Paleſtinae cognomento Pamphili, eruditione, & hiſtoriae cognitione celebrem; cui teſtantur Caſſiodorus, & alii, Achatium diſcipulum ſucceſſorem reliquiſſe, ejuſque vitam hunc ſcripſiſſe. An ne hinc appareat quis fuerit ille Euſebius Caeſarienſis, quem in Martyrologia ſua Maurolycus, & Molanus cooptarunt ad Junii XXI; proque eo Romanum Martyrologium ex Nazianzeni Epiſtolis, Samoſatenſem induxerit. Certe Caeſarienſis Pamphili a Synodo ſeptima inter haereticos numeratur. Duos vero Arios fuiſſe non modo Vigilius Tridentinus in prooemio ad diſputationem illam effictam inter Arium, & Athanaſium; ſed ſenſiſſe etiam videtur Alexander ille Alexandrinus in Epiſtola ſua de Arii depoſitione, quae difficiliorem offert quaeſtionem. Et demum duos fuiſſe Anacletos, tuetur noſter Bellarminus. Tu quid ad haec dicendum ſit, diſpicere potes, ac aliis, quae inveneris, pro tua ſapientia impartiri.

XIV. Unde, praeter univerſae Eccleſiae traditionem, conſtare queat, Athanaſium praedictum ſymbolum ſcripſiſſe (*a*). Gilbertus equidem Genebrardus Lib. III de Trinitate, cum in eo totus ſit, ut Sathanaſianum illud appellantes confutet, nonniſi Belethum, & Durantium in Prochyris ſuis, ac Anonymos Graecos producit. Nicephorus quoque Lib. IX, Cap. XLIV novem Symbola recenſens, hujus non recordatur. Non deſunt, qui Nazianzenum, & Auguſtinum pro ſua defenſione patronos adducant. Ille enim in Athanaſiana ſic ſcribit. Atque Imperatori donum vere regium, & magnificum offert, ſcriptam nimirum confeſſionem adverſum novum dogma. Sed haec licet Genebrardus de ſymbolica confeſſione accipiat, Billius de alia uſurpat, de qua Theodoretus in Hiſtoria. Ego autem de illa intelligendum puto, quae inter opera Athanaſii refertur. Incipit autem, *Decora, & eximia res eſt &c.* Et quidem par eſſet ſymbolum fidei Pontifici offerre, non Imperatori, ut inſinuat D. Thomas ſecunda ſecundae

(*a*) Quod ad Symbolum S. Athanaſii ſpectat conſule ſpecialem, atque eruditam quidem ann. 1732 Veronae impreſſam diſſertationem, in exratione ſcilicet Pſeudo-Athanaſiana cl. Joſephi Blanchini Canonici Veronenſis, nunc hujus Romani Oratorii Presbyteri Saecularis, viri ſpectatae pietatis ſummae eruditionis laude, omnique virtutum genere cumulatiſſimi, noſtrique conjunctiſſimi. Vide etiam, ſi placet, quae de eodem Symbolo Athanaſiano, ſuperius pag. 200 & ſeq. ad Epiſt. Nicol. Serarii datam IV Kalen. Octobris an. MDLXXXIX.

cundae Quaeſt. 1, art. x, ad 3, de eodem Symbolo diſputans. Hic vero, ideſt Auguſtinus de Trinitate Cap. VIII, & Sermone CCXCV de Tempore, videtur fruſtula quaedam, verſuſque referre, ſed omiſſo nomine auctoris. Hieronymus certe Torrentinus in Praeludio ad Confeſſiones Auguſtini; Bellarminus etiam Lib. II de Chriſto, Cap. XXV, Auguſtinum indicant Pſalmo CXX nomen Athanaſii referre; quod teſtimonium ego non invenio. Unum invenire potui Hiſpalenſem Iſidorum, quem prodit Mariana noſtrae in Hiſpaniae Hiſtoria Lib. VI, Cap. VI, ex Epiſtola ad Eugenium ſecundum Toletanum. Sic autem ille. Qui igitur ei (loquitur de Romano Pontifice) debitam non exhibet reverenter obedientiam, a capite ſejunctus, Acephaliſmo ſe reddit obnoxium. Quod, ſicut illud S. Athanaſii de fide Sanctae Trinitatis, Sancta Eccleſia approbat, & cuſtodit, quaſi fidei Catholicae articulum, niſi quiſque fideliter firmiterque crediderit ſalvus eſſe non poteſt &c. Hoc certe probat teſtimonium. Nam alioqui, ſi nomen non producas auctoris, vix fides ei concedatur. Ignatius enim in Epiſtola ad Philippenſes, *Neque tres*, inquit, *Patres*, *neque &c. Sed unus Pater &c.* (a) Sed adhuc obſtat, quod proceſſio Spiritus Sancti, perſpicue ab eo praedicetur. At telum hoc Graeci in Florentino non bene repulerunt. Ut ex Gennadio Teſtis eſt Bellarminus Tom. I.

XV. An VI Epiſtola D. Ignatii ad Philippenſes (1), quae quidem fertur communiter, male inter maritos collocat Paulum, quod A. Caſtro ex Anglo Codice, A. Camaldulenſi, & Viennenſi Regis Matthiae, Turrianus ex Medicaeo teſtificantur; ſic & Melchiſedech perperam inter Virgines cenſeatur. Cum enim ex communiori Patrum ſententia, ideſt Hieronymo ad Evagrium; & in

(a) Epiſtola ad Philippenſes, S. Ignatio communiter abjudicatur, quia nec ab Euſebio, qui alias recenſuit, nec ab antiquis Patribus laudatur, nec Ignatii ſtylum, & ingenium refert, nec Eccleſiae naſcentis moribus & Inſtitutis convenit. In hac epiſtola dicitur enim; *Qui cum Judaeis Paſcha celebrat, participem eſſe eorum, qui Dominum occiderunt, & Apoſtolos ejus*. Quae a S. Ignatio ſcripta eſſe nemo Sapiens ſibi perſuaſerit; ſiquidem S. Polycarpus, quo cum maxima interceſſit Ignatio familiaritas, & Aſiaticae omnes Eccleſiae, adeoque & ipſe (ut credere par eſt) Ignatius, Paſcha eodem cum Judaeis die celebrabant. Nec ab Aniceto Romano Pontifice adduci potuit Sanctus Polycarpus, ut morem illum deponeret, quem illas Eccleſias a S. Joanne accepiſſe contendebat. An autem quaeſo Ignatius participem exiſtimaſſet, vel ſcripſiſſet Polycarpum eorum, qui Dominum occiderunt, & Apoſtolos ejus? In eadem epiſtola ſcribitur; *Chriſti interfectorem eſſe, qui Sabatum uno excepto jejunaverit*. Quod convincitur erroris ex Eccleſiae Romanae conſuetudine, & ex S. Auguſtino epiſt. LXXXVI. Conſule auctores, qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis tractarunt.

(1) Ad marginem ſcribebat hoc in loco Soria,, Depravatam fuiſſe Epiſtolam ad Trallenſes alicubi notas.

& in Traditionibus ad Geneſ. Iſidoro de Vita, & morte Prophetarum; Ruperto; Gloſſa; & aliorum ideſt Rabbinorum, hic fuerit Semus Noe filius, a quo genus haebreorum populus ducit, certe ſine miraculo Virginem permanſiſſe non dicam. Accedit, quod Hieronymus Prima contra Jovinianum; & Damaſus IV Fidei, Cap. XXV, cum alios, quos Ignatius Virgines docet, agnoſcant, unum Melchiſedech praetermiſiſſe videntur. Quod, ſi Epiphanius Melchiſedechanos confutans, negat Sem ipſum fuiſſe; quippe qui tempore Abrahae eſſet jam mortuus; ſecutus eſt ille depravatam Septuaginta Interpretum ſupputationem, de qua late Sixtus, & Pererius noſter; nam juxta eam, quam veriſſimam injit Vulgatus Geneſeos XV, Semus ſuperſtes, probatur fuiſſe Abrahae annis quinque ſupra triginta. Tu vero Tom. II Annalium, ni fallor, ſecutus Epiphanium, aliter ſenſiſſe videris. Et certe, doctiſſime Caeſar, magnopere optarem, ut vulgatae noſtrae plus deferres. Video enim te Bedae, ac Theodori de Carcere Cicizeno ſententiam praeelegiſſe, nec textus noſtri fidem magnopere curaſſe; nil enim moror Graeca vel Syriaca; in quo maris expreſſa mentio reperitur; nec Eccleſiae orationes meminiſse, quae habet, Paulum a Domino de profundo pelagi liberatum. Quamquam enim apud Job VII, Mare carcerem dictum video, non vero carcerem aliquem mare. Tu haec pro tua humanitate libenter accipias. Et ſi cum Beda videatur conſentire Theophilactus, quem etiam vide in proaemio Lucae, ubi tecum concordat in aſſignando Theophilo.

XVI. Ut maxime gratum fuit videre Tom. III Annalium Oſii Cordubenſis a calumnia impoſtoris defenſionem, (a) & Agrippinenſis Epaphram ab haereſi vindicati; quamquam in Servatio ad XIII Maii, & Donatiano XIV Octobris hoc ipſum Concilium, quod rejicis in Annalibus, probare, & ſtabilire videris, cui & ex hiſtoria Servatii ipſius fidem Surius Tomo I conciliat; quamquam bene eum rejicis; ita id peracerbum fuit, quod, ut Marcellinum Pontificem ab eadem aſeras calumnia, Concilium Sinveſsanae Cryptae confictum ſimiliter dicas. Certe Romanum ipſum Breviarium, cujus eſt ſumma in Eccleſia auctoritas, & Nicolaus I, Epiſtola ad Michaelem Imperatorem, quem imitati ſunt praeter Gratianum, Burchardus, & S. Anſelmus Lucenſis, eam hiſtoriam interpretantur quidem, non rejiciunt a ſerio Lectore. Addo ſimiliter, quod Epiſtolis Marci Papae abnegas fidem, quas Piſa-

(a) Vide Adnotationem in epiſtola XXXVII. litt. (c) pag. 172.

Piſanus noſter ad Concilium Nicaenum ex Stephano Papa ; & Concilio Florentino ſibi defendendas putavit, ut omittam Sanderum in Monarchia. Quod vero Concilium Nicaenum Eliberinum, auctoritate Innocentii I. ductus, multo antequam coactum fuerit, collocaveris; contigit enim anno Domini 324, hoc eſt Aerae 362; ut è vetuſto Concilii volumine Bibliothecae Regiae, teſtatur Morales, probari certe poſſit; ſed minus quam id, quod de Canone illo de non depingendis imaginibus; id enim luculenter admodum in Annalibus praeſtitiſti.

XVII. Quod Severi Barchinonenſis nomen adſcriptum haud repereris in aliquo Toletano Concilio, nil mirum. Utraque enim editio Colonienſium, ac Venetorum noviſſima id omiſerunt in IV. Habetur autem in antiquiſſimo, quem dixi Codice Conciliorum, qui unus fuit, ut exiſtimo eorum, ad quorum fidem correctus eſt Gratianus a Gregorio. Ex eo ergo protulit ſubſcriptiones Morales, & Lib. XII, Cap. XIX, dum ſubſcriptiones IV Toletani expreſſit, ſic ad finem habet; Severi Barchinonenſis Epiſcopi Vicarius Joannes presbyter ſubſcripſi. Pro quo male aliae editiones Eſebii, vel Euſebii retulerunt. Quae lectio vel inde certe falſitatis arguitur, quod Euſebius Barchinonenſis, quem dicunt, Siſebuto auctore, fuerat a Sede dejectus, quod aliquando Theatricis ludis Epiſcopus interfuiſset, ut ex ejuſdem Siſebuti Epiſtola docet Morales Cap. XIII. Tantus fuit Regis pientiſſimi pro conſervanda Eccleſiaſtica diſciplina ardor, & zelus. Qui etiam, Ambroſius Cap. LIII, Julium pro Juliano tecum reponit ad Martii VIII diem notatione b. Quod vero Molanus ſcripſit, fuiſse Severum hunc e numero ſeptuaginta Epiſcoporum, qui leges in Concilio Gothis ediderunt, incidit haud dubie in aliquem Hiſpanum Scriptorem, qui id literis mandarit. Conſtans enim, & certa eſt apud noſtrates ea ſententia, ut credant, illud nobile Legum Hiſpanicarum Volumen, quod Judicum Forum appellant *Hiſpane fuero ivæjo*, Siſenandi tempore a ſeptuaginta Epiſcopis, qui praedicto IV Concilio intererit eſſe Publico datum, Regis auctoritate munitum. Quod Morales, & Mariana in Cronico docent. Quamquam addant & illud, ultimam manum huic operi impoſitam non ante tempora Egicae Regis, qui XVI Toletanum Concilium cogendum curavit anno 693; ſic ille Lib. XII Cap. LXI; & Mariana Lib. VI Cap. V. Quare, quod quidam ſuſpicantur hunc Epiſcopum martyrem fuiſſe, Morales refutat Lib. X, Cap. IV, e Tabulis Barchinonenſis

Ec-

Eccleſiae; quem & Villegas in Flore Sanctorum ſecutus eſt, agens de Severo; praeſertim cum nullus de Epiſcopi hujus martyrio mentionem habuerit. Igitur nomen dedit anſam errori, quem Martyris dignitas, & temporis diſtantia pellit. Mirorque te de Severo Martyre ſub Diocletiano in Annalibus nil ſcripſiſſe. An vero in Plantiniano Martyrologio aliquid addideris, inexploratum habeo.

XVIII. Deſiderii Epiſcopi Sanctiſſimi Martyris vitam ſcriptam adhuc extare, & quidem a praedicto Rege Siſebuto, qui tunc vivebat. Aſſervatur illa in Complutenſi Bibliotheca, charactere Longobardico exarata ante annos 600. Sic Morales Lib. XII, Cap. XII, & XIII. In ea multa contra Brunichildem Reginam, quae eum ad martyrium obeundum adegit. Etſi Mariana Lib. V, Cap. X, & Lib. VI, Cap. III, non a Rege hoc, ſed a Siſebuto, neſcio qua aetate & auctoritate, illo multo inferiori, ſentiat ſcriptam. Sed Moralis credo veriorem ſententiam. Noſter enim quo Brunichildem vindicet ab hoc ſcelere, & infando facinore, utrumque Gregorium advocat Turonenſem, & Romanum, detrahitque ei hiſtoriae fidem, rejecta in Theodoricum, Burgundiorum Regem, totam hujus fabulae culpam. In qua re tuam exopto ſententiam. Ut autem huic abnegat fidem, ſic illi accommodat, quam de Leocadia hiſtoriam ab Epiſcopo Braulio deſcriptam, retulit Lib. IV, Cap. XIII, quam video probari in eo opere, quod anno praeterito de Vita, & Translationibus Reliquiarum Leocadiae edidit noſter Michael Ferdinandus. Ubi & carmine heroico videas eam ſcriptam. Simile poema in laudem S. Ermenegildi elaboravit Ambroſius. Habes illud ad fin. XII Libri, praeter illa, quae in Chronico de eodem eſt admodum praeclare proſecutus, qui & de SS. Juſto, & Paſtore juſtum volumen ſcripſit.

XIX. Ex Epiſtola S. Leonis IX ad Michaelem, & Leonem tria colligo, quae novitatem videntur praeferre. Primum Cap. XVII de Chriſto agens; *Inſtante*, inquit, *jam ſuae aſſumptionis gloria, ubi prandebat cum ſeptem diſcipulis ſuis, Dominus amorem erga ſe Petri tertio requiſivit*. Quod nullus adhuc expreſſit. Secundum, Cap. XVIII, de Umbra Petri, quae aegris ſanitatem importabat, ſcribit in hunc modum „ Ut haec „ viſibilium, & tranſiturorum Sacramentorum ſecreta virtute, „ quaſi umbra ſua morbis animarum in terra curatis, illam no„ bis adhuc inviſibilem veritatis, & beatitudinis ſolidam ſpem,

Digitized by Google

„ velut ſolidum corpus exhibeat in coelis „ En aliam tibi profert myſticam ſignificationem, ab ea quam afferebat Aratus. Tertium denique Cap. XIX, ubi Divum Petrum in ipſa ſui ſpiritus emiſſione, gregem ſuum Domino commendaſſe teſtatur his verbis „ Gratias tibi ago Paſtor bone, quia oves, quas tradidiſti „ mihi, compatiuntur mihi: Peto ergo, ut participent mecum „ de gratia tua in ſempiternum „ Qui Cap. VI rationem adducit, cur inverſo capite voluerit crucifigi. Forte Petrus, per accomodationem loquitur, ut de Chriſto Domino Juſtinus. Ambroſius, Tertullianus exponunt dixiſſe id Pſal. XXI; *Deus meus clamabo &c.* & *ſicut aqua effuſus &c.* De horum auctoritate nos monebis. Quod vero Acta Andreae, fratris Petri, (a) Thomae, & Joannis Apoſtolorum fuerint a Leucio depravata, praeter Meliti Epiſcopi epiſtolam, quam indicas Tom. I, An. 44, Cap. XL, idipſum reliquit ſcriptum S. Turibius Aſturicenſis, S. Leoni non ignotus, in Epiſtola quadam ad Epiſcopos Idacium, & Ceponium. Refert eam ex antiquo MS. Ambroſius Lib. II Cap. XXVI. Ubi egregie de apocriphis Sanctorum Apoſtolorum, quae ferebantur, hiſtoriis, ſubſcribens his quae ad ipſum Sanctiſſimus Leo Pontifex ſcripſiſſet. Utinam extaret ejus in omnes has Hiſtorias diſ-

(a) Presbyterorum ac Diaconorum Achajae Epiſtola de paſſione S. Andreae Apoſtoli, quae paulo poſt medium primi ſaeculi ab illis conſcripta creditur, tamquam ſpuria rejicitur a Philaſtrio Brixienſi, a SS. Pontificibus Innocentio, & Gelaſio hoc nomine primis. Extat haec Epiſtola apud Lippomanum, & Surium ad diem XXX Novembris. Ven. Baronius in notis Romani Martyrologii ad dictam diem XXX Novembris, & ad annum 34, num. XXXI, & 69, num. XXIV errores multos in illam irrepſiſſe aſſerit. Card. Bellarminus, ac Labbeus hanc Epiſtolam defendunt. Natalis Alexander in hiſtoria Eccleſiaſtica Tom. III, Cap. XII, Art. X, contendit, encyclicam epiſtolam de paſſione S. Andreae, cui praeſentes fuere Achajae Presbyteri, anno Chriſti 59, ad univerſas Eccleſias ab illis ſcriptam, undequaque genuinam eſſe atque ſinceram; auctoritate ductus Etherii Uxamenſis Epiſcopi, qui ſaeculo octavo exeunte ſcripſit, Remigii Antiſiodorenſis ſub fine noni Saeculi florentis, S. Petri Damiani anno 1057, Lanfranci Cantuarienſis anno 1070, S. Bernardi 1130. Verum ſi acta S. Andreae primi ſaeculi genuinus eſſent foetus, illorum Auctores eccleſiaſtici octo priorum ſaeculorum interdum meminiſſent, ac citaſſent interdum Concilia, aut Pontifices, Euſebius, Hieronymus aliive. At vero nullus acta illa ante octavum ſaeculum ne nominavit quidem. igitur nulla fides adhibenda iis eſt, qui propria ipſi auctoritate tantum de re geſta ſeptingentis, vel mille ante ſe natos annis ſententiam proferunt. Communi eruditorum judicio tota horum actorum compages multis in locis interpolata cenſetur; quum in illis Apoſtolicis temporibus inveniantur minime convenientia, & a ſimplicitate primorum ſaeculorum aliena. In illorum praefatione accurata SS. Trinitatis explicatio legitur, de Spiritus Sancti proceſſione, & de Filii una cum Patre *conſubſtantialitate* hiſce verbis; *hoc eſſe unigenitum Filium, quod eſt & ille, qui genuit*. Quae omnia poſterioribus ſaeculis agitari coeperunt. Quis non miratur, univerſam Achajae provinciam Patras veniſſe, ut in Proconſulis necem conſpiraret, & S. Apoſtolum liberaret? Demum in illis quis non admiratur formam inſcriptionis novam & ſingularem: Ab Univerſis Eccleſiis, quae ſunt in Oriente, & Occidente, & Meridiano, & Septentrione,

diſquiſitio, quam ad finem promittit. Poſſent certe, hoc quaſi ligone, ruderari putei Vitae a Paleſthinis ſerio ſtudioſeque obſtructi. Ibidem meminit memoriae Apoſtolorum Libri blaſphemiſſimi.

XX. Quod Hiſpanis noſtris Aerae rationem aliquando tandem oſtenderis, & explicaris, gratulabuntur, & merito. Sed duo in primis difficultatem afferre videntur. Primum quod *Aeram* ab *aere* dictam putes cum Iſidoro. Nam hac ratione *Aerea* potius dicendum eſſet, non *Aera*. Praeſertim cum nomen Barbarum potius ſit, quam latinum, ut ex Theſauro linguae latinae habetur. Con. certe Lucilium, Ciceronem, Plautum exponit de *Aeris* minutis, & rationariis; quale illud eſt Horatii I Epiſtola VII, Quid diſtant Aera Lupinis: de quo ex Mureto, Turnebo Lib. XXIX, pluralis certe numeri, & neutrius ſunt, non foemini; & Lambinus. Accedit, quod inſcriptiones antiquae, etiam ante 1100 annos, lapidibus adjectae, per ſimplex E, habent hoc nomen ſcriptum. Et MSS. Libri in Hiſpania omnium antiquiſſimi eamdem rationem ſcribendi obſervarunt. Ac denique a noſtris non pro *Aerea* penſitatione magis, quam pro quacunque rerum ſupputatione uſurpatur (*a*). Secundum vero, & difficilius, quod a direpta, ſuperataque Provincia, noſtros homines numerandi rationem injiſſe dicas, ideſt a re omnibus peracerba, quaeque non parum dedecoris, & ignominiae importabat. Quis vero unquam expilationem Urbis appellavit Urbis tributum, quiſ-

 ve

(*a*) *Aerae*, ſeu *Herae* nomen a vocabulo *Aera* numerum, computum, ſeu ſupputationem innuit. Rufus Feſtus in Breviario Romano. „ Morem ſecutus calculonum; qui ingentes „ ſummas aeris brevioribus exprimunt, res „ geſtas ſignabo, non eloquar „ Fauſtus Rejenſis Lib. I de Spiritu Sancto „ Sacer nume„ rus dicimus, quia trecenti in aera, ſive „ ſupputatione ſignum Crucis &c „. Bernardus Presbyter de Reconcil. Lapſ. pag. 272 I „ Notandum quoque quia era nonnunquam „ abuſive pro capitulo ponitur, ut in illo ſcri„ pto Toletani Concilii, ubi de ordine tenen„ dae Synodi tractatur. Contendunt alii originem trahere nomen *Aerae* ab antiquis compendioſis ſcriptionibus A.ER.A. nempe *Annus erat Auguſti*. In Codice antiquorum Canonum in Bibliotheca Thuana aſſervato, in ſectiones, vel capita diviſo, quae *herae* appellantur; ubi interdum HR. per contractionem ſcribitur. Ita etiam in veteri forma celebrandi Concilii provincialis apud Mabillonium Conciliorum Canones per *heras* laudantur pag. 453, & 459. Fauſtus Rejenſis vel Regienſis Epiſt. VI. „ Per „ Crucis enim ſignum, & per ſacrum Jeſu „ nomen apud Graecos hera utriuſque ſup„ putationis imprimitur „. Capitula ad Legem Alamannor. Cap. XXVII edit. St. Balnetii: „ Si litus fuerit in Eccleſia, & in he„ ris generationis dimiſſus fuerit, 13 ſol. & „ tremiſſo componat „. Ubi *hera generationis* videtur appellari ſeries ipſa generationis, ut tam ipſe, quam filii, & nepotes libertatem conſequuti fuerint. In Eccleſia vero manumiſſus litus intelligitur. *Aerae* dierum pro numero dierum apud Hildericum. *Aera* vel *Hera* annos numerandi Hiſpanis olim familiaris, dein in totam Europam haec vox *Aera* traducta fuit. *Aera Chriſtiana*, qua numerantur anni a Chriſto nato, ſuam inſtitutionem agnoſcit a Dionyſio Exiguo, qui, Diocletiani Epocha Edicto introducta, & annis Actiacis ſubrogata, rejecta atque abolita, Cyclos ſuos Paſchales annis a Chriſti Incarnatione praenotatis tradidit. In hanc Dionyſii Epocham a Nativitate Chriſti omnes conveniunt; de anno autem quo Dominus natus ſit, inter eruditos minime convenit,

ve ab infauſto omine ducat numerandi principium. Sed vide, oro, Caeſar eruditiſſime, num noſtra haec qualis qualis conjectura probanda tibi videatur. Equidem exiſtimo, voluiſſe illos veteres Hiſpanos ſingulare illud beneficium, quod in P. Cornelium Balbum collatum fuit, ſempiterna grati animi recordatione celebrare, quod tale tantumque fuit, ut nulli unquam exterorum hominum, niſi Hiſpano Conſuli contigiſſet. Dices. Is conſulatus in finem Anni 713 incidit, ut teſtis eſt Dio; neque idcirco conſul fuit Ordinarius, ſed ſuffectus. At Plinius Lib.V; & Vellejus hoc beneficium non leviter praetereundum ſibi putabant. Aliud Plinii teſtimonium vide apud Sigonium anno..... Ab hujus ergo anni Conſule Hiſpano initium duxit Erae nomen, vel ab anno ſequenti, quando praeclarus de ea re apud Hiſpanos rumor caepit ſpargi. A quo uſque ad Annum 752 ab V.C. fluunt ut vides octo ſupra triginta. Favet is, quod Haebrei ab unctione David in Regem, Graeci ab Alexandri imperio annos ſuos numerabant. Quin &, ut quidam cenſent, Indictiones a Victoria Conſtantini initium acceperunt. Onuphrius. Tu contra.

XXI. Lydiae illius purpurariae munus non tam nobile fuiſſe, quam fuit Dorothei Viri clariſſimi, & tingendae purpurae praefecti, & illorum, quorum indemnitati conſuluit S. Parthenius Epiſcopus Lipſacenus, doemone tincturam impediente procul depulſo; ſed potius ignobile, & abjectum; praeter quam quod id aſſeverat Chryſoſtomus in acta Homilia XXXV; ratio ipſa nominis ſuadet. Lucas enim eam non πορφυρόβαπτιν ideſt purpurae infectricem, ſed πορφυροπώλιν fuiſſe ſcribit. Quod nomen Chryſoſtomi, & Oecumenii interpres; addo Tyrum, & Pagninum; purpurae vertunt venditricem, non praefectam. Fuiſſe autem apud Lydos; in quorum provincia Thiatyra Urbs ſita fuit, teſtibus Ptolomeo, & Stephano, frequentiſſimum vendendae uſum purpurae; teſtatur Athenaeus Lib. XII Dimnoſoph. ex Xenophanis, ac Theopompi ſententia; quod teſtimonium praeſentem hiſtoriam maxime illuſtrat. Neque hujuſmodi venditoribus deſuere privilegia etiam Conſtantini tempore, ut conſtat ex lege Negotiantes Cod. de Excuſat. muner. Lib. X. Quod ibi Purpurarios appellat, ut ſentiunt Doctores; & ea quae ex Plutar. praeferunt Annales Tom.I, An. Chriſti 34, Cap. LXXVIII; non purpurae leges, & piſcatores, quod Rhodiginus affirmavit. Et licet hoc is male, illud autem perbelle ſcripſit, quod Zenobiae tuae fidei ac religioni

ligioni adſtipulatur ; eam nimirum Romae prope Tybur , in Zenobiis agris , ubi viſebatur Conchae locus , vixiſſe , atque Matronarum jure Romae gaviſam . Id unde ſumpſerit ignoro . De qua ann. 274. Mirum vero Fulvium noſtrum nil de ejus fide in Tibure ſuo egiſſe . Gratulor equidem quod hanc Chriſto Domino reginam adduxeris , ut & primo tomo Helenam Adiabenorum.

XXII. Qua ratione in Martyrologio ad Julii XXVI , & in Apparatu , Cap. XXXIV , & alibi de Virginis moribus , gratiaque diſputans , haud diſtinxeris inter Epiphanios Cyprium , & Conſtantinopolitanum ; qui Mariae vitam ex Patribus ſcripſit , habeturque is Liber Tom. VII Bibliothecae Sacrae . Ille certe Epiſcopus , hic presbyter fuit , ac diverſi longa temporum , & locorum diſtantia . Scio , Nicephororum Lib. VII Hiſtor. Cap. XXVII , nequaquam eos diſtinxiſſe . Caniſius tamen Lib.I, Cap.XIII; & Turrianus contra Magdeburgenſes ſcribens , unum ab altero notatis coloribus diſcriminandum putarunt . Quin & XXII Aprilis , & Annalium Tom. II ſcribis , Hippolyti illius Portuenſis recordari Gelaſium I in eo opere , quod contra Euthicianos elucubravit . At id volumen , ſi tamen voluminis nomen meretur exiguus libellus, non Gelaſio I , ſed Caeſarienſi , ut partum ſupponunt Claud. Santeſius Lib. de Euchariſtia , ac Bellarminus noſter Lib. IV , de Pontif. Cap. X , ac Lib. II de Euchariſtia Cap. XXVII , verſus finem . Quibus in locis ejus Libri teſtimoniis non aliter reſpondet , quam negando Gelaſianum laudatiſſimum opus id habere . Cujus rei non leves attuliſti conjecturas , & rationes . Januarii etenim I die dicis , Fulgentium quemdam in Hiſpania , videlicet tempore Eringii regis floruiſſe . Quod vix credibile videtur . Nam ſi de Aſtigitano ſermo eſt , reperitur is ſubſcripſiſſe Concilio Hiſpalenſi II , cui ejus frater praefuit Iſidorus ; quantumvis Veneta editio eum in ſubſcriptione omiſerit . Nam ex initio ejus , ac ex Capite II , quod retulit Gratianus cap. Inter memoratos XVI , quaeſt. III erroris convincitur . Tempore autem Eringii Regis Aſtigitanus Epiſcopus Theodulphus ſubſcripſit in Concilio ; ut ex MSS. correctioribus probat Ambroſius , ut omittam quod a te IV Aprilis probari video eam ſententiam , quae Fulgentium fratrem facit Iſidori , atque Leandri , qui multo ante Eringii tempora floruerunt . Cujus rei apud noſtrates eſt certa , ac recepta traditio .

XXIII. Quo mortis genere affecta fuerit Salomona illa Machabaeorum parens digniſſima . Nazianzenus namque oratione ....

Ro-

Rogo, inquit, *periit* (*a*). Ambroſius Lib. de Jacob Patriarcha neci tantum datam docet. Marius Victorinus prae gaudio, quod aliquando contingit (*b*), canit expiraſſe, cui videtur favere Divus Baſilius oratione de Morte; quam Voſſius ille tuus cum Ephraem Operibus latinis legendam dedit. *Nec lacrymis*, inquit, *aut luctui ſe tradidit*, *neque vocem emiſit muliebrem*, *ſed Deo egit gratias &c.* Latina editio, & Graecus textus conſumptam tantum ſcribunt. Joſephum ad Polybium de hac re ſcribentem, quem Commentarium ipſe etiam Nazianzenus agnovit, videre non licuit. Aveo & illud ſcire, qui fuerint Nyctazontes illi haeretici, quorum ex Iſidoro meminit Aquiſgranenſe Concilium CXXX; & Rabbanus de Off. Lib. II. Cap. IX.

XXIV. Quam fidem mereatur quod Thomas, Anſelmus, & Interlinearis ſcribunt, Paulum nimirum Apoſtolum balbum, & ad loquendum nimis ineptum fuiſſe? Id enim neque Syri, nec Graeci agnoſcunt Codices, in id ſecundae Corin. 11; licet imperitus ſermone; ſed non ſcientia; neque ullus hiſtoricorum, interpretumve graecorum notavit. Conjectura, ni fallor, rem attigiſſe videor; nimirum hi pro imperitus ſermone, impeditus legerunt, indeque error promanavit. Nam alioqui Spermologum ideſt feminiverbium ob inſignem viri eloquentiam, ut Lucas refert, eum quidam appellarunt. Moyſem jure ac merito Balbum fuiſſe docet Cyrillus in Homilia ad Concilium Epheſinum, quo tunc notus in Judea Deus. At Apoſtolus tuba Evangelii, cymbalum mundi, cujuſque ſonus in omnem terram exiturus erat, par eſſet perſpicue, ac clare loqui &c. non exili voce, linguaque tardiore. Gracilentae, exiliſque vocis Moyſis meminit etiam Chriſoſtomus Iſaiae VI, & Hieronymus. Sic enim Septuaginta reddiderunt. Et ut ad alium Paulum veniamus. De eo, & Antonio Abbate meminit Nazianzenus praeceptor Hieronymi (*c*). Aperte

(*a*) Auctore Joſepho Macchabaeorum Mater in latina verſione Libri de Machabaeis *Salomonis Mater* vocatur. In Menologio Graeci *Salomen* nominant. Gorionides Annam; S. Thomas Machabaeam. Joſephus in Libr. de Macchab. juxta Graecum Textum nullo eam nomine appellat. Narrat hoc tantum, ipſam ſe, ne quo ab homine tangeretur, in accenſam pyram injeciſſe. Gorionides, & Arabs credunt, filiis necatis, illam ante eorum corpora Deum rogaſſe manibus elatis, ut ipſam ex hoc mundo eriperet, & vix peracta prece objiſſe. Alii contendunt laetitia deceſſiſſe propter ſeptem liberorum conſtantiam in martyrio ſubeundo. Poſt latinum Interpretem Joſephi de Macchabaeis plerique cenſent, poſt filiorum mortem martyrio affectam fuiſſe, diſcerptis mammillis, caeſamque virgis in ferventem ahenum periiſſe.

(*b*) Ad marginem hujus loci ſcribebat Soria „ Quod ſi ſaepe eveniſſe videmus, matres praefelicis partus laetitia emortuas &c. „ Theodotus Heb. 11, ibi diſtenti ſunt, ait, „ eam hoc mortis genere vitam finiſſe; quod „ tamen varie exponitur vide num. 34.

(*c*) Haec a Soria in margine Epiſtolae exarabantur. „ Hieronymus Epiſtola XXVII, columnas vocans Macarios, Arſenios, Serap. Ba-

te quidem , & expreſſo ejus nomine de laude Virginitatis ſic canens

Quis non Coelipetae robur mirabile Pauli ,
Atque omnes alios , quorum clariſſima virtus
Vel prius illuxit , vel noſtro tempore fulget ,
Praeſidium fidei , plebis columen , decus orbis ,
Suſpiciat .

Loquitur autem de primis eremi cultoribus . Tacito autem in carmine ad Hellengum pro Monachis . Sic enim ibi .

Eſt etiam in ſacris , qui totos aedibus annos
Conſtiterit fundens vota , preceſque Deo ;
Nec (quod vix credas) claudebat lumina ſomno ,
Sed lapis , ut vivus in prece fixus erat .
Huicque cibi reliquum donabat Corvus : at ambos
Fructum unum tantum quod relevaret , erat (a) .

Quamquam Bellarminus II de Monachis , Cap. XXXIX alii cuipiam id tribuat .

XXV. Quis fuerit Abdala ille Hiſpaniae Rex Sarracenus, de quo Trithemius de Viris Illuſtribus , Antonius in Hiſtoria , & Gordianus in Paſſione SS. Placidi & Sociorum . Cum enim horum martyrium in Theudis Gotthorum Regis tempora inciderit ; hoc eſt in annum 540 , quo Conſulum ſeries , ordoque defecit ; non video qua ratione Abdalae Sarraceno ſit locus . Praeſertim cum nec Iſidorus , nec Procopius , qui de Theudi ſcripſit , ac eo tempore vivebat , de Abdala Rege meminerint . Equidem in hac re illud ſe offerebat . Primo . Hunc forte fuiſſe Alamundari Sarraceni ſocium , qui dum per Paleſthinae monaſteria graſſaretur , hic etiam Sicula infeſtaret . Nomen enim Abdalae tunc temporis celebre erat apud Sarracenos Orientales , quod & Mahometis pater Abdalae nomine perſpicuum reddit ; ſed multo magis confirmatur hoc ex nominibus illis Moloth , & Reſphan . Sic enim vel Sydera , vel Idola ſua appellabant . Ea enim deſumpta videntur a Judaeis ex Amos Cap. V , ubi Remig. Altiſs. poſt Hieronymum , & Irenaeum Lib. IV Cap. XXIX , de exercitibus caeli id intelligentes , ibi plane confitentur eſſe nomina idolorum , quae a Sarracenis tunc temporis colebantur . Potuerunt enim ea a Judaeis ipſis mutuo accipere . Idipſum confirmat Oecumenius ad Act. VII , ubi haec nomina dicit eſſe Veneris ſtellae propria ,

Baſilius autem ſerm. II , de Monaſt. Inſtit. ſublime , & excellens vitae genus appellat .

(a) Ad marginem hanc appoſuit Soria adnotationem „ Melius vertiſſet tantum unus fru„ ctus quiſque „ .

pria, atque Luciferi. Cui ſuffragatur Damaſus de Haereſ. in Sarracenis, qui eam Stellam a Sarracenis cultam adſtruit uſque ad Heraclii tempora, & aetatem Mahometis. Adde Nilum id ipſum teſtantem apud Surium, Januarii XIV de Interemptione Patrum, qui erant in Sina, & Rhaiti regione. Idem autem aſtrum eſſe quod vocatur Veſper matutinus, & nocturnus perbelle Anno 34. Itaque hoc primum conſtitutum eſto. Secundum vero videri multo verius nomen Abdalae, & Hiſpaniae ex alterius direptionis tempore, & narratione in hanc hiſtoriam irrepſiſſe, & quidem ab aliquo, qui vixerit poſt tertium a Gordiano ſaeculum. Nam tempore Joannis VIII, & Leonis IV Mauri Hiſpanienſes in Italiam, varias incurſiones feciſſe, teſtis eſt Anaſtaſius Bibliothecarius, Urſpergenſis, & Sigebutus in Chronicis. Contigitque tunc mirabilis illa Sabae Mauri ſubmerſio, qua univerſa ejus claſſis deperiit. Et poſt haec tempora Abdala in Hiſpania regnabat; id eſt circa annum Domini 890. Haec autem non parum juvat, quod Joannes VIII ad Regem Hiſpaniae Alphonſum cognomento magnum duas epiſtolas ſcripſit (erunt forte in ejus Regiſtro), in quibus perſecutionis, qua premebatur Italia, totam refert narrationem, & a Rege implorat auxilium. Refert Morales ex Sampiro hiſtorico Lib. XV, Cap. XX.

XXVI. Datam hoc ipſo anno luci hiſtoriam de Hiſpaniae excidio, Arabice primum ſcriptam a Tariſio Arabe, qui praeſens adfuit, extat in Regia apud Sanctum Laurentium Bibliotheca. In ejus I Part. Cap. II, prius inveni tres Sanctos Martyres Cordubenſes. Alter anonimus erat, ſed profeſſione religioſus, necatuſque ob id, quod Mahometem il Tuneti Regis filium, ut relictam Ruderici Regis uxorem poſſet nanciſci, aqua eum baptiſmali luſtraſſet. Docebat autem hunc, & Zahram Uxorem Imagines Sanctorum in occulto venerari; quamobrem & ipſi mortem non effugerunt Anno 715. Eſt Romae haec Hiſtoria apud Regis Philippi Oratorem, ut idem ipſe interpres renuntiavit mihi. Dices. At Hiſtorici Hiſpani Ruderici relictam Egilonem nominant, foeminam Gottici Stemmatis genealogia inſignem; Zahram vero genere Regio quidem, ſed gente mauram non nominant. Dico duraſse tunc temporis Witizae Schiſmatici legem, (a) qua, parum ante Rudericum, omnibus etiam ſacris hominibus quot quot voluiſsent uxores concedebat. Quam legem Regem mulieroſus in primis obſervaſse non dubito. Huic meae conjecturae fidem ſacit

(a) Hoc item in loco ad marginem exarabat Soria „ Eandem legem adſcribit Svetonius Julio Caeſari Cap. LII; quamquam Lipſius oppoſitum ſentiat ex Dige „.

facit Sanctiſſimus Martyr, ac Germanorum Apoſtolus Bonifacius in Epiſtola ad Regem Angliae, cujus bonam partem Gratianus retulit Cap. Si gens, LVI. Diſt. Tertullianus Lib. de Trinitate & Auguſtinus XVIII de Civ. Cap. XLVII. Firmum dicunt genus probationis, quod ab ipſis veritatis inimicis exhibetur.

XXVII. Cur vero obſecro in faſtis ſacris non ſunt recenſiti plurimi, quorum ſpectata Sanctitas omnibus conſtat. In his eſt Fulgentius Aſtigitanus, de quo ſupra, quemque Patronum ſibi Aſtigiatana Urbs, quondam Romanorum Colonia, veneratur, & agnoſcit. Ejus vitam caſu aliquo perditam puto; ut & Florentinae Sororis. De qua tantum extat hiſtorica quaedam concio ante 120 annos in ea Urbe habita. In ea vero aliquid e vita refertur. Sed reſarciri poteſt ea jactura ex ea hiſtoria, quam Ambroſius in Chronico ſcripſit, & ex libro quem Hiſpana lingua ſcripſit Frater Rodericus Yeppenſis doctus Hieronymianus. Sapientia autem Fulgentii, & eruditio in ejus operibus elucet. Superſunt ex iis in Pſalmos Davidis integer Commentarius, & ad Scarilam amicum de Fide incarnationis, & aliis religionis capitibus Reſponſiones ad interrogata. De his Ambroſius Lib. XII Cap. V, & Lib. XVII, Cap. ultimo. Similis expoſtulatio poſſet & fieri de Proterio Epiſcopo Alexandrino, cujus de Paſchate Librum tranſtulit, a te tam laudatus Exiguus Dioniſius. Ei enim Teſtimonium praebent Patres in Concilio Chalcedonenſi, in chorum eum Martyrum collocantes. De Doctore illo Oecumenico, & Sociis a Leone Iſauro pro veneratione Imaginum glorioſe interemptis, ut ſcribit Zonara in Annalibus. De Rudeſindo Iriae apud Hiſpanos Epiſcopo; de cujus vita praeclariſſime acta Ambroſius Libr. XVI, Capitul. XXXVI. In quam inquiri fecit Cardinalis Jacinthus Legatus Alexandri III in Hiſpania Anno Domini 1156, qui poſtea fuit Caeleſtinus eo nomine III, Bullamque Canonizationis, ut vocant, reliquit, qua ejus vitae acta a ſe collecta recenſet, ac probat. De Dominico Sarracino Martyre Cordubenſi, & Sociis, de quibus in Chronico plenius egit, quam in Eulogii notationibus, vide eum Lib. XVII, Cap. II e privilegiis, & diplomatis Regis Veremundi cognomento Podagrici. Incidit autem horum natalis in Anno 985.

XXVIII. Eugeniae Martyris Romanae, & aliorum pignora Sacra, reperta Hiſpaniae Anno 1533 in Regio Coenobio Sanctae Mariae de Naſara, cum Membrana, in qua hoc erat ſcriptum. Hic jacent Corpora Beatiſſimorum Martyrum Agricolae, & Vitalis, quae Papa miſit e Bononia Regi Garſiae, & e Ro-

ma Caput, partemque Corporis Sanctae Eugeniae, filiae Philippi, & Claudiae. Haec oculatus teſtis Ambroſius Lib. XV Cap. LIV, in quo late deſcribit vitam alterius Eugeniae Cordubenſis. Victoris item Cereſani, de quo Auguſtinus XXVI in fine...; Ambroſius late Lib. XVI Capite XIV, e tabulis Eccleſiae Burgenſis. Ejus adhuc ſacrum corpus viſitur in Oppido Bilhorado, prope eam Urbem, multiſque miraculis clarum. De eodem Mariana Lib....... Cap....... Fauſti autem, Januarii, & Martialis, Aciſoli, & aliorum ſacra oſſa reperta Cordubae Anno 1575, XXI Novembris. Te miror nil de hac inventione ſcripſiſſe, de cujus veritate conſtat non modo ex Epiſcopi Cordubenſis ſententia, & judicio Concilii Toletani noviſſimi declaratione, ſed & Gregorii XIII. Summi Pontificis probatione non obſcura. Haec omnia habes apud Ambroſium Lib. XVII, Cap.IV & ſequentibus. Quod opus ſuſpicor te non vidiſſe, cum nuſquam Ambroſius in Chronico referas, cum tamen ille tuum Martyrologium avidiſſime lectitaret, ut ad me ſcripſit, qui coram interſuit. Ego certe ſic exiſtimo ei, qui de Conciliis, Sanctiſque Hiſpanienſibus ſcripturus ſit, omnino evolvendum, e quo fere omnia ſumpſerunt Villegas, & Thaſaurus Concionatorum, aut certe qui Concilia Hiſpanienſia edidit Loyſae Anno 92.

XXIX. De Dominico Guſmanio eleganter egiſſe video Fr. Ferdinandum a Caſtillo initio ſui Chronici totius Ordinis, & Ambroſium ad finem Lib. XVII in diſcurſu de hac re (a). De transfiguratione B. Auguſtini egit eleganter Damaſcenus Orationibus in Trasfiguratione, & in Carminibus. Addo etiam Concilium quoddam Romanum ſub Vigilio, in quo de hoc myſterio actum fuiſſe indicat Turrianus ad Lib. VI, Conſtit. Cap. XIX, Notatione II. De S. Laurentio id retulit Morales Lib. IX, Cap. XLVI, dum ejus vitam latiſſime perſequitur, Romam, Bononiam, Viterbium ſub ejus eſſe tutela. Id conſtat ex Deſiderii Regis Longobardorum Epiſtola, quae Viterbii aſſervatur. Appoſuit ejus exemplum Aldus in Ortographia ſua in Feſulae, ubi contra Adrianum Papam inſtrui, ac parari militem jubet, dum pax dubia perſeverat. Poſſes hoc teſtimonium Laurentio appingere

(a) Hanc quam hic proponit Soria controverſiam, quamque jam Bolandiani exaſperarunt, ſuperioribus annis diluebat firmiſſimis monumentis petitis ab antiquitate Fr. Antoninus Bremont Dominicanae Familiae Alumnus, & Theologus Caſanateuſis in ſua Hiſtorica demonſtratione *De Guzmana ſtirpe Dominici*, Romae typis Hieronymi Mainardi; in 4; & nuperrime opera clariſſ. virorum Fr. Thomae Mariae Mamachii, Franciſci Mariae Pollidorii, Vincentii Mariae Badetti, & Hermanni Dominici Chriſtianopuli in *Annalibus Ordinis Praedicatorum* Romae ex typographia Palladis in fol. ad Ann. 1170, pag. 11, nullus eidem controverſiae relictus eſt locus.

gere, ut I Januarii, & XXIV Maii. Ejusdem XXVII de D. Ludovico Rege id video ſcripſiſſe Jovium in Elogio Saladini, vel Sifandini, quod omiſit Electov. in Hiſtoria, & Concionibus, quo tempore Galliam reveniebat, Euchariſtiam pro ſuae fidei obſide, & pignore apud Barbarum reliquiſſe, ſed ea, quam par erat adhibuiſſe, reverentia. Id certe maximam Regis Sanctiſſimi in Deum pietatem declarat. Die XXVIII Divi Auguſtini Elogia plurima recenſuit Urbinas initio ſui ex Auguſtino Milleloquii. Horum II, III, IV dictum, an veritatem contineant, avebam ſciſſe.

XXX. S. Ludgardis vitam in eo video poſſe patere calumniae, quod referat Sanctiſſimum Pontificem Innocentium eo nomine III ob tria, quae in vita admiſerat graviſſima crimina flammis purgatoriis ad finem uſque mundi traditum. Utinam tam facile eſſet eum ab hac poena in libertatem aſſerere, quam tibi fuit Severinum quendam Colonienſem vindicare. Equidem cum ejus in Pontificatu actam vitam perpendo, nihil invenio ea acerbiſſima poena dignum. In eo autem eam revelationem probandam cenſerem, quod Virginis interventum commendet, & purgatorias poenas ad praeſcriptum non alliget annorum ſpatium (a). De Pelagio Martire Cordubenſi egregie ex vetuſtis MSS. Morales Lib. XVI Cap.XI, de ejus translatione Cap. XXIX, & XXXI; Mariana Lib. VII, Cap. Ultimo, Lib. VIII. Cap. VII, & VIII. Mentio vero Pelagii revocat in mentem alium Hiſpanum Puerum non a Mauris, ſed a Judaeis crudeliter interemptum. Eum prope Toletum in Oppido, quod la Guardia dicunt, trucidatum fuiſſe ſcribunt e Quaeſitorum fidei archiviis ſupra nominatus Yepenſis, & elegantiſſimo carmine latino Hieronymus Ramirius; uterque ad Guardiolam Philippi II a ſecretis conſiliis, ejuſque oppidi Dominum ſuos libros nuncuparunt. Contigit vero martyrium Anno 1491; cum paulo ante Simon innocens paſsus eſſet in Urbe Tridentina. Nec mirum quod toties Judaei hanc carnificinam exerceant. Similia enim de his refert Caſſiodorus II Trip. Cap.XIII; Molanus XIX Aprilis; Vincentius Lib. XXX Specu. Cap. XXV, & Lib. III Cap. LIII; Emilius Lib. V de Geſtis Francorum. Sitiunt hi ſanguinem Chriſtianorum, & implere ſatagunt ſuorum parentum menſuram. Horum paſsiones Simonis martyrium confirmant.

 XXXI.

(a) Conſule hac de re Piſtorium Tom.I. Rer. Germanicar. Thom. Cantipratenſem auctorem vitae S. Lutgardis Lib. II, Cap. VII, quae vita extat apud Surium ad diem XVI Junii. Ven. Card. Bellarminum de gemitu Columbae Lib. II Cap.IX, necnon Spondanum in Annalib. ad ann. 1216 num. XIII, &c.

XXXI. Multum tibi devinctos eſſe Societatis noſtrae homines (*a*), celebrant illi, legunt tua ſcripta. In his pono Bellarminum Tom. III, Benedictum Pereirum, P. Ribadeneiram in vita P. N. Franciſci Borgiae; Franciſcum Suarez in Commentariis vitae Chriſti Domini, ad III D. Tho. Partem, ubi ſaepiſſime e tuorum Annalium penu ditiſſimo quam multa deprômit, ſed aliquando etiam diverſum opinatur; ut de latere ſiniſtro digniore in ſacris; de vino myrrato; de die Baptiſmi Chriſti; ac denique de duabus vel tribus Mariis. Probat enim unam, eandemque fuiſſe dictam Cleophae, & Alphaei uxorem, quatuorque Apoſtolorum matrem. Me autem tibi multo devinctum magis puta, ſi ad ea, quae multa propoſui, adjicere duo permittas. Primum cur Hierotheum virum ſanctiſſimum, cujuſque teſte Svida, Vitam Dionyſius ipſe deſcripſit, non dixeris, ut Graecorum plerique, Hiſpanum fuiſſe. Quod aſſerere non dubitant Ambroſius Villegas & alii. Secundum vero, an cereae agni imagines, quarum initium Andreas Fruſius noſter in egregio poemate ad Gregorium uſque retulerat, ulterius etiam extendi poſſit (*b*). Eſt enim quidam apud Hiſpanos eruditus Auctor, qui ſcri-

(*a*) Appoſuerat hic Soria ad marginem „ Commendas Societatem ſaepe. Dic „ de Collegio Anglicano apud Hiſpalim, & „ Valles.

(*b*) *Agnus Dei* ſunt quaedam cereae Imagines rotundae, In quibus figura *Agni* impreſſa eſt, Inde hoc nomine appellantur. In illorum conſecratione adhibetur aqua benedicta, aquae balſamum miſcetur, Chriſma ſuperinfunditur, preceſque a Summo Pontifice recitantur. Horum uſum virtutemque profert Sixtus V in litteris Apoſtolicis in forma Brevis datis anno 1586 ad Sereniſſ. Paſchalem Ciconiam Ducem Venetiarum. Multa de his habentur apud Onuphrium Panvinium in Lib. de Baptiſ. paſchal. & orig. conſecrandi Agnos Dei; Suareſium Epiſc. Vaſionenſem in ſimili tractatu Cap. XIII, pag. 157; Theophilum Raynaudum operum Tom. X a pag. 373 ad pag. 400. Porro extat apud praelaudatum Suareſium pag. 178 Epiſtola Card. Valerii Epiſc. Veronenſis ad Gregorium XIV de Benedictione Agnorum. Quod attinet ad *Agnorum* cereorum originem, In ea ſtatuenda minime inter ſe Eruditi conveniunt. Lorinus in Cap. VIII, Act. 31 ad 32 illorum inſtitutionem refert ad S. Jo. Chryſoſtomi tempora, idque auctoritate illius Patris adductus, relata a S. Theodoro Studita Lib. II Epiſt. VIII. „ Vox Chryſoſtomi eſt „ *Ego ex cera fuſam amo picturam, pietatis ergo factam. Vidi enim Angelum in Imagine Barbarorum copias in fugam vertentem*. Verum verba haec nihil conferunt ad rem de qua agitur. Si extabant cereae imagines Chryſoſtomi aetate, non ſequitur illas fuiſſe benedictos *Agnos*. Molanus Orat. de Agno Cap. VI, & VVidmanſtadin in praefat. ad Teſt. Syr. autumant ex Agnis lapideis inſculptis in S. Petri Baſilica a Conſtantino aedificata Agnorum inſtitutionem morem obtinuiſſe. Sed magnum diſcrimen intercedit inter Agnos lapideos & *Agnos cereos* ſuperius explicata ratione a Summo Pontifice ſolemniter efformatos. Panvinius laudatus de Origine conſecran. Agn. Dei credit *Agnorum* uſum a Romanis Pontificibus inductum ad retinendam memoriam ſolemnis Baptiſmi, qui primis Eccleſiae ſaeculis ſolo Paſchae & Pentecoſtes tempore peragebatur, ideoque eamdem conſuetudinem non invaluiſſe ante Saeculum IX; quo fere ſaeculo deſiit ſolemnis ille baptiſmus celebrari. Cardinalis Valerius refert *Agnorum* benedictionem ad initium Saeculi V; quum memoriae proditum ſit apud nonnullos auctores in Vaticana Eccleſia effoſſum fuiſſe Sepul-

ſcripſit ejuſmodi Orbiculos initio naſcentis Eccleſiae dari ſolitos his, quibus certis ex cauſis jure Euchariſtia negaretur. Quod ut pie dictum ſit, ſic ejus fundamentum requiro. De alio autem ejusdem Sanctiſſimi Pontificis laudabili inſtituto, de quo Martyrologium ad I Auguſti, mittenda inquam clavi aurea &c. Scribit Turrianus in Clementinis Notationibus, non tantum pro munimine, & tutela, ſed pro ſigno condonationis peccatorum mitti conſuevíſſe, ut modo Cruciata Diplomata mittuntur ab Urbe.

Jam

pulchrum marmoreum, in quo conditi erant cineres Mariae Auguſtae Conjugis Honorii Imperatoris, & Stiliconis Filiae, qui ante medium ſaeculum V obierunt, & praeter caetera ornamenta in eodem tumulo inventam fuiſſe *Agni* imaginem cum hac inſcriptione; MARIA NOSTRA OMNIUM PULCHERRIMA; unde Munſterus in Coſmographia teſtatur, viros eruditos poſt diligens examen judicium protuliſſe, eam Agnum benedictum noſtris ſimilem denotaſſe. Raynaudus vero Tom. X de Agno cereo Cap. XIII contendit imaginem illam fuiſſe auream non ceream. Quis enim credat cereae imagini tot ceremoniis eccleſiaſticis conſecratae Inſcriptionem profanam appoſitam fuiſſe, aut certe nihil congruentem Imagini ſacro Chriſmate benedictae tot ſolemnitatibus a Pontificibus conſtitutis? Vide etiam hac de re Surium in Hiſt. 1543. Ex benedictione Cerei Paſchalis Ennodius putat decerptas inde a fidelibus fuiſſe particulas contra procellas. Unde nonnulli *Agnorum Dei* cereorum originem ducunt, de quibus Amalarius Lib. I de Divinis officiis Cap. XVII; Libellus Romanus narrat Sabbatho Sancto benedici ceram oleo mixtam, indeque fieri *Agnos*, eoſque ſervari uſque ad diem octavum poſt Paſcha. Idem ſcribit Alcuinus Lib. de Divin. offic. tit. de Sab. Sancto Paſchae; praeſcribiturque id etiam in Ordine Romano; quibus adſtipulatur Durandus in Lib. VI Cap. LXXIX, ubi ſic loquitur „ Hac „ die Acolithi Romanae Eccleſiae faciunt „ Agnos de cera nova benedicta, vel de cera Cerei paſchalis anni praecedentis admixto Chriſmate, qui in Sabbato in albis „ in Eccleſiis per Dominum Papam populis „ diſtribuuntur „. Sane ſecundum conſuetudinem Cereus diſtribuitur in octava Populo ad ſuffumigandas domos, ut ſcilicet innueretur, quod in ultima reſurrectione Chriſtus fidelibus in praemium tribuet; atque ad id expreſſius ſignificandum Romana Eccleſia *Agnos* fecit ſupradictos, Ita Benedictus XIV, aeternae memoriae Pont. Max. in opere de Canoniz. Sanct. Part. I, Lib. II, Cap. V, num. 11 & 12; Du-Cange in Gloſſario verbo *Agnus Dei*. Auctorem hujus Inſtitutionis Zoſimum Pontificem agnoſcunt Scriptores multi, alii autem non pauci inſtauratorem hujus inſtituti eum faciunt. Exploratum tamen eſt, hanc benedictionem viguiſſe ſaeculo V; ſiquidem *Agni* ea aetate perficiebantur ex Cerei Paſchalis reliquiis, cujus benedictionem ea aetate in morem poſitam fuiſſe conſtat. Illud etiam ferunt gravis ſanctoritatis Scriptores, Sanctum ſcilicet Gregorium Pontificem dono miſiſſe duos ex his *Agnis benedictis* ad Regem Aigulphum. Porro Torrigius in Cryptis Vat. Scortia in Theorem. Lorinus in Act. Cap. VIII verſ. 32; Fruſius Carm. de *Agno Dei* tradunt Leonem III Carolo Magno unum Agnum dediſſe. Fortunatus autem de Eccleſ. off. Lib. IX, Cap. XVII, ſermonem habet de Agnorum benedictione, tamquam de re vetuſtiſſima „ Quando Agnum de cera videmus, Agnus praeſignatus, & in Paſcha immolatus ad memoriam reducitur, cui Sanctus Gregorius „ oleum inſtituit quando myſteria Paſchalis „ Agnus reſeravit „ Quae ſane verba, & ea praeſertim *Oleum inſtituit*, innuunt Sanctum Gregorium, praecepiſſe ut in cereorum Agnorum benedictione adhiberetur Oleum. Denique apud Eccleſiaſticae Hiſtoriae Scriptores illud memoriae proditum, Urbanum Papam V *Agnum benedictum* cereum ad Joannem Paleologum Imperatorem Conſtantinopolim miſiſſe, atque tres extant illius temporis verſiculi Andreae Fruſio adjudicati, in quibus materia refertur, quae in Agnorum Dei confectione ingreditur.

Balſamus, & cera munda, cum Chriſmatis unda
Conficiunt Agnum, quod munus do tibi magnum
Fonte velut natum, per myſtica ſanctificatum.

Jam certe Indulgentiarum haberemus graviſſimum teſtimonium. Et haec quidem dicta ſufficiant, ne forte plurium additione faſtidium tibi ingenerare poſſim, qui aliis rebus, quam legendis meis, laudabilius diſtineris. Perge igitur, Caeſar ſapientiſſime, ut facis, atque inſtar ſuppoſititii illius Hermetis, iterum & ſaepe in arenam deſcendens vires, animumque reſume; ut de Annalium tuorum hiſtoria, quod de pudicitia olim Prudentius, cani etiam poſſit.

Tunc exarmatae jugulum meretricis adacto
Transfixit gladio, calidos vomit illa vapores
Sanguine concretos coenoſo, ſpiritus inde
Sordibus exhalans vicinas polluit auras.

Quod tibi toties liceat acclamare, quoties Tomum aliquem in lucem emittis, in quo de falſitate triumphas; donec, quod Seneca ſcripſit, omnes prae eximia quadam cordis laetitia accinamus.

Habet, peractum eſt, quas petis poenas, dedit.

Tuorum autem Librorum, quod me dono cumulare volueris, nam emendicatis certe utimur; eos ego in interioris cordis ſcriniolo, ac tanti beneficii memor reponam ſemper ob oculos. Patrem Michaelem Vaſquium hujus noſtrae Provinciae alumnum Virum doctiſsimum Pater Rector per litteras monuit, ut acceptos illos Granatam mittendos curet, ubi multos habes, qui tibi ſumma omnia, & foelicisſima precantur. Vale Caeſar, teque Chriſtus Dominus nobis, Eccleſiaeque ſuae diutiſsime ſervet incolumem. E Granatenſi Collegio XVI Decembris MDXCII.

XXXII. De Concilio Francfordienſi eleganter, & vere texuit hiſtoriam Morales Lib. XIII Cap. XXV, & XXVI ex Beati Presbyteri ſcriptis, qui primus ſe oppoſuit Elipando. Quod vero Caroli, qui ei interfuit Concilio Pſeudo-hiſtoricum Turpinum alicubi in Martyrologio indices, ubi ſuppetunt Eghinartus, Antonius &c. rationem non uideo. Quod autem Tomo III, non memineris ejus deſcriptionis Eccleſiarum Hiſpaniae, quam a Conſtantino magno factam dicunt, forte ſuaſore, & impulſore Oſio, cui etiam Raſis maurus auctor exhibuit teſtimonium, defectui annalium noſtrorum adſcribo. In Martyrologio illud video a quibuſdam deſiderari, Chronologicus nimirum Index, qui quemvis Sanctorum in ſuam Sedem, annumque referat.

XXXIII. Quod Iſaias propheta fuerit ſerra diſſectus, praeter Oecumenium, Theophilactum, Theodoretum; qui ex aliis id do-

docent ad Hebraeos ibi ſecti ſunt, perſpicue aſſerunt Athanaſius, Quaeſt. LV, & CLX ad Antiochenos in principio. Ubi de Serra lignea, quae adhibita eſt, ut videlicet longiori tempore duraret ſupplicium; Theophilactus ſupra, & ſemel & iterum Lib. de Incarn. Verbi; Ambroſius Lib. II de Jacob, & Vita beata cap. IX, qui Lib. IX, in Lucam in id „ Vineam plantavit homo „ docet & capite vulneratum. Subſcribunt Cyprianus de Laude martyrii, & Epiſtola LXXXI; Auguſtinus de Civ. Lib. XVIII, Cap. XXIV, Hieronymus Iſaiae I, & XV; Hilarius ad Conſtantium Auguſtum. Genebrardus in Chronico ſcribit 90 annos prophetaſſe. Videndus Sixtus II Lib. Bibliothecae &c. Quid fecerit Manaſſes, Iſaia ſublato, narrat Pierius Lib. XXXII in Quincucipite. Ezechielem ſervum fuiſſe, docuit Nazianzenus in prooemio ad hunc Prophetam, quod doctus Billius obſervavit non ſervandum (*a*).

XXXIV. Quid ſit id, Haebraeos II „ Diſtenti ſunt „ pro quo habetur grace τυμπανίζεσθαι, Oecumenius excoriari vertit. Aliis, quos indicat Theophilactus, verberari ſignificat fuſtibus; quamquam ipſi decollari ſignificet. Quod ipſum dixerat Athanaſius dicta Quaeſt. CLX; ubi viduam illam Sarepthanam, cujus filium excitavit Elias III Regum XVII vocatam dicit Sathiam. Quod vero Machabaei diſtenti objerint, confirmat Joſephus ad Polybium Aprilis XXIII.

XXXV. Jeremiam non fuiſſe mortuum, ſed potius futurum praecurſorem Chriſti ad judicium, tenuit Victorinus ad Cap. XI Apocalypſeos, & alii multi, quos ſuppreſſo nomine retulit Hilarius Canon. XX in Mat. qui forte nituntur dicto ipſius Cap. I „ Pro-

(*a*) Apud Hebraeos conſtans traditio eſt Iſaiam initio Regni Manaſſis Regis Iudae ferra diſſectum obiiſſe. Idem tradunt Origen. in cap. XXIII Matth. & Epiſt. ad Jul. Afr. & Hom. in Iſai. Tertullian. de Patientia c. XIV; Juſtin. contra Tryph. Chryſoſt. ad Cyriac. Hieron. Lib. XV. in Iſ. Aug. Lib. XVIII de Civit. cap. XXIV. Ab iniquo Rege morte ob eam cauſam morte affectum ferunt, quod Iſaias dixiſſet VI, 1. *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium*, quod Moyſi contrarium aſſerebat; Exodi XXXIII, 20 *Non videbis me homo, & vivet*. Toſtatus in dubium revocare eam traditionem nititur, quod ſcilicet Propheta in exordio Libri ſui caeteris memoratis Regibus, ſub quibus oracula fudit, nihil habeat de Manaſſe. Sed haec contra receptam traditionem infirmiora ſunt; potuit enim Propheta morte occubuiſſe, vix inito a Manaſſe Regno, cum ſcilicet nulla adhuc fudiſſet ſub eo oracula. Veteres SS. Patres Judaeique non tantum in eo conveniunt, ut Serra diſſectum Prophetam illum tradant, ſed & inſtrumentum illud ligneum fuiſſe, non ferreum unanimi conſenſu perhibent; S. Juſtinus in Dial. cum Tryph. pag. 349. edit. Pariſien. an. 1636; Hieron. in Iſai. Lib. XV ad fin. Auctor. Carminis in Marcionem Lib. III; ac tandem totius Eccleſiae noſtrae aetatis conſenſus, cui temere refragaretur. Si credatur hunc Prophetam in duas partes diſſectum aliqua ſica ferrea, quemadmodum cum aliis martyribus Tyrannorum juſſu factum conſtat, res eſt prona & creditu facilis. Vide Gallonium de Cruciatibus Martyrum Cap. ult. Ven. Baronium in notis ad Martyrologium Romanum VI Julii.

„ Prophetam in gentibus dedi te „ . Adhuc namque ſolum Judaeis praedicavit non gentibus. Item quia ejus mors non legitur. Hieronymus in ſacris litteris oppoſitum ſentit. Hilarius ſupracitatus autem, Jeremiae I, dicit tunc gentibus praedicaturus miſſus eſt, cum nimirum de Ægyptiis, Aſsiriis, & aliis prophetavit. In eo vero male Hilarius, quod Moyſem dicat adhuc vivere, quem ſequitur Arbor. Lib. II, Cap. I. Theoſophſ. Favet Ambroſius Lib. I, de Caim, & Abel Cap. II; idem Hieronymus Amos IX, ibi; Qui aedif. &c. Contrarium eſt omnium prius decretum ex Deut. XXXIV, mortuuſque eſt ibi; licet Septuaginta aliquid difficultatis advolvant. Perſpicue Gregorius Niſſenus de vita Moyſis ad finem (*a*). De Joanne etiam eſt certum, quod mortem obierit ex illo Matth. LXX „ Calicem quidem meum bibe„ tis „ id eſt, teſte Chryſoſtomo, Violenta morte e vita, ſicut & ego, diſcedetis. Licet enim Hyppolitus de Conſummatione Mundi; Damaſus oratione de Transfiguratione, Ambroſius Luc. IX, Sunt de his ſtantibus &c. At Hieronymus contra Jovinianum Lib. I, circa medium; Ambroſius Lib. de Fide Reſur. parum ante medium hanc indicat; Auguſtinus Ser. DXLIX. de Tempore, Joannes obdormit ſine vulnere, ſine cruciatu; & Tractatu CXXIV in Joannem; Epiphanius Haereſi LXXIX. Et demum id fere habetur in VII Synodo Act. V prope fin. ubi narratur miraculum de Joanne Antiocheno.

Euſebius Alexandrinus (*b*) antiquus Pater, quem Epiſtola ſua Antherus translatum narrat e parva civitate Alexandriam, & cujus extant aliquot homiliae e Bibliotheca Criptae Ferratae Turrianus Lib. II, cap. II. Videri poſſe ſimili ratione corrigi Athanaſium ad Antiochenos Tom. XII, ubi recenſet Epiſcoporum nomina ad quos Epiſtola conſcripta, & ſunt hi Euſebius Birgellellorum Civitatis Galliae &c. qua emendatus fuit Epiphanius a te. Cum alioqui in Apologia ad Conſtantium, & Apologia

(*a*) Tertullianus adv. Gnoſt. Cap. VIII; Hieron. contr. Jovin. lib. I; Epiph. de Vita, & morte Prophet. Doroth. in Synopſi; & Hebraeorum traditio docent, Jeremiam Prophetam lapidibus a Judaeis in Taphnis occiſum, ejus reprehenſiones aegre ferentibus, illique referri credunt illud Apoſtoli Heb. XI, 37, *lapidati ſunt*. Rabbinorum aliqui volunt in Judaeam vaniſſe, multi Babylone mortem habuiſſe, inibique naturali morte obiiſſe. Victorinus in Apoc. XI, 3 a P. Soria hoc in loco laudatus & plures apud Hilar. in Matth. cap. XX credunt illum adhuc viventem eſſe, ut Elias, ea ducti ratione; quod de ejus obitu nulla mentio in Scriptura inveniatur, ac pro Elia, ſive Jeremia a Judeis habitus fuerit, Matth. XXVI, 14. Communis vero opinio eſt, Jeremiam ex hac vita deceſſiſſe, & ſtatuta die reſurrecturum. Conſule interpretes.

(*b*) Haec, confecta jam epiſtola ſatis quidem longa, veluti corollarium, ad ejuſdem calcem exarabat Soria; quaeque, ut ſunt ſignata nota numerica XXIX, forte ad eumdem ſuperiorem numerum, ex illius ſententia erant referenda.

logia pro Fuga ſua Epiſcopum Italiae eum facias, ſimiliterque Lucifero jungas. Anno 97 Hieronymum inter rejicientes Apocalipſim habuiſſe reſpectum ad D. Baſilium, Nazianzenum, & Niſſenum, qui viſi ſunt ab eo citando abſtinuiſſe, ſed contra. Nam Arethas in Cathena ex Nazianzeno, Baſilio, & aliis profert Teſtimonium. Inter Hetaerias aethereas quod cooptata ſit tua Congregatio vehementius gaudemus; certe ſic accepimus in Religionum album adſcriptam. An Epiſtolae Baſilii ad Julianum, & Juliani ad Baſilium veritatem contineant (*a*). Certe M. Rod. de Sancta Ella ad Regem Ferdinandum miſit Gneum. Oratores Cap. XXVII pro more paraphraſi illuſtrat. Favere videtur Nicephorus Lib. X, Cap. XXV. Verum e tuorum Annalium ſerie perſpicio eſſe non ignotas modo, ſed etiam nothas. Tom. II, ubi

Y y de

(*a*) Quamvis in quodam Scholio vetuſtiſſimi Codicis Medicei ambo hae Epiſtolae, Baſilii ſcilicet ad Julianum, & Juliani ad Baſilium, nihil prorſus habere dicantur, quod Julianum redoleat, omneſque fere eruditi aliquibus rationum momentis inferius offerendis adducti, in eam ſententiam deſcendant, ut putent, epiſtolas haſce eſſe prorſus ſuppoſitias; nihilo tamen minus Tillemontius eas non omnino rejicit, & quominus omnino rejiciat, ait ſe detineri teſtimonio Sozomeni, ex quo eaedem illi notae fuiſſe videntur. Verum enim vero Sozomenus Lib. V, Cap. XVIII minime de hiſce epiſtolis loquitur, ut Tillemontius arbitratur, ſed Juliani Epiſtolam commemorat ad Epiſcopos, qui tunc maxime inſignes erant. Conſtat id potiſſimum ex eo, quod Julianus in Epiſtola, cujus mentio habetur in Sozomeno, res Chriſtianorum irridebat, & Apollinarii adverſus Ethn eos librum exagitabat. At nullum hujus rei extat veſtigium, in Epiſtola quam nunc habemus, & de qua in praeſentiarum inſtitutus eſt ſermo. Ipſa etiam Epiſcoporum reſponſio, quam Sozomenus e nonnullis eidem S. Baſilio tribui teſtatur, inſigne aliquod opus eruditione refertum videtur fuiſſe; quum idem Sozomenus affirmet: *quicumque operis auctor ſit, eum ob animi magnitudinem & eruditionem, admiratione dignum eſſe*. Aſt neminem quidem puto in hac epiſtola, quae ſub S. Baſilii nomine ad Julianum ſcripta circumfertur, eruditionem miraturum. Notandum tamen, quod in mutuis his Baſilii, & Juliani epiſtolis, de quibus loquimur, leguntur nonnulla, quae Sozomenus ex Juliani & Epiſcoporum litteris excerpſit; nempe illud Juliani, *Quae autem legi, intellexi, & condemnavi*; & ad haec Baſilii reſponſum, *Quae autem legiſti, non intellexiſti, nam ſi intellexiſſes, non ſane condemnaſſes*. Etſi primum Juliani dictum deſideretur in pleriſque codicibus; Baſilii vero reſponſum in omnibus praeter Hurloceanum. Jam vero, ut ad praecipua veniamus momenta, quibus Epiſtolas has ſuppoſitas eſſe cenſent plerique eruditorum; illud in primis oſtendit Juliani Epiſtolam (quae eſt num. XII. in aliis editionibus, in edit. vero oper. S. Baſilii Monac. S. Mauri eſt num. XXXIX) ad Baſilium ſcriptam non eſſe, quod ſi eam ſcripſerit Julianus, homini ſcripſit Conſtantii aulae incommoda experto, ideoque in ea diu multumque verſato. Quod de Baſilio dici minime poteſt, qui nunquam hujus Imperatoris limen attigit. Rem autem ita ſe habere, patet ex his verbis Juliani; *Vivimus enim inter nos non tam ſola aulica ſimulatione, quam te credo hactenus expertum eſſe*. Baſilii quoque ad Julianum reſponſionem (quae extat in Maurina edit. num. XLI.) ſpuriam cenſendam eſſe ex eo patet, quod in prima illa Julianus praecipit, ut ſibi Caeſaream advenienti, & adhuc publicum iter tenenti, praeſto ſint mille auri librae; ſecus minatur, ſe Caeſaream everſurum. Quod ad Baſilium ſcribi minime poterat, quum ipſe Caeſareae tunc non eſſet, ſed lateret in Ponti ſolitudine, vixque peracta eſſet ipſius Euſebii ordinatio, quum Julianus venit. Sed de his ſatis. Qui autem alias ad harum Epiſtolarum falſitatem probandam rationes ſcite deſiderat, adeat notationes Monachor. Ordin. S. Bened. Congr. S. Mauri in opera S. Baſilii Tom. III, a pag. 122, ad pag. 124.

Digitized by Google

de Imperatrice Serena Diocletiani uxore, alterius uxoris nomen requiris. Prodidit illud Vigilius ipſe Summus Pontifex in Libro Pontificali, Eleutheriamque appellatam proteſtatur. De Agapeto Vigilii Praeceſſore id ſcire averem, num is ipſe fuerit, qui Capita Admonitoria exhibuit Juſtiniano. Eſt enim nobile pontificiae dignitatis monimentum. Editos hoc anno Apologeticos libros a quodam perilluſtri, perdoctoque viro ad S. D. N. pro Concilio noſtro Eliberitano, a calumniis omnibus aſſerendo. Quae res, quem ſit ſortita finem, multi hujus urbis viri docti avebant ſcire. Epiſtolam illam Gregorii Niſſeni ad Flavianum, quae edita habetur ad finem ejus Operum, Interprete Lenuenclajo haeretico homine non habere id, ad quod videbatur allata; nimirum, quod ex vetuſto Eccleſiae more Epiſcopus hoſpes teneretur ſermonem de rebus ſpiritualibus habere coram alterius Epiſcopi ſubditis &c. de qua re Tom. I Annalium. Forſitan alias erit, & clarius indicanda. Hoc longum ſatis Coniectaneorum, aut Adverſariorum in meae memoriae ſubſidium ſic ſcribebam olim, ut quae digna viderentur interrogatione ea colligerem. Quod ſi ea viderentur indigna, quae praeſentiam doctorum mereantur, id libens feram, neque enim lambere licuit ei, qui iter Hiſpalim verſus adorno.

EPISTOLA LX.

UNIVERSITATI LOVANIENSI

CAESAR BARONIUS.

Oſtendit Clementis VIII amorem erga eamdem Univerſitatem, & in ea includit Breve ejusdem Pontificis Univerſitati directum.

PAR eſt, ne ipſo mearum litterarum exordio longioris morae texam apologiam, ſed ſcio, meae excuſationis nullam facile probari poſſe cauſam alicui, qui non praeſens res urbanas aſpexerit. Quantum in primis inſumendum ſit temporis, ut adeundi Summi Pontificis, & commode alloquendi; oportuna detur occaſio. Rurſum vero exigendarum ab eo litterarum, quodnam temporis ſpatium intercurrat. Etenim qui illi eſt ab epiſtolis, mole litterarum obruitur, ut mihi plane videatur illiberalis eſſe hominis plus aequo illum urgere. Sed miſſis his, haud enim puto,

to, ac apud vos, opus habere litteris apologeticis. Illud ſic habetote. Ipſum S. Dominum Noſtrum Clementem Papam erga veſtram Univerſitatem propenſiſſimum eſſe, & paterno plane amore complecti omnes, ad idque ſignificandum noluiſſe communioribus litteris, ut moris eſt, ad vos reſcribere, ſed Brevibus. Quibus quidem, ut accepi, dolens excuſat, non eſſe praeſentis temporis aliquem ex veſtris praeſtantiſſimis Patribus Romam accerſire. Faciet quidem cum ex anguſtiis, quibus undique ex bellicis rebus premitur, reſpirare licebit. Imminet Turca propinquior, & heretici ad invadendam Italiam ſternunt viam. Affligitur inter haec Urbs magna poenuria, & latronum ingens multitudo ubique graſſatur, ut confecto exercitu jam ad moenia Urbis excurrant; ut in preſenti de re litteraria nec quidem cogitandi tempus dari videatur. Vos autem Petri Naviculae, tot fluctibus agitatae, precibus ſubvenite, & magnis clamoribus Dominum in ea dormientem excitate. Valete Patres, meique veſtri famuli, indigniſſimi tamen Collegae, memores eſtote. Romae Idibus Februarii. Anno Domini MDXCIII.

Tenor brevis praeſcriptis litteris incluſi talis erat.

CLEMENS PP. VIII.

Dilecti filii ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Semper vos plurimi fecimus, idque magno veſtro merito, nec cujuſquam Superiorum Pontificum caritati concedemus in diligenda veſtra virtute, & pietate, qua ſemper uſi eſtis in catholica religione tuenda, inque Apoſtolica Sedis auctoritate ſincera fide colenda. Quae nobiſcum agi voluiſtis per dilectum filium Baronium, expoſita ſunt ab eo diligentiſſime. Omnia viciſſim ex ejus litteris cognoſcetis; nihil enim fieri poteſt illo fidelius, nec veſtri amantius, ac ſtudioſius. Datum Romae apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die V Februarii MDXCIII. Pontificatus noſtri Anno Secundo. *Sic ſubſcriptum*. Antonius Boccapadulius. *Supraſcriptum ſic*. Dilectis filiis Rectori, & univerſitati ſtudii univerſalis Lovanienſis.

Concordiam illorum quae in dicto libro Actorum habentur atteſtor.

G.V. Goeds huyuſe &c. *Almae Univerſitatis Secret.*

EPISTOLA LXI.

CLEMENTI VIII. PONT. MAX.

CAESAR BARONIUS (*a*).

Quartum Annalium Eccleſiaſticorum Tomum ejus nomini inſcribit.

Divino plane nutu factum eſſe videtur, Beatiſsime Pater, ut qui tempore Sixti V ſanctae memoriae Pontificis Maximi, Annales noſtri in lucem prodire coeperunt, eorumdem Tomus IV, quarto tibi ejusdem in Sede Pontificia Succeſſori jure debitus perſolvatur. Et quidem auſpiciis feliciſsimis afferens ſecum ſua tractatione quatuor illos Orientalis Eccleſiae vertices, Sanctiſsimos Epiſcopos atque Doctores, Magnum Athanaſium, Baſilium itidem Magnum, Gregorium Theologum ſummum, & Joannem eloquentia maximum cognomento Chriſoſtomum; cumque iis adducens quatuor Occidentalis Eccleſiae culmina, fidei columnas, luminaria magna, Orbis miracula, Hilarium, Hieronymum, Ambroſium, & Auguſtinum; tantorum Patrum corona cingens thronum tuum, ipſis quoque Angelis venerandum. Praeclaris igitur hiſce comitibus animoſior offert ſeſe ſacro conſpectui tuo Quartus hic mihi genitus partus, tibi vero primogenitus, expetens uti primogenitus a te benedictionem accipere. Sed

(*a*) Hippolytus antea Aldobrandinus, Florentinus genere, ſed Fani natus, dum illic pater Pontificis omnibus praeſidebat, acceptam a majoribus nobilitatem, plurimarum virtutum acceſſione, quibus in Petri Cathedram conſcendit, auxit cumulavitque. Hic ex Rotae auditore a Sixto PP. V ſupplicibus referendis libellis praefectus, dum in eo munere ſumma juſtitiae & prudentiae laude fungeretur ab eodem Pontifice Cardinalis titulo S. Pancratii eſt renunciatus. Mox in Poloniam ab eodem Pontifice Legatus de latere miſſus, ut diſcordiis in eligendo Poloniae rege poſt Bathorii obitum concitatis, finem imponeret. Legatione feliciter geſta, atque multa egregia obita reipublicae munera, majoris Poenitentiarii officium, & cunctarum virtutum documenta, mortuo Innocentio IX Pontifice in ejus locum conſentientibus omnium Cardinalium ſuffragiis, Pontifex maximus electus eſt die III Kalendas Februarii anno MDXCII. Quanti hic Pontifex Vener. Baronium noſtrum fecerit, & viciſſim quantum Caeſar eum coluerit, vidimus jam in ejuſdem Baronii vita. Illum enim Clemens VIII nolentem ſemper ac reluctantem, primum quidem a Confeſſionibus elegit, mox in Prothonotariorum Apoſtolicorum Collegium cooptavit, ac demum Cardinalem, & S. R. E. Bibliothecarium renunciavit. Obiit Clemens die III Menſis Martii anno MDCV. Æternae quidem memoriae Pontifex, nemini Pontificum Romanorum, qui ante illum, aut poſtea floruerunt, pietate, prudentia, doctrina, magnanimitate, munificentia, rebus praeclare geſtis, ſecundus. Plura de tanto Pontifice proſequi, inſtituti noſtri ratio non patitur. Quare lectores ad vitarum Pontificum Scriptores amandamus.

Sed nimirum utilius tua Sanctitas ad declinandam invidiam, duas haſce benedictiones una illa compenſabit, qua coeleſtia, eademque perennia tribuuntur. Hanc ut conſequi merear oro, cupioque, iidem apud te exiſtant tanti proceres interceſſores, quos iſta tua erga me beneficia tibi concilians, aliiſque demerens officiis, magna ab eis exigere poteris beneficia, habiturus eos tibi jugiter aſſiſtentes in rebus difficillimis conſultores, conſolatores in adverſis, in adverſarios propugnatores, & adjutores in paſtorali onere ſuſtinendo; tantoque vallatus agmine beatorum, omnia bene coepta felicioribus ſucceſſibus proſequaris, ut Eccleſiae gaudium impleatur. Quae quidem poſt innumerabiles clades, poſtque tot Romanorum Pontificum brevi temporis ſpatio funera, ad electionem tuam divinitus inſpiratam reſpirans tandem lugubra veſtimenta depoſuit, accipiens a Domino, ſecundum divinum oraculum, oleum gaudii pro luctu, pro cinere coronam, & pro ſpiritu moeroris pallium laudis, ad ſpem quoque majorem erecta, ut in te quod ſequitur impleatur; nimirum deſerta a ſaeculo aedifices, ruinas antiquas erigas, & diſſipatas civitates inſtaures; ipſas nempe Eccleſias ad fidem reſtituas jam ab impietate proſtratas. Majore vero perfunditur gaudio, cum tantae erigendae molis jacta jam videat fundamenta, & optata diu ſurgere moenia a terra, erigique ſuper baſes ſuas ingentes columnas, dum ad ſummos honores optimos quoſque provehis. Accedit ad letitiae cumulum quod aſpiciat diu extorrem reſtitui Eccleſiaſticam diſciplinam, vigilare morum cenſuram, reviviſcere ſui obſervantia leges, ſacroſque canones priſtino nitore floreſcere, cohiberi improborum audaciam, poſtliminio revocare exulem probitatem, ſacrarumque rerum ſcientiam excoli vehementius. Ingens plane ſe hic aperiret curriculum orationi meae, ſi vellem eam per ampliſſimum campum virtutum tuarum, laxatis quaſi habenis, immittere; ſed illas ut contraham, facit perpetua atque admirabilis modeſtia tua, qua ſoles laudes exiſtimare jacula, & hoſtes credere laudatores. Sed quando hoc mihi nulla ratione conceditur; reliquum eſt, ut ſecundum illud Apoſtoli, ſive excedimus, Deo, ſive ſobrii ſumus, vobis; quoniam cogitur oratio per tuas laudes tranſilire jejuna, eamdem concitatam ſemel, ſinam effuſo curſu prorumpere in laudes Dei, & uberes gratiarum actiones, in quibus nullam timere poſſit invidiam, nec ſuſpicionem adulationis incurrere, cum & impellatur religione, atque urgeatur ex debito. Etenim quis

quis impie, & ingrate nimis tot tantaque Dei dona tibi pro ſalute omnium attributa duxerit eſſe obvolvenda ſilentio, & iniqua oblivionis veluti nube obſcuranda, ac non potius pro illis Deo Optimo Maximo omnium bonorum auctori immortales, immenſaſque gratias, & agendas, & habendas eſſe cenſuerit? Cum vel ab ipſis incunabulis ſua providentia, ut una Prophetae ſententia cuncta complectar, Te circumduxerit & docuerit, & cuſtodierit ut pupillam oculi ſui. Parentem illum in primis tribuens, maximum noſtri ſaeculi decus, qui cum ſapientia polleret, ac rerum ſcientia, duobus hiſce alis te ſicut aquila pro-vocans ad volandum pullum ſuum, docuit ſuo ductu ima deſpicere, ac ſublimia petere, quam celerrimo volatu. Sed cito nimis altius ſe efferens, & ſeſe in coeleſtibus abdens, ab oculis ſubductus eſt tuis; verum reliquit tibi, quem ſequereris ducem praevium, morum magiſtrum, virtutum vivum exemplar, Joannem clariſſimae memoriae germanum fratrem tuum, magnum illum S. R. E. Cardinalem quavis laude majorem, qui providum agens aurigam creditae ſibi quadrigae, quatuor fratres ſumma concordia moderatus, dignos Apoſtolicae Sedis dignis obſequiis mancipavit: te vero praecipue propenſiore cura, atque ſolertiore induſtria, veluti praeſcius futurorum ad perfectiorem imaginem probitatis excoluit, ad hoc a Deo tamdiu coeli civis agere permiſſus in terris, donec ſuſceptum opus abſolveret. Qui ex hac vita recedens, ampliſſimi te patrimonii reliquit haeredem, ſapientiae ſcilicet ipſius fidei a Deo commiſſae, in te poſtea plane atque integre transferendae; quae individua tibi ſemper ſocia jungeretur, & comes conceſſura tecum in eminentioribus Eccleſiae tribunalibus, progreſſura pariter ad remotiores provincias in Romanae Eccleſiae honeſtiſsimis functionibus, conciliatura tibi Reges & Principes, ac cuncta denique dextere confectura: qua item duce tandem tu, quaſi alter David, fratrum tuorum natu minimus Maximus Pontifex exorirere: ut merito gratias Deo referens, illud ipſe ejuſdem Davidis uſurpare poſsis; tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me. Cum igitur pro his donis, a Deo tibi communi hominum bono conceſsis, divinae bonitati ab omnibus ſint gratiae agendae; mihi certe id potiſsimum incumbit ex munere, quod in te Clemente Deus optimus maximus ſummum illum Clementem Petri Apoſtoli Succeſſorem mihi praeſtitit redivivum, cum eumdem, quem refers no-

nomine, praeteſeras exemplo, inſiſtenſque tanti praeceſſoris veſtigiis, ſicut ille ad ſcribendas res geſtas Notarios ſeptem delegit, ita tua ſanctitas aeque ſciens tantam haud negligendam eſſe provinciam, quem S. Auguſtinus expendens magna fiducia dixit, Chriſtianae religionis ſectandae eſſe caput Hiſtoriarum, ad proſequendos coeptos Annales Pontificia munificentia opus urgere non ceſſas. Quo autem nomine maximas Deo Patri luminum gratias agere debeo, qui ad lucubrationum mearum, tantam lucernam latentem ſub modio ſuper candelabrum conſtituit, illudque meis chartis perobſcuris admovit, quo tanto fulgore illuſtratae ſplendeſcerent. Ad cujus lumen elucubratum quartum hunc eorundem Annalium tomum tibi ipſi, ut Chriſti Vicario, tuis advolutus pedibus, libens do, dono, dicoque. Tu vero, Summe Sacerdos, quod ſacri muneris eſt, oblatum manipulum ad Deum eleva, ut conſecretur, ut ſic in eo reliqua meſsis benedicatur. Vale Beatiſsime Pater; teque in omnibus viis tuis Dominus feliciter antecedat.

EPISTOLA LXII.

OCTAVIO PARAVICINO CARDINALI (*a*)

CAESAR BARONIUS.

Offert eidem quartum Annalium Tomum.

Recte ſane atque ordine, Cardinalis ampliſſime, antiquo jure ſancitum eſt, ut cederet terrae arbor, in qua primum emiſit planta radices. Qua ratione jus aliquod tibi quaeſitum eſſe in noſtris Annalibus vendicandis aeque conſentio. Etenim quos modo vides in arborem excreviſſe, olim extitit puſillus ſurculus

(*a*) Fuit hic nobilis Romanus, qui a teneris, ut Graeci ajunt, unguiculis, S. PHILIPPUM Nerium mirifice coluit, ejuſque conſuetudine & ſermonibus a VI uſque ad XXVIII aetatis annum, quo tempore in Hiſpaniam profectus eſt, frui conſuevit. Vixit enim adoleſcens ſub Ven. Baronii noſtri diſciplina, ut vidimus ſuperius in ejuſd. Baronii vita, eumque non modo praeceptorem, verum etiam in ſacramento confirmationis fidejuſſorem nactus fuit. Neque parum Octavius ſub tanto magiſtro in pietatis, & in ſacrae profanaeque eruditionis ſtudio profecit. Quare trigeſimum ſecundum agens annum Alexandrinae Eccleſiae in Mediolanenſi provincia a Gregorio XIII anno 1584, die V menſis Martii praepoſitus, a Sixto V. anno 1587 ad Helvetios Catholicos cum poteſtate Legati a latere legatus, ac demum a Gregorio XIV anno 1591, prid. nonas Martii Romae abſens, Cardinalis renunciatus eſt. Obiit in urbe die III Februarii anno 1611, quum vix nonum ſupra quinquageſimum aetatis annum attigiſſet, & in templo D. Alexii ſepultus eſt. Vide Ciaccon. continuat. Tom. IV, col. 223.

lus in tuo ſolo plantatus, cum apud te degerem adoleſcens. Verum cum tempus adſit, ut & tu exigas, & ego reddam fructus ex arbore, ecce quartum affero Annalium tomum. In cujus oblatione intelligas velim, vel ex hac parte nihil eſſe, quod queri poſſis, eos qui ante cuſos acceperunt, tibi eſſe praelatos; cum divina lege conſtet, quarti anni arborum fructus eſſe omnium praeſtantiſſimos, dignoſque ſolos habitos, qui Deo darentur, inferrenturque divino conſpectui. Ut hanc etiam ob cauſam, cum exhibeam potiora, cunctationem hanc non ingrati animi, ſed propenſioris ſtudii indicem eſſe ſentias; cum alioqui recorderis, te puerum olim decerpſiſſe earumdem tenella manu primitias, dum in candidum illum, cupidumque diſcendi animum tuum res geſtas Sanctorum Patrum quotidianis ſermonibus inſtillarem, quas in noſtri Oratorii adjutorio mira venuſtate, atque lepore, magna audientium voluptate ac plauſu conſueviſti annis pluribus recitare, admirantibus cunctis in puerili aetate ſenilem in dicendo majeſtatem, atque facundiam, junctamque cum ſimplicitate prudentiam. Talibus namque tantiſque primordiis tua meruit pueritia conſecrari; cum & non unius Chironis manus, ſed certatim plurium Sanctiſſimorum Virorum ſedulitas, ſumma induſtria, & aſſidua ſollicitudo, longo tempore ad pulcherrimum virtutis exemplar te componere, atque efformare ſtuduerint. At cum adolevit aetas, majore incremento propagata virtutum, optime accidit, ut antequam conjicere poſſet in te oculos Aegyptia petulans, Virgo illa caſtiſſima non habens maculam, neque rugam, Dei Eccleſia te ſuis praevenerit optatis amplexibus, arctoque amoris nodo devinxerit, cum ſacris ordinibus obligavit; aſtrinxerit vero tenacius, cum ut primum per aetatem licuit, te ſibi adjunxit in ſponſum ſpiritualium foedere nuptiarum: cujus ſacri connubii pronubum eſſe voluit magnum illum Mediolanenſis Eccleſiae Archiepiſcopum, S. R. E. Cardinalem dignae memoriae, Carolum Borromaeum.

Cum vero in ea functione tibi ipſi, & ei qui te ſummo initiaverat Sacerdotio, cumulate reſponderes, & numeris omnibus ſatisfaceres; quod exiguus paleſtrae locus ad experimentum virtutum viſa ſit una Alexandrina Eccleſia; Sixtus Quintus ſanctae memoriae Pontifex Maximus ad latiorem te campum perduxit, & difficiliora certamina praeparavit, cum ad Helvetios Nuntium miſit, comprovincialiumque Eccleſiarum Apoſtolicam viſitationem adjunxit. Quot autem hic mihi facta, & quanta tui

cum

cum laude, quae a te utroque in munere exierunt, recenſenda eſſent, niſi ſcirém me epiſtolam ſcribere, & non encomium texere? Quid demum? Agentem tanquam Abraham in Montanis, operi inſtantem, atque laboribus inſudantem, ex inopinato quaeſivit te tui cupida diu purpura, non tu illam, ornavit te, quo ipſa tuis virtutibus ornaretur, cum religioſae memoriae Gregorius Papa XIV cooptavit te in ſacrum Senatum, allegens in numerum S. R. E. Cardinalium. Talem vero cum te hoc tempore conveniant, inveniantque Annales noſtri, quanta nos putas geſtire laetitia? Quae etiam gratior, atque jucundior efficitur memoria triſtium. Etenim totius vitae tuae in hanc uſque diem tranſactae periodo quandam mihi imaginem repraeſentas Jacob ob pacem voluntarie exulantis, atque tandem ad propria cum conjugibus, & liberis magna cum gloria revertentis, cum te ſponte ob tranquillitatem extorrem, duplicis dignitatis ſplendore conſpicuum Deo reduce, receperimus; in quarum altera Liae foecunditatem, in altera Rachelis pulchritudinem contemplemur. Haec cuncta adeo grandia Dei beneficia haud otioſe ob oculos ponere, & in mentem tibi revocare putavimus, ſcriptiſque noſtris omnibus teſtata relinquere, quo ſcias plures magnarum rerum tibi exactores imminere, Deum in primis, atque homines, addam etiam & te ipſum. Etenim nemo abs te importunius exiget, quam exiſtimatio ipſa tua, tecum a pueritia parta, in dieſque incrementis majoribus aucta, cui non ſatis ſit praeſtare communia, cum ſingularia quaedam atque adeo mirifica poſtulet; licet de exactione ſecura, non quaerat de fide tua dubitans fidejuſſorem. Caeterum quod mearum partium reliquum eſt, rem paucis abſolvam, quod non verbis, ſed rebus mihi tecum tranſigendum ſit. Age jure tuo, utque tua vendica tibi mea cuncta: nihil enim juſtius contingere poterit, quam ſi quae Caeſaris labore parantur, debeantur Octavio auguſtiora conanti. Vale.

EPISTOLA LXIII. (a)

JUSTO LIPSIO (b)

CAESAR BARONIUS.

Primum Lipſii litteris reſpondet, ſuamque in eum benevolentiam teſtatur, inde certiorem facit, Pontificem Maximum juſſiſſe, ne Index librorum prohibitorum jam excuſus publicaretur, illumque ad hanc ſuſcipiendam occaſionem hortatur.

Legi litteras, quibus adeo benevole ad ineundum inſolubilem tecum amicitiam provocas. Quid eſt, mi Juſte, quod adeo

(a) Extat haec Epiſtola in Tom. I pag. 658. num. DCXX Sylloges epiſtolarum a viris illuſtribus ſcriptarum per Petrum Burmannum Leydae 1727. cujus epiſtolae reſponſio habetur inter opera ejuſdem Lipſii Centur. ad Italos Epiſt. IX.

(b) Natus eſt Juſtus Lipſius in Iſcano municipio tertio lapide a Bruxellis diſtante, XV Kalend. Novembris an. 1547. Sexennis in eadem Bruxellenſi urbe apud ludi magiſtrum ſummae illius eruditionis fundamenta jecit. Tum Coloniae Agrippinae in Scholis Patrum Societatis Jeſu iis diſciplinis excultus eſt, quibus pueriles aetates impertiri ſolet. Quare adoleſcentuli docilitatem, mirumque ingenium ſubodorati Patres Societatis, nullum non moverunt lapidem, ut illum ad eorum amplectendum inſtitutum adducerent; quorum votis, Societati nimirum nomen dando Lipſius ſane reſpondiſſet, niſi id parentibus oboluiſſet, qui eum ſtatim Lovanium evocarunt, ubi ex eorum arbitrio ac voluntate cum Juri civili ac Gymnaſio Lilienſi Philoſophiae, multum operae dediſſet, eas artes reliquit, ad eaſque animum appulit, ad quas jam pridem ſua eum naturalis inclinatio propenſioque vocabat, nimirum ad liberaliſſima atque humaniſſima ſtudia; ac brevi tantam eruditionis laudem eſt adeptus, ut nemo illi anteceſſerit quo una eſſet aetate. Complures enim veterum latinorum libros recognovit, caſtigavit, eoſque partim doctiſſimis ſuis Commentariis omni eruditione refertis, partim animadverſionibus, partim notis illuſtravit, complures etiam libros de ſuo, non minus docte quam ſcite eleganterque compoſuit. Praecipua autem Lipſii opera, ut doctiſſimos in Cornelium Tacitum, aliosque auctores Commentarios omittamus, nec non complures Epiſtolarum Centurias; haec ſunt. De recta pronunciatione linguae latinae Dialogus. Variarum lectionum libri tres. Antiquarum lectionum libri quinque. Epiſtolicarum lectionum libri quinque. Electorum libri duo. In Valerium maximum notae. Animadverſiones in Senecae Tragoedias. Judicium de conſolatione Ciceronis. Satyra Maenippaea Somnium. Manuductionis ad Stoicam Philoſophiam libri tres. Phyſiologiae Stoicorum libri tres. De Conſtantia libri duo. Politicorum ſive Civilis doctrinae libri ſex. Ad libros Politicorum notae, & de una religione liber. Monita & exempla Politica, libri duo. Leges regiae & Leges Decemvirales. Diſſertatiuncula apud principes. Commentarius in C. Plinii panegyricum Trajano dictum, & in Polybium, de Militia Romana libri quinque. Poliorceticon, ſive de Machinis, Tormentis, telis libri quinque. Admiranda, ſive de magnitudine Romana libri quatuor. De Amphitheatro liber. De Amphitheatris quae extra Romam libellus. Saturnalium Sermonum libri duo, qui de Gladiatoribus. De veſta, & veſtalibus Syntagma. De Cruce libri tres. Diva Virgo Hallenſis, Diva Virgo Sichemienſis. Lovanium. De Bibliothecis Syntagma. Singula haec Lipſii opera cum omnibus ejus epi-
ſtolis

Digitized by Google

adeo liberaliter offers, quod magno (*a*) fuerat mihi pretio redimendum, & plurimis officiis demerendum? At vero, num quod merces ultroneae ſint, vileſcent? Minime gentium, ſed majori a me aeſtimandae pretio, quod ſine pretio oblatas accipio. Quod mearum partium eſt, conabor omni officio amicitiam tantam excolere, tuaque cuncta perinde ac mea curare. Bene accidit his diebus, ut reclamante me & aliis quam plurimis, a Sanctiſſimo D. N. Index librorum vetitorum jam cuſus, ipſe ne vendatur, vetitus ſit, quod multa in eo reperta ſint emendatione digna. Complures credo evolventur menſes antequam diſcrepantium ſententiae in unum conveniant. Tu vero, mi Juſte, opportune hac utere occaſione (*b*). Quantum autem tibi tribuam ex hoc accipe, quod te meorum ſcriptorum habere cupio cognitorem, monitorem, atque cenſorem. Erunt noſtrae amicitiae ſigna, ſi quum me diliges, noſtra etiam in te ſuſcipias. Vale. Romae pridie Kalendas Auguſti. Anno Domini MDXCIII.

ſtolis duabus in fol. voluminibus impreſſa habentur Lugduni apud Horatium Cardon an. 1613, praefixa iiſdem ejuſdem Auctoris vitae ab Auberto Miraeo conſcripta, quam poterit conſulere, qui plura de ipſo ſcire deſiderat. Obiit an. 1605, X Kal. Aprilis annos natus unum de Sexageſimo.

(*a*) In laudata Burmanni Epiſtolarum editione hoc loco pro *magno* legitur *magnum* omiſſis vocibus *fuerat mihi pretio redimendum* ſed perperam, ut ex Epiſtolae ejuſdem apographo, ipſiuſque orationis contextu, colligitur.

(*b*) Reſpicit heic Baronius correctiones Lipſii in Politicis, quas ille miſerat ad Franciſcum Bencium, ut colligitur ex Epiſtola, quam idem Bencius Lipſio inſcripſit, in qua haec eadem habentur: „ Breviter es admonendus, librorum qui damnabantur aut ſuſpendebantur, Indicem confectum quidem nuper fuiſſe; ſed quum delatus ad Pontificem eſſet, quaecumque ea fuerit cauſſa, tantiſper vetitum exire in vulgus: & ſpe nos obtinet fore, ut ſi approperatis, novam ejus editionem facile occupes. Nihil videbatur accidere poſſe opportunius „. Nimirum dolebat Lipſius ſibi talia in ſuis Politicis excidiſſe, quibus liber in Indice reponeretur. Itaque nonnulla delevit immutavitque, haſque ſuas correctiones ad Bencium miſit, ut eas ſimul cum P. Bellarmino recognoſceret, ſperans hoc temperamento cenſuram evaſurum. Hac de re Bencii, & Bellarmini Epiſt. ad Lipſium extant in Tom. I Syllogee Epiſtolarum virorum illuſtrium a Burmanno editae. Illa eſt numer. LXXIII haec DCXIX. Utraque vero ſcripta fuit pridie Kalend. Auguſti ann. 1591, qua die anni ejuſdem exarata eſt Epiſtola laudata Baronii ad eumdem Lipſium. Unde conjectari licet hac de re Baronium hiſce diebus a Lipſio fuiſſe rogatum, ut ejus patrocinium ſuſciperet.

EPISTOLA LXIV.

DICTO A SANCTA FIDE EPISCOPO NIVERNENSI (a)

CAESAR BARONIUS.

Rationem affert, cur de donatione Conſtantini magis diffuſe non egerit.

SI tardius, quam par erat, meas reddo litteras, id tuo velim tribuas amico, qui dans tuas, mearum ſe fore exactorem pollicitus, nunquam venit. Ago gratias immortales, Reverendiſſime Antiſtes, quod ignotum facie, immeritum factis, hominem, amantiſſimis litteris ſalutaſti, & ad amicitiam provocaſti; ſed nimis laudibus exornaſti. Laborem fateor injunxiſti, cum videlicet, ut omnes illas, quo ſim fidelis, ad Deum auctorem bonorum omnium refunderem, opus fuerit ipſum per quem tranſeunt canalem bibulum, ne vel guttam hauriat, tenaci pice contemptus humanae gloriae, & meae imbecillitatis conſcientiae bitumine delinire. Quod de Conſtantini donatione lucupletius pertractanda admones, mihi perinde atque actori accidit, cui cum ad rei vendicationem plures beneficio legum competant actiones, abſque reliquarum praejudicio illa utitur, quae ſine comperendinatione ſcit cito, facileque conſequuturum. Extant de bonis Romanae Eccleſiae Chriſtianiſſimorum Regum Francorum authentica ſcripta; quibus non habent vel refractarii adverſarii quod objiciant. His potius nobis agendum putavimus, quam illo Conſtantini decreto innumeris controverſiis agitato, de quo poſt longas & ancipites altercationes, pluribus hactenus judiciis ventilitas, adhuc ob adverſariorum pertinacem contentionem ſub Judice relinquenda lis eſſet. Tu velim interea id adſcribas cautioni potius, quam timori hominis ſuper ſolidam dumtaxat veritatis innitentis petram, cum caetera ventorum impulſibus agitata vacil-

(a) Arnaldus Forbin dictus a Sancta Fide Monterichio prope Montalbanum natus, in ſacrarum litterarum ſcientia peritiſſimus fuit. A Georgio Cardinali Armaniacenſi Toloſano Antiſtite inter ſuos alumnos, ac contubernium aſcitus; deinde dignitate Theologi in Toloſana Eccleſia eſt decoratus. Poſtea Lutetiae a Carolo IX Rege (quem mortuum oratione funebri laudavit) a ſacris concionibus delectus eſt, hocque munus ſub Regibus Henricis tertio, & quarto obivit, mox Epiſcopus Nivernenſis renunciatus eſt die XXII Julii an. 1578, cujus Eccleſiae curam geſſit XXVIII annorum ſpatio. Ex arbitris unus electus extitit collationis habitae apud Fontem Bellaquam a Jacobo Cardinali Perronio, adverſus Philippum Mornaeum. Vita functus eſt die 1 Martii 1606, aetatis ſuae an. LXXIV.

cillant. Vale, mei ſemper in tuis precibus memor, digniſſimae Praeſul. Romae Kal. Januarii. Anno Domini MDXCIV.

EPISTOLA LXV.

CAESARI BARONIO

DICTUS A SANCTA FIDE EPISCOPUS NIVERNENSIS.

Laudat ejus ſcripta, poſtulatque ut de donatione Conſtantini fuſius agat.

CUM inter bellorum civilium acerbitates labores tui ad manus noſtras perveniſſent, dilectiſſime in Chriſto Frater ac Domine, ſtatim mihi in mentem venit illud propheticum „Magnificavit Dominus facere nobiſcum, facti ſumus laetantes„. Quid ni? Conſtat enim apertiſſime, impio ſuperabundante, incendi pauperem, ut comprehendantur Eccleſiae Chriſti hoſtes in conſiliis quibus cogitant. Tanto enim labore, tantoque ingenii acumine Centuriatorum retundis novaculam facientem Dolum, ut poſt pii eruditique Baronii ſcripta dicendum nihil ſupereſſe videatur. Unum pii multi apud nos optare videntur, & ſicubi res poſtulare videbitur, aut occaſio patiatur, veterem illam Laurentii Vallenſis fabulam de falſa Conſtantini donatione liberalius tractet tua fraternitas. Nam & ſi apud vos de donationis veritate illius inficiatur; & dubitet nemo in tanta veterum documentorum, virorumque eruditorum copia apud nos; tamen non deſunt ſiconſantae rei tantae veritati tenebras effundentes, aut ipſum effronte prorſus negantes regibus noſtris bonorum & facultatum ſolum Eccleſiae, e manibus Turcharum vindicibus, & reſtitutoribus, quod Conſtantino tribuit multis veneranda nominibus antiquitas. Id laboris, id honoris, id oneris Baronio ſoli debeatur in veterum documentorum cognitione omni verſatiſſimo. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit ſemper tecum Frater in Chriſto, & Domine multis nominibus venerande. Lugduni pridie Kal. Octobris. Anno Domini MDXCIV.

EPI-

EPISTOLA LXVI.

CAESARI BARONIO

JOANNES SORIA SOC. JESU.

De accepto quarto Annalium Tomo gratias agit, quem a doctiſſimis Viris laudari teſtatur.

O Eximiam, ac vere Caeſaream humanitatem? Ita ne vero? Tot etiam, atque etiam, Baroni Doctiſſime, epiſtolis provocas, ac incuriae, & oblivioni deditum, iterum excitas beneficiis praeteritis, allicias futuris? Quamquam haud video, quam vere dixerim, tui in hanc animulam, in hoc pectus oblivionem incidiſſe, cujus nulla non dies memoriam ſuaviſſimam refricet. Nam qui te non ferat animo, non corde ſaepius meditetur, qui de Eccleſiae Hiſtoriae, de Annalium Sacrorum Studioſis optime mereri non ceſſes. Et quidem ea diligentia, eo ſtudio, ut pietas ipſa omnigenam doctrinam, varietas doctrinae inſignem pietatis ardorem ſuperaſſe videatur. Haec vero tui animi, tui ingenii indicia vident omnes, in hos indices omnes animum advertunt ſuum. At ego ad tuae amicitiae interiora, ad iſta admiſſus, ſentio virtutum omnium ornamenta, ſic te illuſtrem, conſpicuumque omnibus reddidiſſe, ut pro Roma ipſa, pro tua jucundiſſima praeſentia, mihi Epiſtolae hae tuae, perbreves licet, futurae ſint, ac ſpeculorum inſtar, in quibus non adumbrata, ſed vere humilitatis, ferventiſque adverſus Deum amoris expreſſa imago videatur. Quod ipſum, & ii indicant, mecumque ſentiunt, quibus eas videre datum eſt. Quod vero attinet ad Eccleſiaſticorum Annalium Quartum Tomum, quem XIV Kal. Octobris accipere contigit, (nam ſecundus & tertius jam diu eſt quod limina, vel potius lumina noſtra attigerunt) gratias ob egregium munus & agimus, & quam maximas habebimus. Nec eſt quod ferulam timeat, quam ſcio levem ſatis, & evanidam eſſe, qui in totius Orbis ampliſſimo Senatu, theatro Nationum, ac Virorum doctiſſimorum ipſa nimirum Roma aeternam laudem promeretur. Certe a noſtrae familiae Juris doctiſſimis Bellarmino, Peterio, & noſtratibus Ribadeneyra, Suarez, quorum Deus bone? te non agnoſcis dignum diſcipulum,

qui

qui in graviſſimis Eccleſiae cauſis ſic verſaris, Superiorum juſſu, ut judex ſis, & arbiter ſedeas, eo loci habentur quo, quae laudibus, & commendatione digniſſima judicantur. Precor illum totius ſapientiae inexhauſtum fontem, ut te tamdiu ſervet incolumem, quandiu ſuprema operi adhibita manu, quod de Virgine Sanctiſsima tui in hoc opere aſsiſtrice mihi facile polliceor, Eccleſia ipſa ſuum decus eſt nomen tutari, & ejus quam contumaciſsimi hoſtes veritatis radios aliquando aſpicere poſſint. Vale mi Baroni, tuumque ſive amicum, ſive clientem dixeris, ut facis, ama. Granatae XX Kalen. Octobris. Anno Domini MDXCIV.

P. S. Epiſtolium quoddam, vel calathum potius dixerim, non florum, ſed foliorum inconcinne, ineptequc collocatorum tibi offerre non dedignabor. Id eo animo accipias velim, ut ab homine, qui in Hiſpalenſem profeſſorum domum amandet poſtridie, nec ſuppetierit tempus, ut dignum tuis oculis, ſuo vultui munus offerem; novi animum iſtum tuum, novi humanitatem. Illud quidem mihi ſcribebam, quod ſi alter quiſpiam tibi praelegerit, audienſque uſui fuiſſe inveneris, conſtabit operi pretium. Iterum vale.

EPISTOLA LXVII.

CAESARI BARONIO

GEORGIUS CARDINALIS EPISCOPUS CRACOVIENSIS (a).

Gratias agit de duobus Annalium Tomis ad ſe miſſis, eoſque ſummopere laudans, Auctorem ad proſequendum opus hortatur.

Reverende Domine tamquam frater honorande. Accepi non ita pridem duos Annalium tuorum Eccleſiaſticorum Tomos, munus mihi longe gratiſsimum, in quibus perlegendis quicquid temporis a publicis negotiis, & functione Epiſcopali ſupereſt,

(a) Georgius Radzvil natione Lituanus duodecim annos natus, haereticam pravitatem abjuravit, Catholicamque fidem ſuſcepit. Poſtquam in pietate ac ſtudiis haud parum profeciſſet, Valeriano Epiſcopo Vilnenſi Coadjutor in ea regenda Eccleſia a Gregorio XIII Pontifice Maximo datus eſt, a quo Romam evocatus, ut Eccleſiaſticarum rerum ſtudiis impenſius operam navaret, Catholicorumque dogmatum veritatem in ſinu Matris Eccleſiae melius addiſceret, poſtquam aliquot annorum ſpatio in urbe eſſet moratus, adveniente obitu Epiſcopi Vilnenſis, ad illam Eccleſiam properare coactus eſt.

Verum

ſupereſt, magna animi mei jucunditate, & utilitate conſumere ſoleo. Ita enim ea, quae ad antiquitatem cognoſcendam pertinent, tractas, ita explicas, ut ſimul & lumen rebus Eccleſiaſticis maximum afferas, & haereticorum oculos ſtrenue configas, nihilque aut nimia brevitate obſcuratum, aut variis, & pugnantibus ſententiis involutum relinquas. Quare immortales Deo Optimo Maximo ago gratias, qui turbulentiſsimis hiſce Eccleſiae temporibus tales nobis viros excitat, quorum ſtudio, & labore Chriſti gloria, Catholicaeque ejus Religionis amplitudo magis magiſque propagatur; tibi autem tuaeque virtuti gratulor, illudque cupio, ut quemadmodum in his quinque voluminibus publicandis, ſumma omnium utilitate, & maxima nominis tui gloria feliciter elaboraſti; ita reliqua, quae in magna omnium expectatione ſunt, nobis edas; laborumque tuorum a praepotenti Deo uberrimum fructum capias, cujus me amori, orationibus, & ſacrificiis diligenter commendo. Cracoviae VII Octobris. MDXCIV.

EPISTOLA LXVIII.

CLEMENTI VIII. PONT. MAX. (a)

CAESAR BARONIUS.

Quintum Tomum Annalium eidem ſummo Pontifici dedicat.

Quos confecimus te Pontifice, Beatiſſime Pater, Annalium tomos, ut tibi debitos, ſponte perſolvimus. Obtulimus nuper quartum, offerimus ecce quintum; eoque libentius, quo ſcimus, te & priorem grato animo accepiſſe, & ſub tanta licet mole curarum, quod vix credere quiſquam valeat, furtivis horis crebrius perlegiſſe. Si placuit ille, fortaſse hic non minus gratus accedet; quippe qui ſex Sanctiſsimorum Romanorum Pontificum rerum praeclare geſtarum fulgore reſplendeat, Anaſtaſii nimirum, Innocentii, Zoſimi, Bonifacii, Coeleſtini, ac denique Sixti; quos omnes, ut Deo acceptos, & poſt

Verum Gregorius Pontifex, qui inſignem Georgii eruditionem pietatemque perſpexerat, eum licet abſentem in Cardinalium Collegium cooptavit, atque Eccleſiam Cracovienſem Regni Poloniae primariam regendam gubernandamque tranſmiſit. Objit Romae anno ſal. 1600, aetatis ſuae XLIV.

(a) Nonnulla de Clemente VIII paullo ſuperius dicta ſunt in notis pag. 356.

& poſt obitum inter Sanctos adſcriptos, florenti rediviva memoria annis ſingulis celebrare Eccleſia conſuevit. Qui cum in omnibus digna ſucceſſoribus imitanda exempla reliquerunt, tum in eo maxime altitudinem animi oſtenderunt, cum inſigni pietate conjunctam, quod Dei Eccleſiam undique haereticorum agminibus circumſeptam, piratarum inſtar amicos ſimulantium, & ſe in eam obtrudentium, admirabili quadam prudentia illibatam divinitus conſervarunt.

Videre namque eſt eum qui primitus occurrit, laudatiſſimum Anaſtaſium circumactae, & undique exagitatae proditione Origeniſtarum periclitanti fidei praeſto eſſe, dum illius ſimplicitati illudentes Epiſcopi, nempe Siricii, qui de ſuo ingenio, ut Sanctos inquit Hieronymus, caeteros aeſtimabat, ſeſe in Eccleſiam, oblata Catholicae fidei confeſſione Pontifici, ſubdole immiſiſſent. At quales revera eſſent, a ſe perſpicue demonſtratos, penituſque detectos, idem Anaſtaſius mox anathematis illa ſententia profligavit; praeclare admodum ſucceſſoribus relinquens teſtatum, haereticorum poenitentiam, quantumlibet Catholicae aſſertione fidei declaratam, & chirographo conſignatam, haud feſtine ſuſcipiendam eſſe, ſed ſuſpenſa lance judicii prudentiore conſilio, longioreque examine diſquirendam.

His plane admonitus ejus in Pontificatu Succeſſor Innocentius, abſolutum licet in Concilio Palaeſtino Pelagium ſuas damnantem haereſes, & fidem Catholicam profitentem, Synodalibus quantumlibet litteris commendatum, ac probatum Catholicum, non ſolum recipere detrectavit, ſed penitus reſpuit, immo, & ſeveriori cenſura doloſum hominem ſubjicere voluit, atque excommunicationis ſententia condemnare, admirantibus magno illo magiſtro Catholicae Eccleſiae Auguſtino, & reliquis Africanis Epiſcopis, atque clamantibus omnia ab eodem veternoſo haereſiarcha proditorie, ac veteratorie agi. Quin & tanto vehementius exclamarunt poſtea, crebriſque litteris fatigarunt, dicam, & exagitarunt Zoſimum Succeſſorem Innocentii, cum perlatum eſt, Pelagium eumdem, ejuſque collegam Coeleſtium, oblatis poenitentiae cum recta fidei confeſſione libellis, ad audientiam, etſi citra communionem, admiſſos, & eorum cauſam ad Romanae Eccleſiae judicium, revocatam; quos tamen inventos fallaces, & fraudulentos idem Pontifex iterata damnationis ſententia perculit.

Par exemplum a Sixto Pontifice editum reperitur, dum ovi-

ovina pelle contectus ſe intulit lupus in Urbem, Julianum dico, Pelagianorum Signiferum, ceteris omnibus Catholicae Eccleſiae magis infeſtum, & ut ſedem de qua fuerat ante dejectus recipere poſſet, ſimulata fide Catholica, & fucata poenitentia ipſum Pontificem decipere conatus eſt. Sed quominus admitteretur, nec ulla ratione audiretur, Magnus ille Leo tunc Archidiaconus, ejus paulo poſt in Pontificia Sede Succeſſor, ſummo animi vigore interceſſit; magno plauſu excipiente populo, atque laetia proſequente dignam verſipellis hominis abſque auditione repulſam.

Haec eſt plane veteris obſervantiae arcte conſtricta fibulis Romanae Eccleſiae diſciplina, ſacris ſancita legibus, exemplis pluribus edita, & a Sanctis Patribus cuſtodita, ut non pateat facilis aditus haereticis ad Eccleſiam redeuntibus, qui ſimulationis, & fraudis vehementi ſuſpicione laborant. At longe ſeverior hoc tempore, quod hic ipſe exhibet tomus, extitit de his Eccleſiaſtica Orientalis Eccleſiae conſtitutio, cum in ſacro Epiſcoporum Concilio, Patrum omnium rogata ſententia, canon ſancitus eſt, idemque munitus ſubſcriptione Epiſcoporum omnium, potiſſimum vero Siſinnii Conſtantinopolitani, & Theodoti Antiocheni clariſſimorum Antiſtitum ſuper ceteros eminentium, ne Meſſaliani haeretici ſaepe recepti, & ſaepe relapſi, ſic crebro ludificantes Eccleſiae Catholicae majeſtatem, ullatenus amplius reciperentur, etiamſi millies poenitentiae libellos offerrent; quod ſcilicet cuncta illi agerent ſimulate. Sola namque ſimulatio uberem, perrennemque divinae miſericordiae fontem exſiccat; quam prae caeteris criminibus inſectati ſunt Apoſtoli, eorumdemque Princeps Petrus primo ultus eſt in Simonem Magum ſententiam damnationis intorquens, atque in Ananiam, & Saphiram Apoſtolicae ſeveritatis diſtrictum gladium repentino impetu vibrans.

Caeterum nunquam deſpexit, neque deſperavit aliquando lapſorum Eccleſia Romana ſalutem; nec invidet pia Mater vitae periclitantium filiorum, neque perditione morientium delectatur; quae, publicis etiam affixis olim edictis, delinquentes invitare conſuevit ad veniam, ſimul & illiciens ad poenitentiam imagines ob oculos ponere paſtoris ſuper humeros ovem geſtantis, quas in ſacris calicibus exculpare ſoleret, vel pingere. Verumtamen cum ovibus vere poenitentibus ſinum aperit, & obvias manus extendit, non temere, ac ſine delectu omnes accedentes

dentes excipere conſuevit, quos prius inſtruens voce praeconis jugiter illud inclamat; facite fructum dignum poenitentiae; & apoſtolico tonitruo ſemper intonat; magis ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis; opera illa exigens, quae progrediantur, ut ait Apoſtolus, de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Quibus ſi careant qui poenitentes ad eam ſe accedere profitentur, manus ipſa retrahat, & ſinum contrahat. Examinans iſta Gelaſius doctiſſimus Romanorum Pontificum ſcribens ad Euphemium Conſtantinopolitanum Epiſcopum. Quomodo, inquit, de corde puro, ſi haereticorum fuerint participatione polluta? Quomodo de conſcientia bona, ſi malorum fuerit confuſione permixta? Quomodo de fide non ficta, ſi fuerint mixta cum perfidis? Eadem rurſus repetit idem Pontifex, & inculcat, ut rem magni ponderis ſcribens ad Anaſtaſium Imperatorem.

Sic igitur ſemper ab antiqua Romanae Eccleſiae diſciplina alienum fuit, ut inexploratis lapſis indulgentia praecox occurrat. Quiſnam enim in his pertractandis ejusdem mos vetus exstiterit, ipſa Romani Cleri digna elogia manifeſtant, cum, ſine Pontifice, licet, ceſſante diu ſede, poſt decoratum nobili Martyrio Fabianum, ingruentem lapſorum turbam, & pulſantem inſtantius Eccleſiae fores, atque ut admitterentur in communionem urgentem repulit; quod id tentaſſent, non praemiſſa longioris temporis conciliatrice divinae gratiae poenitentia. Id quidem Epiſtolis ad Sanctum Cyprianum mirificum illum Carthaginenſem Epiſcopum datis, his primum verbis iidem profeſsi ſunt. Mirati ſumus ad hoc uſque proſilire voluiſſe, ut tam urgenter, & tam immaturo, atque acerbo tempore in tam ingenti, & immenſo crimine, atque delicto pacem ſibi non tam peterent, quam vindicarent, immo jam & in Coelis habere ſe dicerent. Ac rurſum. Abſit, inquiunt, ab Eccleſia Romana vigorem ſuum tam profana facilitate dimittere, & nervos ſeveritatis, everſa fidei majeſtate, diſſolvere; ut cum adhuc non tantum jaceant, ſed & cadant, everſorum fratrum ruinae properata nimis remedia communicationum, utique non profutura, praeſtentur, & nova per miſericordiam falſam vulnera veteribus tranſgreſſionis vulneribus imprimantur, ut miſeris ad everſionem majorem eripiatur & poenitentia, quam ſcilicet praemittere tenerentur, tanquam fidejuſſorem, & obſidem pacis Eccleſiae impetrandae. Quod ſi ea praeſtiterunt ex vitali Eccleſiae corpori perpetuo inhaerente

te divino Spiritu vivida, atque vocalia membra, quid viſibile caput Romanum Pontificem ipſi Chriſto conjunctum, & Chriſti ore loquentem, praeſtiturum fore crederemus? Sed de his hactenus. Haud enim patitur inſtituti ratio diutius immorari. Satis namque eſt, deguſtanda propinaſſe perpauca ex multis, quae praeſens hic tomus includit, foriſque tanquam ſigna in fronte operis poſuiſſe, & impoſuiſſe poſtibus de ſuperata ſaepius irrepente clanculum haereticorum perfidia trophaea praeclara Sanctiſſimorum Pontificum; quorum veſtigiis te fortiter, firmiterque inſiſtere, Eccleſia univerſa laetatur.

Jam vero, quod reliquum eſt, Sanctis tuis, Pater Beatiſſime, pedibus advolutus poſt duos oblatos Annalium tomos ampliſſimam benedictionem illam expeto, quam poſt duos allatos ad patrem Jacob filios Ephraim, & Manaſſen, ab eodem Sanctiſſimo Patriarcha ipſius filius Joſeph eſt feliciter conſecutus. Cuſtodiat te quam diutiſſime Deus incolumem, & defendat, qui turbulentiſsimo hoc tempore Eccleſiae ſuae inſcrutabili ſua providentia voluit, te eſſe praefectum.

EPISTOLA LXIX.

GUILIELMO COMITI PALATINO RHENI UTRIUSQUE BAVARIAE DUCI

CAESAR BARONIUS

Annalium Eccleſiaſticorum Tomum Quintum eidem offert.

CONſuevimus, ſereniſſime Princeps, in ſingulis ferme Annalium Tomos, poſt Summum Pontificem, Epiſtola nuncupare aliquem ex inherentibus ipſi Presbyteris, ſive Diaconis Cardinalibus. Quoniam vero, ſicuti Moyſi, non Sacerdotes tantum, atque Levitae, ſed & Joſue potentiſſimus Dux exercitus aſſiſtere conſuevit; ita & te religione pollentem, magnum Ducem utriuſque Bavariae intime inhaerere ſacro totius Religionis Antiſtiti, certo ſcimus, hac epiſtola inſigne nomen tuum proſequi mearum partium eſſe duxi. In te enim, inſtar Joſuae, praegrande illud divino munere miraculum editum quodammodo inſtaurari videtur temporibus noſtris, quo ſol ſtare jubetur, & prohibetur penitus deorſum ad occaſum labi; cum, inquam, abſque ter-

terrae obice noctis Sole illuſtrior Catholica Fides ſuper populum tibi ſubjectum ſemper lucens, forma, immobiliſque nutu Dei ſit juſſa conſiſtere, quae aliis finitimus provinciis, dilabens in occidentem, tenebroſae poſt ſe noctis reliquit horrorem. Qua in re etiam Ægypti noſcuntur renovata prodigia, dum atra, denſaque obvolutis illis ubique caligine, dumtaxat in nova Geſſen, Bavaria ipſa tua, veri Iſraelitae jucundiſſima luce perfruuntur, veritatis ſole in meridie radiis claritatis, & caritatis fulgore jugiter affulgente, ut impietatis frigus non ſentiant, & glaciei perfidiae ſint expertes, atque uberrimo proventu ſpiritualium frugum perpetuo potiantur autumno. His quidem omnibus tu ipſe abundans, & affluens, Romanam Eccleſiam in primis regia locupletaſti munificentia, cum ſacras memorias Sanctorum Martyrum praeclaris monumentis inſigniter illuſtraſti. Addidiſti vero ad ſummum decorem lucis operibus filios lucis, cum abs te genitos sereniſſimos Principes regiae ornamenta familiae, abſolutiſſima virtutum omnium exemplaria, ad Apoſtolicam Sedem miſiſti, viſuros, e religioſo veneraturos officio in ea ſedentem Vice Chriſti Clementem, recens creatum Pontificem Maximum. In quibus ſingulis tua auguſta eluxit imago. Ita plane ad menſuram bonam, ex Evangelii praeſcripto, appoſuiſti confertam, coagitatam, atque ſuperfluentem. Bona quidem illa menſura fuit, quam boni Principes praeſtare conſueverunt, cum Martyrum monumenta inſigniter exornaſti. At vero cum honorificentiſſimam legationem ad ipſum Clementem Summum Pontificem miſſam, majorem exiſtimaſti, quam ut credi deberet clariſſimis viris tibi ſubjectis; ſed ea tantummodo dignos putaſti ſublimes Duces, ipſos Principes filios tuos, cariſſima pignora; nempe Philippum Ducem, eumdemque Reverendiſſimum Epiſcopum Ratiſponenſem, inſtar Timothei Apoſtolico munere decorantem honeſtiſſimam juventutem, ſimulque germanum ipſius fratrem Ferdinandum Ducem, & Praefectum ampliſſimae dignitatis, clariorem vero integerrima probitate. Plane confertam menſuram addidiſti, atque coagitatam appoſuiſti. Tunc vero ſuperfluentem, aucto cumulo, ſuperinſudiſti, cum poſt paucos menſes ipſum primogenitum tuum, ſereniſſimum Principem Maximilianum regio apparatu miſiſti, accepturum a Sanctiſſimo Patriarcha, more majorum, benedictionem primogenito debitam.

Qui igitur tot, tantiſque Chriſtianam Religionem officiis excolit, & tam amplis Chriſti Vicarium ſucceſſorem Petri iſtis

prae-

praeſertim temporibus, frequentat obſequiis, Romanamque Eccleſiam muneribus auget, par eſt, ut eum omnes fideles ament, colant, venerentur, omnique ſtudio proſequantur. Quo quidem nomine ego ipſe, quod reverentia monet, ratio ſuadet, poſtulat magnitudo tuorum meritorum, implorat virtus, religio denique exigit, omnem exhibens tuae amplitudini obſervantiam, cultum praeſtans, impendens obſequium, pendens tributum, perſolvens debitum, quintum offero Annalium tomum; in cujus fronte, velut in atrio exculpta columna, haec de te memoria conſpiciatur erecta poſteris fidem factura, myſticam Dei Arcam diu exulem, apud te divertentem religioſiſſime eſſe ſuſceptam, ac reverentiſſime aſſervatam; & typicum Davidem cum ſuis profugum abs te honorificentiſſime habitum, conſecuturo ob digna merita una cum domo tua benedictionem a Domino impertitam Obededom, & in ſucceſſoribus divinam promiſſionem Chriſti teſtamento firmatam veris filiis Berzellai. Vale princeps maxime pie, teque Deus una cum ſereniſſimis Principibus filiis tuis ſua dextera jugiter protegat atque conſervet.

EPISTOLA LXX.

CAESARI BARONIO

GUILIELMUS DEI GRATIA COMES PALATINUS RHENI UTRIUSQUE BAVARIAE DUX &c.

Annalium opus laudat, eidemque de Tomo Quinto eorumdem Annalium ſibi inſcripto gratias agit.

AGnoſcunt hae ditiones, & tota ſine dubio Chriſtiana Reſpublica, quantum Reverentiae veſtrae debeatur, agnoſcentque, & profitebuntur hoc luculentius poſteri. Optaverunt hactenus pene omnia ſaecula, nobiliſsimam Hiſtoriam, quam Reverentia veſtra cum maxima non tam ſua, quam omnium Catholicorum laude jam perficit. Et quo vero illuſtrius hoc opus eſt, eo major his fit honos, quibus aliqua ejus pars dedicatur. Cum igitur nobis hoc de quinto tomo contigerit, quem nobis Reverentia veſtra ampliſsimis verbis obtulit; nos, filioſque noſtros, ad quos aeque pertinet illa gloria, ſummopere obligavit. Parati ſumus ob hoc obſequium, magiſque ob ipſum hoc praeſtantiſ-

ſtantiſsimum Annalium opus ad Reverentiae veſtrae ornamenta, & commoda conferre, quidquid ipſa, quod in nobis ſit, unquam voluerit. In teſtimonium hujus noſtri optimi animi aliquid mittimus ad Reverendum Minutium, quod Reverentiae Veſtrae reddat. Plane exiguum tamen illud eſt, ſi ejusdem Reverentiae Veſtrae meritis, noſtraeque erga eam benevolentiae magnitudine ponderetur. Orandus eſt Deus, ut Reverentiae Veſtrae vitam & vires, quas ei adhuc elargitus eſt in cauſam ſuam, ſuppeditet etiam deinceps. Nos Reverentiam Veſtram, hoſque ejus ſacros labores, & iſtam Reverendam Congregationem Oratorii maxime facimus, ſummeque diligimus. Datum Monachii die IX Novembris. Anno MDXCIV.

EPISTOLA LXXI.

GUILIELMO COMITI PALATINO RHENI, UTRIUSQUE BAVARIAE DUCI

CAESAR BARONIUS.

De ſcriptis ad ſe litteris eidem gratias agit, rogatque ne deſtinatum ſibi munus mittere velit.

ETſi, Sereniſſime Princeps, humanas laudes contemnere ſaepius obfirmato animo ſtabilierim, a Chriſtianiſſimo Duce oblatas, eas, quod ad Deum eaedem referri noſcantur, loco maximi muneris duxi. Quamobrem acceptas ab amplitudine tua litteras, non privata arcula, ſed publicum archivium perpetuo conſervabit, momentum poſteris ejus erga me ſtudii, & amoris. Caeterum quod ad miſſum donum pertinet, factum divina providentia puto, ut qui fert ipſum, in itinere detineri dicatur, quo dum res integra adhuc eſt, deprecer exemptionem, ne accipere cogar. Satis tibi ſit hactenus praeſtitiſſe, quod Regum eſt magis dare, quam accipere; mei tamen inſtituti eſſe ſcias, hoc nomine a nemine accepturum. Parcas rogo, neque munificentia tua propoſiti mei aſylum violentus irrumpas, primuſque januas hactenus omnibus clauſas importuna largitione perfringas. Conſulatur, obſecro, modeſtiae ſcribentis hiſtorias, quae Virginei candoris plane diſpendium patitur, ſimul ac referat regiis muneribus aditum. Hoc mihi pro maximo erit dono, ſi abſque donis

nis me diligere perſeveres. Vale Catholicae fidei inſigne decus, Deuſque celſitudinem tuam una cum Sereniſſimis Principibus filiis tuis incolumem ſemper ſervet; quibus rogo, meo nomine ſalutem plurimam dicas. Romae Idibus Januarii. Anno Domini MDXCV.

EPISTOLA LXXII.

JOANNI RULLENSI CANONICO COLLEGII SORBONICI

CAESAR BARONIUS.

Eccleſias Martyrum memorias dici conſueviſſe multis argumentis probat; & quod tardius reſpondeat, eam aſſignat rationem, quod innumeris amicorum litteris laceſſitus ex diverſis Orbis partibus miſſis, non poſſit omnino ſatisfacere.

QUOD tardius, quam par erat, reddo litteras, haud puto vitare poſſe, quin me redarguas nomine negligentiae, vel inofficioſi querela pulſes, aut forte etiam imperitiae nota ſugilles. Fateor quidem, niſi tuus me conveniſſet exactor, excidiſſet penitus e memoria illa a te ſcripta de Memoria quaeſtio. Verum abſit, ut te adeo ſeverum putem, ut excuſationem nullam accipias; immo aequius erit exiſtimare, te meum fore patronum, & aequum Judicem adjudicaturum mihi cauſam, cum audieris, quas pro mora excuſanda affero rationes. Accidit plane, ut mole obruar litterarum, quae e diverſis locis a Viris eruditis ſaepe redduntur; adeo ut ab Annalium ſcriptione ceſſandum propemodum eſſet, ſi mihi ad reſcribendum omnibus neceſsitas imperaret. Verum cum reſpondere differo, non contendo, ſed otium praeſtolor, quod quam rariſsime atque pauciſsime datur, & confeſtim abripitur; & interea accidat, ut e mente excidat, quod fixum in animo erat. Nec eſt etiam, ut me inofficioſum clames, quaſi tui oblitum, ſed recorderis velim a ſapiente referri inter leviſsima, quae cito labantur, memoriam hoſpitis unius diei; ut non ſit quod jure expoſtules, ſi ad unius horae ſpatium Romae te mihi notum, memoria non retineri contingat. Quod reliquum eſt, num jure redarguar; quod in Annalibus dixerim, inter alia nomina, Eccleſiam appellatam eſſe Memoriam;

Digitized by Google

moriam, quo nomine nuncupata dumtaxat dicis Altaria. In qua quidem oborta inter nos controverſia, non alium quam te ipſum decus Sobornicae Pariſienſis Academiae appello judicem. Atque primum non inficias imus eodem nomine, quod tu contendis, Altaria eſſe dicta; quin etiam quaelibet monumenta martyrum, ut diem natalem ipſorum, nomine Memoriae contineri pariter aſſevero. Verum, quod & profeſſus ſum, ipſas martyrum Eccleſias dici Memorias, quod tu negas, accipe ex duobus, vel tribus S. Auguſtini locis perſpicuam veritatem. XXII Lib. de Civitate Dei Cap. X, haec habet totidem verbis; *Nos autem martyribus noſtris non Templa ſicut Diis, ſed Memorias, quibus hominibus mortuis, quorum apud Deum vivunt ſpiritus, fabricamus, nec ibi erigimus Altaria, in quibus ſacrificemus martyribus, ſed uni Deo &c.* Rogo te, ad quid refertur illud; Nec ibi erigimus Altaria, niſi ad Memorias martyrum? Si vis igitur per vocem illam Memorias intelligi Altaria; affirmes neceſſe eſt, dictum eſſe, Altaria in Altaribus erigi; quod quam abſurdum ſit tu ipſe dicito. Unde, ut quilibet aſſeveret, neceſſe eſt ibi per Memorias intelligi martyrum Eccleſias, in quibus, & in honorem eorumdem martyrum Altaria erigerentur. Sed demonſtremus inſuper non ex verbis tantum, ſed ex rebus, Memoriam eſſe nominatam Eccleſiam, & quidem ingentem Baſilicam. In Serm. enim XXI de Diverſis hoc idem S. Auguſtinus recitat „ Ad glorioſi martyris Laurentii Memoriam, quae apud Ravennam nuper collocata eſt, ſicut audivimus, meruit ſanitatem „. Et quaenam fuerit memoria S. Laurentii, interroga Hieronymum Rubeum, qui res Ravennates copioſe proſequutus eſt, & invenies fuiſſe Memoriam illam, non Altare, ſed Baſilicam auguſtiſſimam nomine S. Martyris Laurentii excitatam ſub honorio Imperatore. Idipſum dicimus de Memoria S. Stephani Protomartyris, quam Anconae fuiſſe, idem Auguſtinus ſequenti Sermone teſtatur, cum ait; *Memoria antiqua ibi erat, & ipſa eſt ibi*. At haec erat Eccleſia nomine ejuſdem Stephani erecta, cujus etiam S. Gregorius meminit in Dialogo Lib. I, Cap. V, ubi agit de Sancto Conſtantio, & ejus Eccleſiae Manſionario. Vides ergo Eccleſias etiam dictas eſſe Memorias, quomodo & parietes indicant, & lapides ipſi clamant. Plura his adderem, niſi ſcirem plus ſatis, te ipſum perſuaſum. Vale frater, rogoque, ut ex iſtiuſmodi controverſiae nodis cum ſolventur, arctiora ad colligandam, ſtringendamque noſtram amicitiam vincula connectantur. Romae X Kal. Februarias, MDCXCV.

Digitized by Google

EPISTOLA LXXIII.

CLEMENTI VIII. PONT. MAX.

CAESAR BARONIUS.

Sextum Annalium Tomum eidem Pontifici dicat.

CUM ſacra tractantur, Beatiſſime Pater, haud ſatis eſſe cuilibet homini, praeſtantiſſimi licet ingenii, propriis niti viribus, certo illo declaratur exemplo, dum ad mechanica etiam elaboranda, fabro, etſi rerum divini cultus opifici, tanta haec divinitus eſſe impertita, Moyſes affirmat „ Implevit, inquit, Beſeleel Dominus Spiritu Dei, ſapientia, & intelligentia, ſcientia, & omni doctrina ad excogitandum & faciendum opus in auro, argento, & aere, ſculpendiſque lapidibus, & opere carpentario: quicquid fabre adinveniri poteſt dedit in corde ejus „. Sed & adjecit, ut ita divino ſpiritu bene confectum opus non ante ſacro eſſet uſui mancipandum, quam ab ipſo Moyſe fuiſſet cognitum, & benedictum. Quae quidem omnia cum ipſi, qui licet Deo ſacranda, fabrilia tamen tractabat, divinitus dari decuerit, quanto eadem majori cumulo expetenda erunt ab eo, cui elucidandae rerum Eccleſiaſticarum veritatis onus incumbit? Nempe ut ſpiritu veritatis ſemper afflatus, veritate undique conſtans opus abſolvat, atque illud ipſum demum antequam publice edat, ipſi, qui Eccleſiae preaeſt, univerſali Pontifici offerat cognoſcendum atque benedicendum. Cujus autem vetuſtiſſimi Eccleſiae moris, & ab Apoſtolis ipſis egreſſae traditionis pleraque manent ubique impreſſa veſtigia, imprimiſque Doctoris Gentium magnifica illa quidem. Etenim ut acceptum divinitus, quod ipſe teſtatur, Evangelium univerſae probaretur Eccleſiae, ne in vacuum cucurriſſet; ad hoc ipſum ut cognoſceretur a Petro, Hieroſolymam venit, atque apud eum diebus quindecim manſit. Cujus Apoſtoli inſtituti memores, qui poſt Apoſtolos vixerunt in Eccleſia ſacrarum rerum Scriptores, quos elucubrabant commentarios, eoſdem cognoſcendos, ac comprobandos mittere conſueviſſe ad Eccleſiae Romanae Pontificem, praeter alia, quae praeceſſerunt exempla, praeſens Tomus id indicat factum a ſanctis Turibio Epiſcopo Aſturicenſi, ac Caeſario Arelatenſi, inſuper ab Honorato, atque Gennadio Maſſilienſibus. Quae enim iſti adverſus Priſcillianiſtas, ſive Pe-

Digitized by Google

Pelagianos haereticos conſcripſere, eadem ad Leonem Magnum, ejuſque ſucceſſores Felicem, atque Gelaſium probanda miſere. Sed cum unus idemque mos eſſet univerſae Ecclesiae, quod Occidentales feciſſe dicimus, id ipſum eodem tempore ab Orientalibus praeſtitum, certum eſt. Etenim primariae totius Orientis Eccleſiae Orthodoxus Antiſtes, Joannem dico Alexandrinum Epiſcopum, elaboratum a ſe adverſus Pelagianos Apologeticum examinandum illum miſit ad Gelaſium Romanum Pontificem. Qui Apoſtolica, qua caeteris omnibus in Eccleſia Catholica emineret auctoritate, non de adhuc viventium tantum ſcriptis judicium protulit, ſed Pontificia majeſtate arbiter ſedens, quot quot ab Apoſtolorum temporibus edita eſſent de Chriſtiana religione volumina, ad cenſuram Eccleſiaſticam revocavit; eaque cuncta exacte perveſtigans, acute diſquirens, atque examinans accurate, tanquam os Domini, mundum ſegregavit ab immundo, & praetioſum ſeparavit a vili; tanta ſibi jure vendicans legitimus Chriſti Vicarius, clavis Davidis certus haeres. Cui Catholicae veritati qui adverſatur, Dei ordinationi reſiſtit, diſpergereque convincitur, qui cum illo non colligit; ſed & tamquam fur atque latro, qui aliunde, & non per oſtium intrat, ab eo dumtaxat aperiendum, qui ſcientiae clavem haereditario jure poſſedit. His ergo admonitus, ſanctiſſime Pater, in primis quo debiliores ſentio mei ingenii eſſe vires, eo enixius ſemper ſtudui divinum auxilium implorare, ut quae Deus ſponte rerum ſacrarum fabro conceſſit; eadem rerum Eccleſiaſticarum Scriptori expoſcenti non deneget, inde vero ſummo labore partas meas lucubrationes, qualeſcumque illae ſint, antequam edantur, more majorum, Romanae Eccleſiae cenſurae ſeveriſſimae ſubjicere conſuevi; eaſdemque probatas, Apoſtolica benedictione veluti divino quodam ſigillo conſignandas offerre, ut duplici munimento ſecurae, nullo umquam poſſint adverſantium labefactari conatu; cum certum ſit, nulla vi ventorum, vel imbrium impetu disjici poſſe aedificium illud, quod conſtat ſupra firmam petram habere ſolidum fundamentum. Accipe igitur, poſt quartum, & quintum, adhuc ſextum hunc Annalium tomum, quem tua auctoritate cognitum, atque probatum Pontificia benedictione locupletes. Ex eo quidem in aerumnoſis his atque deploratis temporibus, quibus Sancta Eccleſia immenſis motibus jugiter agitatur atque concutitur, haud mediocrem conſolationem divinae providentiae, qua ſuam Eccleſiam moderatur, haurire poſſis, cum

 illa

illa deploratiſſima tempora repreſentet, quibus inter alia illud etiam accidit infeliciſſimum, quod nullus omnino toto orbe Chriſtiano Catholicus Princeps extaret, ſed cuncti Reges, & Imperatores haereſibus tenerentur impliciti, & cum Italia, ipſa Roma, Romanaque Eccleſia ſub Gothico & Ariano gladio ingemiſcerent, quando ex inſperato ſuſcitat ſibi Deus hominem ſecundum cor ſuum inſtar David, ſervum fidelem, Regem Francorum Religionis Catholicae profeſſorem, atque acerrimum defenſorem Chriſtianiſſimum Clodoveum; qui e Gentilitium ſuperſtitione converſus, illud ipſum, quod accepit ab Eccleſia Catholica Evangelium, in Francos omnes qui aderant, & in poſteros feliciter propagavit; atque demum proxime moriturus, inſigni pietatis exemplo ipſum quod ſciret unicum eſſe totius Eccleſiae viſibile caput, corona regia redimivit, mittens ad Apoſtolorum Principis Petri Confeſſionem, perſuaſione Sancti Remigii Francorum Apoſtoli coronam auream gemmis ornatam. Dona vero Regum non ſolum pretioſa, ſed myſtica quoque eſſe ſolere, teſtificatione etiam Evangelica admonemur, cujuſmodi Clodovei fuiſſe munus, eventa probarunt. Eo enim obſequio viſus eſt dans coronam oppignoraſſe regnum ipſum in Eccleſiae Romanae praeſidium. Coronam enim illam, regnum nominatam fuiſſe, qui res geſtas Francorum ſunt proſecuti teſtantur, eoque munere illud Deo dicare voluiſſe, atque perpetuo ſtabilire. Dum enim ſupra Petram, Petrique Confeſſionem Regni coronam poſuit, Regnum ſuum ſtabili firmamento firmavit, ut rerum multiplices exitus declararunt. Etenim collapſis, everſiſque penitus caeteris barbaris, qui invaſerunt Romanum Imperium, Gothis, Wandalis, Sveviis, Alanis, Erulis, Hunnis, & Longobardis, ſola corona Francorum Apoſtolica protectione ſecura, conſtans, firmaque permanſit, majoribus in dies acceſſionibus aucta, atque ſplendoribus illuſtrata; tunc tantum viſa nutare, obſcurari, & in ultimum diſcrimen adduci, cum ab haeretica labefactata perfidia, Apoſtolico eſt praeſidio deſtituta. Inde dumtaxat, ſero licet iiſdem intelligentibus Francis, ipſa conſecutura remedium, ſi eo, unde excidit, revocetur; ad ipſam videlicet immobilem Petram, Apoſtolicamque Confeſſionem, atque denuo ſuper illius capitis verticem honorifice collocetur, ubi primum a primo Chriſtianiſſimo Rege Francorum poſita, mira claritudine ſemper toto terrarum orbe refulſit.

Id unum cum optent Catholici omnes, petantque fideles, ad

ad idque ſemper ſuſpiret, & anhelet moerens in cinere, ſedens omni deſtituta ſolatio Eccleſia Gallicana, tu ipſe, Beatiſſime Pater, aſſiduis a Deo precibus vehementius poſcis, expoſciſque potententius indeſinentibus lacrymis, atque efflagitas repetitis quotidie ſacrificiis, immenſo rurſum Francos dolore parturiens, donec ut prius, efformetur Chriſtus in eis. Annuat votis Deus, & exoptato placatus aſpiret, ut quod omnes cupiunt, alterum tibi excitet Clodoveum, cujus ope diu depreſſum conſurgat Francorum regnum, & ut olim, florentiſſimum rurſum appareat; ſicque meliorum viciſſitudine rerum, ſecundum praedicationem illam Propheticam „ Pro cinere coronam accipias, oleum gau„ dii pro luctu, pro ſpiritu moeroris pallium laudis: ut rurſum „ vocentur in eo fortes juſtitiae plantatio Domini ad glorifican„ dum „. Ædifices deſerta a ſaeculo, erigas ruinas antiquas, civitates diſſipatas inſtaures; & qui alieni facti erant, reverſi conſiſtant, tecumque paſcant gregem tuum. Has tantas ſecum afferat a Deo praeſtandas benedictiones, qui modo Sanctitati tuae Tomus iſte benedicendus offert, ut laeteris in Domino, cujuſque feliciter ſemper Catholicae Eccleſiae profuturus.

EPISTOLA LXXIV.

PETRO ALDOBRANDINO CARDINALI (*a*)

CAESAR BARONIUS.

Sextum Tomum Annalium eidem offert.

EXigit a me, Cardinalis Ampliſsime, priſtinae conſuetudinis uſus, ſimulque praeſtans tua dignitas admonet, ut Sextum hunc Annalium tomum Summo Pontifici oblatum, ejuſque benedictione ſignatum, tibi primum tradam, qui eidem ſacrae miniſterio functionis proxime ades, & ſanguinis neceſsitudine conjunctior haeres, atque laborum participatione una conjungeris. Idque eo libentius, quod ſciam veterum Diaconorum exemplo, & inter alios ejus, cujus tu nomen & munus geris, Petri Sancti Gregorii Papae Diaconi, ejusdem ordinis Dei miniſtros non in

(*a*) Fuit hic patria Romanus, origine Florentinus, Clementis VIII Pont. fratris filius. Apud Vallicellianos noſtrae Congregationis Presbyteros adoleſcentulus praecepta hauſit liberalis & piae educationis; unde S. PHILIPPUM Nerium, & Caeſarem Baronium a teneris, ut Graeci dicunt, unguiculis ſommopere coluit. Obiit Romae die X Februarii anno 1621, & in aede Sanctae Mariae ſupra Minervam ejus corpos tumulo traditum eſt. Vide quae de hoc Cardinali habentur apud Ciacconii Continuatores in ejus Vita Tom. IV, col. 281, & ſeq.

in ſacris tantum, ſed in re etiam litteraria Romanis Pontificibus aſtitiſſe, ſi quando ab ingruentium negotiorum turba ceſſare liceret. Quid enim gratius & honeſtius, atque homine Eccleſiaſtico dignius, quam ſi de Eccleſiae antiquitatibus diſſerat; ſecundum illud Eccleſiaſtici „ Sapientiam omnium antiquorum „ exquiret Sapiens? „ Exempli igitur Petri Diaconi, S. Gregorium pie interrogantis, & argute quaerentis, elicientiſque e Sapientiae promptuario per Dialogiſmum divina reſponſa, Patrem cum interrogas, dicet tibi, & patruum dum interpellas annunciabit tibi, fietque, ut cui miniſterio aſsiſtis, ipſe magiſterio tibi proſit; beneque verſa vice modo Clemens Petrum Eccleſiaſticis inſtruat inſtitutis, cum olim a Petro Clemens iisdem fuerit eruditus. Cui quidem & eo nihil fuit antiquius, quam ut te a puero optimis moribus inſtitueret, & veluti in puriſsima cera, in optima indole omnium virtutum imagines efformaret. Quod quam feliciſsime ſit aſſecutus, teſtes nos omnes ſumus, qui novellae plantae primitias deguſtavimus toto illo anni curriculo; nobis autumno perpetuo; quo te apud nos reliquit idem patruus tuus, tunc S. R. E. Cardinalis, cum honorificentiſsimae legationis munere a Sixto Pontifice in Poloniam mitteretur.

Si igitur tanta luce adoleſcentiae tuae matutina crepuſcula micuerunt; qualem decet juventutis expectare meridiem, cum preſertim fulgor tantae acceſſerit dignitatis? Quo nomine magna plane abs te Diacono Paulus Apoſtolus, praeſcribens legem Diaconis exigit, & jure quidem; noſti enim quae de his tradat Martyr Ignatius ſcribens ad Trallianos. „ Quid, inquit, „ Diaconi, niſi imitatores Angelicarum virtutum, Deo mini- „ ſtrantes miniſterium purum, & immaculatum, ut S. Stepha- „ nus beato Jacobo, Timotheus, & Linus Paulo, Anacletus & „ Clemens Petro? „ Cum vero tanta haec a quibuslibet etiam minorum Eccleſiarum Diaconis requirantur; qualia praeſtanda putas a Diacono primariae totius Orbis Eccleſiae? Satis eſt illis, ſi ad illuſtrandas ſuas, quibus miniſtrant, privatas Eccleſias, poſiti ſint ſupra candelabra ardentes lucernae; ad illuminandam autem illam, quae ſua amplitudine continet omnes, quotquot ſunt in Orbe fideles, plane convenit eſſe ſolem; unde merito & ſummo illo gloriae titulo iidem decorantur, ut etiam Illuſtriſsimi nominentur.

Ad haec tanta praeſtanda cum multa ſuadeant, atque provocent, domeſtica te tamen exempla compellunt. Joannis in pri-

primis patrui tui S. R. E. dignisſimi Cardinalis, in quo tanquam in antiquae probitatis, vivo reddito exemplari virtutes omnes una cum doctrina incomparabili miro decore fulſere; inſuper & ejus germani, tui vero inſtitutoris & promotoris Hyppoliti, iiſdem plane virtutum, atque ſcientiae, ſed longe majoris dignitatis, nempe Pontificatus Maximi inſignibus exornati; cujus merita ſi ex divini judicii compenſatione perpendas; cum ſervus bonus atque fidelis ſit ille, quem Dominus ſuper multa conſtituit, plane optimus & fideliſſimus habendus eſt, ipſe ſuper omnia bona ſua a Domino conſtitutus. Horum tu conſectare veſtigia. Quae cum Coelum verſus eſſe directa, & longioribus ſemper ſpatiis, ut feſtinantium eſſe ſolent, leviter humi preſſa vides; tibi magis magiſque in dies velocius currendum eſſe, ut eos aſſequaris, intelligis. Hanc a ſene tui amantiſsimo, cum munere etiam admonitionem accipere, grato animo ne recuſes. Vale.

EPISTOLA LXXV.

CAESARI BARONIO

GARZIAS LOAISA S. P. D.

Gratias agit de acceptis a ſe litteris, ac de ſui mentione in Annalibus facta, promittitque ſe curaturum, ut ejus ſtudia Catholico Regi innoteſcant.

CÆſar Baroni doctiſſime magna cum animi voluptate legi Epiſtolam tuam. Tibi immortales gratias ago, quod in orbe Chriſtiano ſcribendo occupatus, calamum ad me deflexeris, libroſque meos legendo honoraveris, & Commentariis tuis immortalitati mandaveris. Dabo operam cum ſe occaſio obtulerit, quam ego inquiram, ut apud Catholicam Majeſtatem ſtudia, & conatus tui, ut par eſt, commendentur, ut animus tantis virtutum & ſcientiarum honeſtatus ornamentis, debita laude non defraudetur & gloria. Annales tuos avide legi. Redolent pietatem & eruditionem, & Eccleſiaſticae Hiſtoriae, quod difficillimum eſt, veritatem. Excuſos uſque ad quintum tomum habeo, alios ſi miſeris, erit mihi jucundiſſimum. Nullum enim gratius munus, quam ingenii foetus ab auctore donatus. Vale. Matriti XIII Kal. Junias MDXCV.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA LXXVI.

GARCIAE LOAISAE

CAESAR BARONIUS.

Primum de Officio, quod ſibi erat pollicitus apud Regem Catholicum, gratias agit; a quo tamen opes ſe non quaerere profitetur, quod nullius rei indigeat; tum ſextum Annalium Tomum ad illum mittit.

QUod amantiſſimis redditis ad me litteris etiam quam humaniſſime omne tuum pro me apud Regem Sereniſſimum officium polliceris, ſummas, easdemque immortales gratias ago. Sed liceat, rogo, mihi illa verba uſurpare, quae eadem offerenti Eliſaeo Prophetae mulier Sunamitis, ſignificans ſe his minime indigere, ita ſcite, atque argute reſpondit ,, In ,, medio populi mei habito ,,. Haec ego multo ſelicius proferam degens in medio fratrum meorum nulla re penitus indigens. Verum cum a rege opes non quaeram, gratiam tamen Regis Catholici plurimi facio, quam ut per te conſequi merear, vehementiſſime rogo. Quem diu promiſi, modo accipere digneris obſecro ſextum Annalium tomum, penſum debitum ſervitutis, pignus amoris, atque ſignum obſervantiae in te meae. Vale viveque feliciter Baronii tui memor. Romae XIII Kal. Auguſti. Anno Domini MDXCV.

EPISTOLA LXXVII.

CAESARI BARONIO

DIONYSIUS HIERONYMUS DE ORBA (*a*).

Annales mirificis laudibus extollit, teſtaturque illos ab omnibus deſiderari.

HIſtoriam Eccleſiaſticam multos non ignoro erudite conſcripſiſſe. Caeterum poſtquam illi veteres jam deceſſerunt, ab hinc

(*a*) Etſi in apographo hujus litterae, quod prae manibus habemus legatur *Dionyſius Hieronymus de Orba*, nihilominus apud Nicolaum Antonium in Biblioth. Hiſpanica Tom. I, pag.

Digitized by Google

hinc citra longiſsimis annis, inde fit, ut neceſſarium fuerit uſque ad noſtra tempora eamdem percurrere. Inter eos autem, qui noviſſime ſcripſerant, neminem certe reperi praeter te, qui melius, & accuratius omnia ſigillatim fuerit perſequutus. Opus enim tuum, nomina, cognomina ſeriem temporum, aetatum, & rerum geſtarum miro artificio continet. Nullus eſt Praeſul, nullum Coenobium, nullum Capitulum, nullus homo in dignitate poſitus, & conſtitutus, nulla denique Bibliotheca, in qua tuum opus concinnatum perpulchre non reperiatur. Haec ſunt, quae brevi exaravi, ut grati animi teſtimonium tibi oſtenderem.

„ Perge igitur felix, & nil vereare ſuperbos,
„ Lumine namque tuo livida turba ruet „.

Vale. Barcinone Chriſtianiſſima Urbe. Pridie Nonas Junii. MDXCV.

Inſtitutiones meas Oratorias, Reſolutiones in Logicam, Aethicam, ac Phiſicam, Quaeſtiones, ac Solutiones earumdem, typis Caroli Peſnot Lugdunenſis 1584 excuſas, ignoro an videris; Si dignas tuis oculis ſenſero; ut flores pluvia gravati, ad ſolis radios erigentur; ſic me ad alia longe majora edenda concitabis, Iterum Vir eruditiſſime Vale.

EPISTOLA LXXVIII.

CAESARI BARONIO

ROLANDUS VVINCHELIUS.

Oſtendit ſummum amorem erga eumdem, & deſiderium per Epiſtolas agendi.

NON minorem culpam ſuſtinet, mi Baroni, qui in amicitiae cultu, quam ex morum ſimilitudine ortam, conſuetudo auxit, & honeſta quaedam in beneficiis dandis, reddendiſque concertatio ſtabilivit, incurium ſeſe atque oſcitantem exhibet, quam qui rem familiarem lautam, pulcherrimamque ſuppellectilem ſua inertia dilabi ſinit. Immo quo certior eſt illius, fructuoſiorque omnium conſenſione poſſeſſio, tanto illinc jactura gravior, turpiorque ex remiſſione exiſtit infamia; cum praeſertim ad amicitiae conjunctionem tuendam, quam, virtus amoris con-

pag. 451. pro *de Orba* habetur *de Jorba*. Ceterum fuit hic Catalanus, ac Barcinone nobili loco natus, Juris utriuſque Doctor. Civiliſque interpres publicus in Academia Barcinonenſi. Edidit Inſtitutionum Oratoriarum libros quinque ad Joannem Dimam Loris, ejusdem urbis Epiſcopum, Barcinone 1581 in 8.

ciliatrix & adminiſtra, contraxit, eadem abunde, ad quae firmiſſime adnitatur adminicula, ſubminiſtret, quae cum omnibus praeſto ſint, & in nobis poſita, nullaque laboris externi contentione parentur, certe mollis, & fracti animi notam ſubeat neceſſe eſt, qui vel paululum moleſtiarum in re optima amplificanda, conſervandaque ſubterfugiat. Etenim ſi ſingulae res iiſdem, quibus procreatae ſunt rebus, adoleſcunt, augeſcunt, atque ad id, quod naturae ſuae perfectum eſt, ſenſim perveniunt, idem profecto virtutis ſemen, quod amandi, quidam quaſi ſenſus, complexu ſuo excepit, amorem deliteſcentem eliciens, paulatim pubeſcentem grato quodam, perpetuoque incremento ſua ſponte firmabit; & jucunda benevolentiae remuneratione, qui fructus eſt amicitiae uberrimus a virtute profectus, ad ſummum uſque perducit. Quid vero vel ipſo uſu delectabilius, vel ad exercendum parabilius, viciſſitudine redamandi? Quid facilius beneficae voluntatis ſignificatione? Quid denique expeditius interdum, vel ex intervallo animi ſui propenſionem novo aliquo ſtudii inditio per litteras amico patefacere? A quo officii genere qui abhorret, vel ſuum in re perneceſſaria faſtidium, vel naturae aſperitatem, vita ab amicis deſerta ſe oblectantis, congreſſuſque familiarium averſantis prodere videtur. Verum cum optima natura parens omnibus ſocietatis appetentiam ingenerarit, cujus illecebram, nexumque virtutem eſſe voluit, utpote quae facillime in animos hominum ſua pulchritudine influeret, admirabileſque ſui amores excitaret; hinc effectum eſt, ut tacito quodam inſtinctu, quorum bene morata vita, lumenque praeſtantis virtutis ob oculos verſaretur, benevolentiam ſubito concitaret, & admirationem; quam arctior poſtea in amante caritatis colligatio ſequeretur. Quid mirum igitur, mi Baroni, ſi excellentium tuarum virtutum decus, ac nominis celebritas totum me ad ſe rapuerit, tuaeque familiaritatis ſtudio vehementiſſime inflammarit? Sentio equidem tam altas radices amorem tui in me egiſſe, in eamque magnitudinem exarſiſſe, nihil ut addi poſſe videatur; quoquo me verto, praeſens es, in quaſcumque terrarum partes me abdo, menti unus obverſaris, noctesque dieſque tui occurrit memoria, numquam moleſta, numquam intempeſtiva. Ægre tamen, ut fit, tui deſiderium fero, miſerumque interdum habet ac ſolicitum, dum ad amicorum inopiam, quibuſcum moleſtias partiar, quorum in conſiliis acquieſcam, cogitationem converto; noviſque amicitiis indulgendum eſſe mecum reputo. Unum interim ſummopere me recreat, & in

& in ſpem, cogitationemque meliorem inducit, fore nimirum ut propediem velis remiſque ad vos convolem; aut ſi ſecus Deo viſum fuerit, commercium tuum majore cum foenore per litteras mihi reſtitutas; in quo aegreſcentis animi medicinam, & condimentum haud mediocre moleſtiarum poſitum eſſe video. Quod ut facias humanitatem tuam, caritatemque obteſtor. Quod ad me attinet, adhuc parturio. Partum ut Deus ſoſpitet, fortunetque rogandus erit. Quorſum tamen evaſurus ſit, nondum peſpicio. Quod in conficiendo negotio caput eſt, bene erga me animatum, a quo ſumma rei dependet, jampridem comperi, niſi quis Davus turbet hominem, odiumque ejus in me conflet. Interim litteratorum hominum ſtudia, quae unica hac in re proviſio eſt, diligenter aucupor; collecta quo poſſum obſequio, tueor, ut his munitus, ſeptuſque clauſas adhuc precibus meis aures expugnem. Nudius tertius in familiaritatem Ferdinandi Mendoza (*a*), viri & generis claritate, & praeſtantiſſimarum artium cognitione, ſummae apud ſuos, & Cardinalem Aſcanium auctoritatis, maximo Dei beneficio incidi; qui multis ſermonibus ultro citroque habitis, nunquid Baronium noſſem Urbis delicias, percunctatus, dum conſuetudine tua uſum inaudiſſet, laetitia pene geſtiens, illico tuas laudes pleno ore praedicavit, ſuaſque mihi Commentationes in Concilium Illiberitanum penſiculate, & accurate a ſe ſcriptas, amoris non vulgaris ſui erga te teſtes, in quibus perhonorificam tui mentionem facit, haud gravate lectitavit. Limatum eſt, aequabile ſcriptionis genus, in quo & ingenii amaenitatem, & eloquentiae vires, & totius antiquitatis peritiam oppido exquiſitam oſtendit. Sed vino vendibili, ut eſt in proverbio, non eſt opus ſuſpenſa hedera. Tu ubi guſtaris, ſi probe judicium tuum calleo, ſententiae meae ſuffragabere. Va-

le,

(*a*) Tres hoc tempore apud Hiſpanos floruere hujus nominis clariſſimi viri, quorum quum duo Clericorum Regularium Soc. Jeſu familiae nomen dederint; de tertio juris utriuſque doctore hoc loco ſermonem haberi, facile conjectari licet. Fuit hic ex nobiliſſimis parentibus ortus, ſcilicet Joanne Hurtado a Mendoza, & Agnete a Ribera; tantoſque in juris utriuſque ſcientia, ac praeſertim in Canonicis litteris, brevi tempore progreſſus fecit, ut facile omnes aequales doctiſſimoſque totius Hiſpaniae viros in ſui admirationem commoverit. Verum tantus vir poſt edita permulta ſummae eruditionis monumenta, in teterrimum dementiae morbum incidit, manſitque ad mortem uſque Mattiti miſerabiliter eo detentus: foeliciori quidem vita atque exitu dignus. Edidit Mendoza adhuc adoleſcens Diſputationes in locos difficiliores tituli *de Pactis* in digeſtorum libris, Compluti 1586 in fol. Maturioris autem aetatis & accuratioris operae fructus ſunt de confirmando Concilio Illiberitano ad Clementem VIII P. M. Libri tres; Matriti apud Thomam Juntam 1594. Conſule Nic. Antonium in Biblioth. Hiſpan. Tom. I, pag. 290.

le, mi Baroni, & Deum mihi propitium tuis precibus redde. Mantuae ad III Idus Septembris.

EPISTOLA LXXIX.

JOANNI JUVENALI ANCINAE (a).

CAESAR BARONIUS.

Arctiorem vivendi rationem meditanti, ſuadet ut in ea qua vocatus fuerat vocatione permaneat.

Quid feciſti? Parcat tibi Deus. Veluti improviſo tonitruo perculſus contremui totus, ubi tuas legi litteras. Siccine tui, tuorumque fratrum oblitus, ea meditaris, quae & tibi levitatis, & nobis crudelitatis notam inurant? Eſto, quietem optas.

(a) Ven. Joan. Juvenalis Ancina Foſſani in Subalpinis natus eſt die XIX Octobris anno 1545. Ad Montem Peſulanum in Galliis miſſus, ubi iis litteris, quibus puerilis aetas imperiiri debet, inſtitutus, primum ad Montis Vici, mox ad Patavii Univerſitatem ſe contulit, ut gravioribus diſciplinis operam daret. Ibi paucis annis in Medicinae, atque Philoſophiae facultatibus eos proiectus fecit, ut dignus a collegio doctiſſimorum hominum Academiae Taurinenſis doctorali laurea judicatus fuerit; quo auctus honore Romam venit, atque hic in theologicis ſtudiis prae caeteris praeceptorem habuit Ven. Cardinalem Bellarminum. Familiaritatem eorum appetebat, qui ingenii, eruditionis, doctrinae, aut pietatis fama praeſtabant, hos colebat, obſequio tuebatur. Et quoniam eae amicitiae ad vitae exitum firmiſſimae durant, quae morum ſtudiorumque ſimilitudine copulantur; ita Ven. Caeſari Card. Baronio amicitiae nexu ſe obſtrinxit, ut illud non modo vinculum nulla unquam diſſidii calamitas diſtraxerit, ſed ne remiſerit quidem. Opera ejusdem Baronii totum ſe in diſciplinam S. PHILIPPO Nerio tradidit, a quo inter Presbyteros ſeculares ſuae Congregationis admiſſus eſt. Ab omnibus in pretio habitus fuit ob excellens ejus ingenium, ſingularem doctrinam, caſtiſſimos mores: rem omnibus ſaeculis admirabilem; nam ſummum ingenium ſummamque eruditionem, ſine aliqua admixtione vitiorum vix reperiri contingit. Verum noſter Ancina in omni virtutum genere eos progreſſus fecit, ut de eo in Sanctorum numerum referendo jamdudum agatur. Multa Sacerdotia ſibi a Summis Pontificibus oblata recuſavit, ſed tandem Clementis VIII juſſu volens nolenſque Salutiarum Epiſcopus renunciatus fuit, cui quidem Eccleſiae duorum annorum ſpatio admirabili pietatis & paſtoralis ſollicitudinis laude praefuit. Obiit die XXXI Auguſti 1604, aetatis ſuae anno LVIII. Qui plura de ejus vita & moribus ſcire deſiderat, adeat ejus vitam conſcriptam a Petro Jacobo Baccio noſtrae Congregationis Presbytero Seculari. Romae 1671. Ejus etiam vitae compendium litteris mandavit Janus Nicius Erithraeus, ſive Joan. Victorius de Rubeis, quod tamen nunquam impreſſum eſt, extatque MSS. in noſtra Bibliotheca Vallicellana. At vero hoc in loco temperare mihi non poſſum, quin in medium afferam luculentiſſimum hoc S. Franciſci Saleſii Epiſcopi Gebennenſis de Ven. noſtri Juvenalis pietate, ac doctrina teſtimonium, relatum etiam a Baccio in ejus vita pag. 351, quod ita ſe habet. „ Gratiſſimum mihi, & „ jucundiſſimum eſt, quod audio de vita & „ vivendi ratione Periluſtris & Reverendiſ- „ ſimi Patris & Domini Juvenalis Ancinae „ propediem in lucem emittenda; cum enim „ ut Magnus Nazianzenorum Pontifex Gre- „ gorius dixit, Epiſcopi ſint pictores virtu- „ tis,

optas. Quis neget? Quot ſunt in noſtra domo receſſus, quot ad quietem diverſoria, ſive Neapoli, ſive Romae, ſive S. Severini
ea

„ tis, rei praeclariſſimae, remque tam ex-
„ cellentem verbis ac operibus concinne, &
„ quoad fieri poteſt accurate pingere de-
„ beant, non dubito, quin in noſtri clariſſi-
„ mi & ſpectatiſſimi Juvenalis vita juſtitiae
„ chriſtianae, hoc eſt omnium virtutum om-
„ nibus numeris abſolutam imaginem con-
„ ſpectuti ſimus. Et quidem cum Romae
„ quatuor illis, vel quinque menſibus, qui-
„ bus piiſſimi, ac ornatiſſimi praeceſſoris
„ mei Claudii Granierii, juſſu hujus Dioe-
„ ceſis aliquot rebus tractandis operam de-
„ di, plurimos ſane vidi eximia ſanctitate &
„ doctrina viros, qui Urbem & in Urbe
„ Orbem ſuis laboribus exornarent: ſed in-
„ ter eos omnes iſtius ſeorſum virtus mentis
„ meae oculos vehementer occupavit. Mi-
„ rabar etenim in tanta viri eruditione, ac
„ variarum rerum ſcientia tantam ſui ipſius
„ deſpicientiam, in tanta oris verborum ac
„ morum gravitate tantam leporem, tan-
„ tamque modeſtiam, in tanta pietatis ſolli-
„ citudine, tantam urbanitatem ac ſuavita-
„ tem, cum nec fauſtum, quod pleriſque
„ contingit, alio iactu, ſed vera humilitate
„ calcaret, nec inflante ſcientie caritatem
„ oſtentaret, ſed caritate aedificante ſcien-
„ tiam inſtrueret; dilectus plane Deo & ho-
„ minibus. qui Deum & homines puriſſima
„ dilectione proſequeretur: puriſſimam au-
„ tem appello eam dilectionem, in qua vix
„ quidquam amoris proprii, ſive philautiae
„ reperire licebat: rara & exquiſita dilectio
„ iſta, quae etiam inter pietatis cultores
„ raro viget; unde procul, & de ultimis
„ finibus pretium ejus. Obſervabam vero ho-
„ minem hunc, cum ſeſe daret occaſio, tam
„ luculenter, tam ſincere, tam amanter ſo-
„ litum laudare variorum Religioſorum, &
„ Eccleſiaſticorum, immo etiam Laicorum
„ inſtituta, mores, doctrinam, Deoque in-
„ ſerviendi methodum, ac ſi ipſe eorum
„ congregationibus, aut coetibus addictus eſ-
„ ſet: cumque ſuam, ſibique dilectiſſimam
„ clariſſimi Oratorii Congregationem dul-
„ ciſſimo, & plane filiali corde complecte-
„ retur, non tamen propterea alios conven-
„ tus, coetuſve Deo ſervientium frigidius,
„ ut plerumque accidit, mollius, aut lan-
„ guidius amabat, aeſtimabat, extollebat.
„ Quamobrem eos, qui tacti amore coe-
„ leſti intrinſecus potioris vitae rationem ſe-

„ qui cupiebant, conſiliumque ejus expeta-
„ bant, ſola Dei majore gloria inſpecta, in
„ ſocietatem, quam illis magis congruam
„ putabat, manu, ac opera amantiſſime de-
„ ducebat: homo videlicet, qui nec Pauli,
„ nec Cephae, nec Apollo, ſed Jeſu Chri-
„ ſti erat; quippe meum, & tuum frigida
„ illa verba, nec in temporalibus, nec in
„ ſpiritualibus audiebat; ſed omnia in Chri-
„ ſto, ac propter Chriſtum ſincere expende-
„ bat „ Ingerit hic Saleſius nonnulla de
Guilielmo Cramoyſi Clerico Regulari S. Pau-
li, quae & in Vita noſtri Venerabilis An-
cinae Libro I, Cap IV referuntur, & con-
tinuo ſubdit. „ Quod ad me attinet, inge-
„ nue fateor, pluriſque, quas pro ſua in
„ me propenſione ab eo accepi, litteris vehe-
„ menter ad amorem virtutis Chriſtianae in-
„ citatum fuiſſe. Jam autem poſtquam a prae-
„ claro Congregationis Oratorii vivendi mo-
„ do ad Sacroſanctum Epiſcopale munus tran-
„ slatus eſt, tum vero maxime ejus virtus
„ ſplendidius micare, ac clarius ut par erat
„ ſplendeſcere coepit, ut lucerna nimirum
„ ardens & lucens, quae ſuper candelabrum
„ poſita omnibus lucet, qui in domo ſunt.
„ Et quidem cum Carmoniolae, quod op-
„ pidum eſt Salutienſis Dioeceſis, ubi Viſi-
„ tationis Paſtoralis officio tunc incumbebat,
„ anno milleſimo ſexcenteſimo tertio ejus
„ ſalutandi gratia, relicto tantiſper itinere
„ veniſſem, ſenſi ego tunc, quantam dile-
„ ctione mixtam venerationem ejus pietas,
„ & virtutum copiam in populis illis exci-
„ taret: nam ubi me appuliſſe cognoverant;
„ dici ſatis non poteſt, quo ardore mentis
„ amica quadam vi, ex hoſpitio publico in
„ domum cujusdam nobilis civis invexerunt;
„ quandoquidem inquiebant hominem, qui
„ honoris gratia ad ſuum dilectiſſimum Pa-
„ ſtorem diverteret, vellent, ſi modo poſ-
„ ſent, in medio pectorum recondere, ne-
„ que unquam ſibi ſatisfaciebant in laetitia,
„ quam ob tanti Pontificis praeſentiam con-
„ ceperant verbis, ac vultu jucunde expri-
„ menda, cum ille nobiliſſima quadam affa-
„ bilitate, ac ſuaviſſima erga omnes bene-
„ volentia omnium pariter oculos, animoſ-
„ que in ſe converteret, ac tamquam Paſtor
„ egregius, & beneficus, oves ſuas nomina-
„ tim ad virentia Paſcua evocaret, mani-
„ buſque ſale ſapientiae plenis, ut poſt ſe
„ ve-

Digitized by Google

ea appetas? Sed hoc non Pater noſter tibi reliquit exemplum, ut recedas e caſtris, & tibi proſis, qui octogenarius nunquam ſibi vixit, ſed omnium ſemper utilitati, noctu, diuque uſque ad extremam horam. Ipſum nos decet imitari, frater cariſſime. Et haec erit noſtra quies, ſi, ut decet virum Apoſtolicum, erimus in laboribus multis. Sit illud ſumma gloria, ut dicere poſſimus, plus omnibus laboravi. Ne, rogo, mente excidat, non eſſe veteris arboris in aliud transferri ſolum abſque ſui detrimento. Non meum ſomnium velim cures; ſed nec tamen illud te omnino praetereat, nequiſſimum quoque hominem prophetaſſe, cum eſſet Pontifex anni illius. Demum ſic habeto, me paratum eſſe tibi in omnibus inſervire, tuaeque commoditati in omnibus rationem habiturum. Si non vis audire amplius poenitentes, ut lubet, fac, non cogimus. Sed ob oculos pone filiorum panem expectantium lacrymas, & patrisfamilias duram exactionem de impertito tibi ad negotium iſtiuſmodi peragendum talento. Si quae caritas, ſi quae viſcera miſericordiae rogo, obteſtorque ut tuis me litteris conſoleris, ne penitus conſternatus nimio moerore obruar, atque deficiam. Rurſus dico. Nos vivimus, ſi vos ſtatis. Scito tamen, talem apud Sanctiſſimam Virginem, quam viſitaturus, peregrinationem ſuſcipis, fiduciam mihi partam, ut velis, nolis, ipſa te intra ſua ſepta, noſtram, inquam, domum contineat. Para adventum tuum Romam ſequenti anno, menſe Aprilis ad noſtra comitia. Quis dabit te fratrem meum ſugentem ubera matris meae. Erit tunc tempus opportunum, ut deoſculor te. Interim vale, viveque feliciter, ſed non tibi ipſi. Ignoſce barbaro homini curſim latine ſcribenti. Deus te ſemper in omnibus viis tuis cuſtodiat, incolumemque conſervet. Romae &c.

EPI-

„ venirent, alliceret, immo & traheret: uno „ tandem dicam verbo, cui abſit invidia, „ non memini vidiſſe hominem, qui doti„ bus, quas Apoſtolus Apoſtolicis viris tan„ topere cupiebat, cumulatius, ac ſplendidius „ ornatus eſſet.

EPISTOLA LXXX.

ANTONIO TALPAE (a)

CAESAR BARONIUS.

Expromit quam inopinate, quam aegre, atque eo omni conatu detrectante, fuiſſe factum a Clemente VIII, ut illius nomen inter Protonotarios Apoſtolicos refferretur.

APpena ardiſco mettere mano alla penna dalla vergogna impedito, avendogli a dar tal nuova, quale ſiccome a me confuſione, così alla V. R., & altri Padri, e fratelli è per apportare non mediocre dolore. Ecco, prima è venuto il fulgore, che tonato ſia. Deve ſapere come Lunedì a ſera, che fu il giorno vigeſimo di Novembre a mezza ora di notte, eſſendoſi confeſſato Noſtro Signore, come è ſolito, fuor del ſuo ſolito ſi poſe a ſedere in Sedia, come ſe aveſſe a fare qualche azione Pontificia, e cominciommi a parlare in queſto modo. P. D. Ceſare deſideriamo da voi una grazia, che volendo noi ſervirci di voi, non contradiceſſivo; usò queſte, & altre parole di molta modeſtia, & umiltà; quali io preſago del male interroppi, non aſpettando che finiſſe il ſuo parlare, e diſſi: Beatiſſimo Padre Sua Santità mi mette gran paura con sì fatto eſordio. E chi non ſa, che la devo ſempre ſervire ſenza eſſere pregato? Seguitò di dire Sua Beatitudine, come conveniente alla profeſsione dello

(a) Antonius Talpa in civitate Septempedana Piceni ortus eſt nobili genere die prima Aprilis 1536. Domi prima inſtitutione ad humanitatem informatus, Peruſiam profectus eſt, ut liberalibus diſciplinis animum excoleret, quas omnes a magiſtris celeriter accepit. Poſtea ad juris utriuſque ſtudia ſe contulit, quibus quum egregiam & aſſiduam operam dediſſet, ut primum ſumma cum laude doctorali laurea inſignitus, Praetoris munere in civitate Spoletina decoratus fuit; ſed illa relicta Romam commigravit, ubi arctiſſimo in primis familiaritatis vinculo ſibi devinctum habuit S. PHILIPPUM Nerium, cujus hortatu inter Presbyteros ſeculares ſuae Congregationis fuit aggregatus. Deinde ab eodem Sancto una cum Franciſco Maria Taruſio poſtea Cardinali Neapolim miſſus fuit ad Congregationem Oratorii in ea orbe inſtituendam regendamque. In omnibus Chriſtianis virtutibus floruit. Quo factum eſt, ut plurimi graviſſimae conditionis viri, ad quos ejus virtutis fama emanarat, eum ſuorum omnium conſiliorum arbitrum atque moderatorem elegerint. Inter quos nominatim principem locum obtinet noſter Ven. Card. Baronius, qui ſibi tanquam in correctorem conſultoremque propoſuit; & quum non quieſceret in purpura ejuſdem Baronii animus, Cardinalatus abdicationem jam meditans, Antonii Talpae Oratorii Neapolitani tunc moderatoris ſententiam datis litteris, paullo inferius afferendis, exploravit.

dello ſcrivere gli Annali, volea darmi il titolo di Protonotario, e che eſſendo ora uno di eſsi vacato, deſidereria darmelo. E così deliberato aveva. A queſto replicai con molta inſtanza, che eſſendo in ogni parte ricevuti gli Annali ſenza tal titolo, queſto non era neceſſario, pure quando Sua Beatitudine a queſto foſſe riſoluto, faria baſtato, per poter mettere il titolo, eſſer fatto Protonotario ſolo di dignità, come ſono molti, & era una volta il Galeſino. Qual grado, per non obligare a portar Abito di Prelato, poteva baſtare; ma che io accettaſsi tal dignità, quale mi obligaſſe a veſtire da Prelato, che a ciò non penſaſſe in modo alcuno, atteſochè il fatto non portava ſeco, a me onore, nè dignità, ma vergogna e ſcandalo, dandogli l'eſempio, che molti Prelati della Germania, & altre Nazioni, venendo a viſitarmi, e trovandomi con una veſte ſpelata, & onta, avevano riferito a molti, eſſerſi più edificati di queſto, che meravigliati dello ſcrivere gli Annali, avendo loro fabbricato di me nella lor mente, doverni trovare con molto apparato di Servitori, e ſplendore nel veſtire, & appena penetrabile ad eſſere viſitato. Queſte, & altre coſe dicendo a N. Signore, e vedendomi molto contradire, ecco ſubito fulmina il formidabile decreto, che per ſanta Obbedienza non ricuſi; nè io per queſto tacqui, ma lamentandomi, che ſenza darmi tempo di penſarvi, ſubito fulminaſſe il precetto, non eſſendo ſtato ſolito di ciò fare con perſona alcuna. E li poſi l'eſempio di Monſignor d'Avignone, al quale dopo molte volte aſcoltato, chiamato, e richiamato, al fine usò l'autorità di commandare per ſanta Obbedienza; e così pregai a darmi qualche poco ſpazio di tempo, a potervi penſare, e farne orazione. Replicò che baſtava, che ci aveſſe penſato Sua Santità molto tempo, e n'aveva fatta molta orazione, e detto Meſſa per queſto effetto, e che era riſoluto; e di nuovo replicando io del voto, non mi inteſe; ma di nuovo replicò il commandamento per ſanta Obbedienza; qual operava in me queſto meraviglioſo effetto, che mi toglieva la voce dalla lingua, e balbutiva, quando di nuovo difender mi voleva, e mi tremava la voce, nè ſapeva eſplicar il concetto, che voleva. E vedendo il mio affanno Sua Beatitudine cominciò a ridere, e di nuovo replicò il commandamento per ſanta Obbedienza. Ma io utcumque cercava difendermi, e poichè niuna ragione mi fu ammeſſa, mi rivoltai alli prieghi, nè queſto baſtò, ma alterandoſi alquanto Sua Beatitudine, vedendo non

eſſer

eſſer poſſibile eſtorcere il mio conſenſo, ſonò la Campanella; & eccoti comparire il Maſtro di Camera con Monſignor Diego, portando ſeco un faſcio di Veſti pavonazze da Prelato, & alzandoſi da ſedere, commandò, che mi ſpogliaſſero le mie Veſti, e che veſtito che foſſi, mi menaſſero nell'altra Camera, dove S. Beatitudine andò, acciò ivi Pontificalmente mi deſſe il Rocchetto. Queſto fu fatto nella ſtanza, dove era lo ſtudio, dove ſi era confeſſato. Partito Noſtro Signore quelli duì Signori cominciorono a dar mano al Ferrajolo per levarmelo di doſſo, & io a ſtringerlo a doſſo; tal la conteſa fu, e tale che durò buon ſpazio di tempo, dicendo io, che mai avrei poſſuto patire, che eſſendomi partito di caſa ſemplice Prete, tornaſſi con altro abito; e qui per il violente moto ſudai tanto, che bagnai bene la Camiſcia. Al fine vedendo non poter reſiſtere a due, mi buttai in terra a pregarli, che impetraſſero da Noſtro Signore ſpazio non più che di un giorno, e che ſarei tornato il giorno ſeguente a far quel che Sua Santità aveſſe voluto, e prometteva di non fuggire; quando quelli Signori avendomi compaſsione, andò uno di eſsi a pregare per me Noſtro Signore, quale ritornando nella prima ſtanza, diſſe molte parole in lamentarſi di me, e che ſe bene mi voleva concedere queſto ſpazio di tempo, tutto però di mala voglia farſi, e rimaner con mala ſodisfazione; ma che non penſaſsi poterla fuggire, eſſendo ciò ſua riſoluta deliberazione, e così licenziandomi, lo laſciai non poco rammaricato; uſcendo fuori diedi a tutti i Corteggiani non poca meraviglia, vedendomi mutato di viſo. Era venuto quella ſera a Palazzo meco il P. Germanico, quale uſcendo il Maſtro di Camera, lo tirò da parte, e gli riferì quanto era paſſato, indirgli, che teſtificaſſe a' Padri la riſoluta volontà di Noſtro Signore, di voler ciò fare, & altre parole &c. Non laſcierò di dire, che Noſtro Signore vedendomi in tal maniera turbato, per addolcirmi alquanto, diſſe che non voleva, che partiſsi di Caſa, nè che io mutaſsi niente della vita paſſata in quanto agli Eſercizj, cioè che io confeſſaſsi in Chieſa, e parlaſsi all'Oratorio. E dolendomi io, che non conveniva, che io entraſsi in far Corte, e Servitori, mi diſſe, che ſi contentava, che non ne teneſsi più che due; e dicendo io, che ſentiva gran ripugnanza in portare veſte pavonazze, diede ordine, che mi faceſsi le Nere, però da Prelato; ma non potei

 otte-

ottenere, che mi diſpenſaſſe, che fuori di caſa non andaſsi veſtito da Prelato, dicendo che di ciò ſi ſarebbe lamentato il Colleggio de Protonotarj. Mi conceſſe, che foſsi libero dall'andare in Cappella; ma poi la limitò, che in certi giorni ſolenni era bene andarvi. Tornai a caſa ad un ora e mezza di notte in circa, e ſenza dir altro a perſona me ne andai alla ſepoltura del Padre, a pregarlo iſtantemente, che mi ajutaſſe in tal biſogno, come vivendo altre più volte ajutato mi aveva. Poi chiamai a Congregazione tutti li Padri, e gli raccontai tutta la dolente tragedia, quali afflitti ſopra modo reſtarono attoniti del nuovo, & impenſato accidente. Fu parlato di rimedj, e riſoluto, che il giorno ſeguente andaſſero due Padri da parte della Congregazione a pregare Noſtro Signore, che aveſſe conſiderazione al biſogno della Caſa. La ſera iſteſsa fu pregato il Cardinal Cuſano, che andaſſe da Noſtro Signore per il medeſimo effetto, quale ancora diſſe voler andare la mattina al Cardinale Paleotto, che a queſto ancora s'intermetteſſe inſieme col Cardinale di Firenze, e Verona; ma non fu a tempo neſſuno di queſti uffizj; che la mattina ſeguente venne a Caſa Monſignor Diego con le veſti, e commandamento di Noſtro Signore a metmele allora, trovandoviſi ivi allora in Sacriſtia Monſignor Panfilio, il Signor Abbate Meſſa, & altri Signori, tutti inſieme violentemente ſi miſero a ſpogliarmi, e così fui veſtito a mio malgrado; Convertat Deus monſtra in bonum; gli dico, che Operuit confuſio faciem meam, e più creſcono gli onori, più ſento vergogna. Sono venuti in queſti giorni a viſitarmi alcuni Cardinali, altri han mandato gli loro Gentiluomini a fare queſt'offizio. In caſa ſto con li panni ordinarj, ſtanza ordinaria, ſe bene mi volevano aggiungere li Padri un'altra ſtanza; ma non l'ho voluta. Quanto alli Servitori non ne ho aggiunto altri, che uno, quale tengo fuori di caſa, & è mio figliuolo ſpirituale, l'altro è quello, che ſcrive. La mattina ſto un ora almeno al Confeſſionale, come al ſolito; dico all'Oratorio, come al ſolito. In ſomma in caſa per niuna mia azione ſi conoſce, che io ſia Prelato. Ho proibito ai Padri, non mi chiamino Monſignore, ma Padre come al ſolito. Eſco fuori la ſera per andare in Palazzo ſolo, con abito da Prelato, ma nero però. Eſſendo, che gli altri che anno queſta dignità ſi ſono lamentati, che io faccia queſta ſingolarità di veſtire nero, eſsendo inſtituto veſtire Pavonaz-

vonazzo; e di queſto eſſendone avviſato Noſtro Signore con molta modeſtia mi ha detto, che è bene a fuggire la ſingolarità. Mi era ſcordato dire, che quando tantò replicai a Noſtro Signore, mi diſſe, che mi doveſsi contentare non levandomi di caſa; e che penſaſsi quello, che aveva fatto a Monſignor d'Avignone, e di Caviglione, e ſteſsi quieto; ma ne a queſto potei fermarmi, ma proteſtai più volontieri patire, che mi mandaſſe all'Indie, o in Inghilterra per ſervizio di Dio, che andare per Roma veſtito da Prelato; e dicendo, che meritava caſtigo tanta reſiſtenza alla ſanta Obbedienza; diſsi io, che mi doveſſe mandare più preſto prigione in Torre di Nona, che rimandarmi a caſa fatto Prelato. In ſomma viddi, che ſe non foſſe ſtato, che Noſtro Signore mi portava qualche riſpetto, come a ſuo Confeſſore, che ſaria in parole più aſpre prorotto, dandogliene io non leggiera occaſione, per parlare troppo arditamente, quaſi con poca riverenza.

Ecco Padre mio, Periit fuga a me. Abbiatemi compaſsione, come ſo, che ha La carità. Conſoli gli fratelli afflitti, e che mi perdonino, che io ſia materia del loro dolore. Preghino Dio per me; mi affligge il male, e mi aggrava la tema del peggio. Giudico, che non ſarà fuori di propoſito, che Voſtra Reverenza in nome di tutta la Congregazione, ſcriva una lettera a Noſtro Signore, facendogli una coperta indrizzata al Maeſtro di Camera, con la quale pregaſsero inſtantemente Noſtro Signore, che ſi contentaſse di queſto ſenza andare più inanzi, mettendogli in conſiderazione il biſogno della noſtra Congregazione. Avrei da ſcrivere molt'altre coſe; ma ſto ſtordito. Dio ſia ſempre in ſuo ajuto. Saluto tutti nel Signore.

Da Roma li 3 Decembre 1595.

EPISTOLA LXXXI.

JO. JUVENALI ANCINAE

CAESAR BARONIUS.

Gaudet de ſpatio ab ipſo ſuſcepto ad deliberandum.

IDcirco ad te non reſcripſi, quod eſſem in profunda quadam triſtitia ob novum, inopinatumque caſum, qui quidem etiam num perdurat non ſine meo pudore, & confuſione. Utinam liberet me, qui de tenebris facit ſplendeſcere lumen ſuum. Gaviſus ſum vehementer, te ad deliberandum de rebus tuis tempus ſumpſiſſe; gaviſi ſunt etiam Patres omnes, qui te ſuis precibus apud Deum juvare non deſinent. O te beatum, qui tempus ſumere potuiſti ad cogitandum; me miſerum, cui in laqueum praecipitato, nec dieculae ſpatium datum eſt. Quamobrem lugeo, atque aeternum lugebo. Vale, meique miſerere, quaſi hominis ad furcam deſtinati. Romae V Idus Decembris. MDXCV.

EPISTOLA LXXXII.

JO. JUVENALI ANCINAE

CAESAR BARONIUS.

Quod Cardinalitiam dignitatem ſibi fuerit auguratus ridet.

MOviſti mihi riſum, cum legens litteras tuas, te adeo timere vidi, ubi non erat timor. Ita me Deus liberum velit ab aliis malis, ut de hoc plane ſecurus ſum. Ne tibi, quaeſo, facile ſuadeas, aſinos volare poſſe, quamvis interdum ephippiis, phaleriſque illos videas ornatos. Nihil addo, niſi, ut me tuis orationibus commendes. Romae VIII Id. Januarii. MDXCVI.

EPI-

EPISTOLA LXXXIII.

PETRO CONSOLINO (*a*)

CAESAR BARONIUS.

Suam in ſcribendo tarditatem accuſat, ſeque Tyronibus aggregari denique poſtulat.

ACcuſare me debeo, quod nullas ad te litteras reddidi, neque tibi gratias egi de precibus pro me Deo oblatis; nunc demum id facio, & quas poſſum gratias ago, rogoque, ut pro me orare pergas una cum tyronibus tuis, meiſque filiis longe cariſſimis, quos ſpiritu, & gratia, quotidie magis, magiſque proficere vehementer opto. Pone, Pater, pone novellas arbuſculas ad inſtar magnae illius arboris, cujus profecto ſunt germina, quibuſque ipſe edu-

(*a*) Petrus Conſolinus in Montis Leonis oppido Picenae Provinciae natus eſt. Humanis litteris inſtructus, Romam demigravit, ut ſua ſtudia proſequeretur apud ſuum Patruum presbyterum in Eccleſia S. Joannis Nationis Florentinorum commorantem. Is nihil antiquius habuit, quam ut Petrum ad S. PHILIPPUM Nerium adduceret; quod nimirum ex virtute, & amicitia tanti viri non mediocrem utilitatem adoleſcentem capturum ſperaret. Philippus qua erat humanitate, adeuntem ad ſe juvenem complectitur, atque eo ipſo die Petri animum uſque adeo devinxit, ut ad eum deinde frequens veniret. Paullo poſt communi Presbyterorum conſenſu illum in Congregationem adlegit anno 1590. Initio ſui ingreſſus ad obedientiae ſtudium totum ſe contulit, & in ejuſdem Sancti poteſtatem, atque diſciplinam ſe tradidit, ut illius nutum, voluntatemque inſtar divini cujuſdam oraculi habuerit. Familiare ei auxilium continue exhibuit, ac in illius adverſae valetudinis incommodis praeſidio fuit, ut vix divelli ab eo poſſet. Ex quo factum eſt, ut Philippus prae caeteris amore Petrum ita proſequeretur, ut dictus inde fuerit; *Diſcipulus ille, quem diligebat Philippus*. Interea idem S. PHILIPPUS Conſolino praecepit, ut theologicis ſtudiis operam daret ſub diſciplina Eremitarum Ordinis S. Auguſtini, in quorum gymnaſio illam facultatem ipſe didicerat. Quare ampliſſimae facultatis ſpatia ita metitus eſt, ut nullum reliquerit in ea locum ita amplum ac magnum, quem non peragraverit, ita abditum atque reconditum, quem non perluſtraverit, ita arduum atque difficilem, quem non ſuperaverit. Deinde ſanctorum Patrum aſſidua lectione, longa ſacrarum litterarum meditatione tanta divinarum rerum ſcientia pectus compleverat, ut aerarium eſſe diceretur, ubi diſciplinarum divinarum opes omnes divitiaeque, tamquam in uno loco conſtructae eſſent, atque reconditae. Mirabile illud eſt, quod ſummam rerum ſcientiam cum incredibili morum ſanctitate conjunxit; ut non ſatis conſtaret, utrum ille doctior, an melior vir eſſet. Ad pauperum neceſſitates ſublevandas mirum in modum ardor ſtudiumque flagravit. At demiſſione animi quanta fuerit, ex hoc intelligi poteſt, quod cum a Presbyteris Congregationis in Praepoſitum electus fuiſſet, reſtitit quantum potuit, ac ne eligeretur elaboravit. Sapiens videlicet homo ſolus intelligebat, quanto majus eſſet minimum honorem faſtidire, quam accipere. Obiit anno 1613. Magnam ex illius ſermonibus, ſumma pietate refertis, praeter delectationem, ſpiritale augmentum in virtutibus plurimi percepere, magnamque in opinione hominum ſanctitatis famam reliquit. Qui plura ſcire de Petro Conſolino deſiderat, adeat ejus vitam a P. Jacobo Ricci Ordinis Praedicatorum Generali Procuratore exaratam ad calcem vitae S. PHILIPPI Nerii.

educatus es modis, caeteros quoque educa; certumque habeto Beatum Patrem noſtrum, & vivere adhuc, & videre, & regere filios ſuos, flagellumque in manu habere, quo diſcolos feriat. Equidem rogo te, ut Tyronibus tuis me quoque adſcribere velis, atque ubi opus eſſe intellexeris ſine ullo reſpectu corrigas. O utinam propheticum illud a me impleatur; atque aliquando tandem in ſenectute mea renovetur, ut aquilae juventus mea. Id enim ſi ad ſpiritualem ſenſum reſpicimus, ſignificare videtur Abiſac dormiens cum David ſene, nimirum fervorem ſpiritus cum ſenectute conjunctum. Vere Abiſac cum Sancto Patre noſtro dormiebat, ſiquidem, quod probe noſti, adeo fervebat in ſenectute, ut ſe profecto inflammari, incendique ſentiret. Haud fovent ſenes purpura & lacernae pelliceae, ſed una dumtaxat Abiſac. Hanc utinam mihi ſociam habere liceat ſeni jam frigidiſſimo. Hoc mihi apud Dominum impetres velim; propterea enim haec ad te ſcripſi. Sic te Deus conſoletur, & ſanctum faciat.

EPISTOLA LXXXIV.

JO. JUVENALI ANCINAE

CAESAR BARONIUS.

De Cardinalatu maxime dolet.

MElius eſt ire ad domum luctus, quam ad domum convivii. At quaenam, & ubi ipſa domus luctus? Cogita te quam primum auditurum, Cardinalem Baronium vitam finiiſſe. Tum altius philoſophaberis, & dices illud Sapientis; Riſum putavi errorem, & gaudio dixi, quid fruſtra deciperis? Vere, vere omnia vanitas, adjicies & illud; Melior eſt dies mortis, quam dies nativitatis. Illo enim naſcimur ad pericula, iſto eripimur a periculis. Videſne quod in domum luctus melius ſit ire, in qua quiſque momento temporis magnus philoſophus efficitur? Haec, frater, de me velim cogites, & pro me Deum depreceris. Vale, meque ſalutaribus interea monitis corrobora.

EPI-

EPISTOLA LXXXV.

JO. JUVENALI ANCINAE

CAESAR BARONIUS.

Gratias agit de Epiſtolis, quas admonitionis plenas exoptat.

PErlibenter lego litteras tuas, eoque gratius, quo admonitionum ſanctarum ſale conſperſae guſtui meo ſunt ſapidiores. Sic perge, ut coepiſti, & ad plenius condimentum adde preces ad Deum. Sic plane fiet, ut me delectando ſimul paſcas, atque corrobores.

EPISTOLA LXXXVI.

CAESARI BARONIO

PHILIPPUS EPISCOPUS RATISBONENSIS (a).

Gratulatur de nova Protonotarii dignitate, quam jure optimo ei collatam eſſe ſignificat, ob egregia in Romanam Eccleſiam merita.

POſtquam mihi nunciatum eſt, Reverendiſſimam D. V. a Pontifice optimo maximo nova Praelaturae dignitate auctam, & ornatam eſſe, pro meo ſingulari, perpetuoque amore ac ſtudio maxima ſum affectus voluptate; quod nunc libentius alacriuſque facio, ut ineuntem novum annum Reverendiſſimae D. V. proſperum, fauſtumque exoptem. Cujus principium, ut in hiſce honoribus ſuis, & commodis gratius nobis, feſtiviuſque apparuit, ita ejus exitum inſigni dignitatis incremento longe fauſtiſſimum, laetiſſi-

(a) Fuit hic Guilielmi Bavariae ducis, & comitis Palatini Rheni filius, natus VIII Kal. Octobris anno 1576. Monachi iis litteris, quibus puerilis imbui aetas ſolet, inſtructus, Ingolſtadium venit, ubi abſoluto philoſophiae curriculo una cum Ferdinando fratre, poſtea S. R. I. Electore, & Archiepiſcopo Colonienſi, ſelectas ex philoſophia univerſa theſes, ut moris eſt, publice propoſuit atque defendit. Poſtea ad theologicas litteras omni ſtudio raptus, doctorum hominum congreſſu, & familiaritate plurimum delectatus eſt, eoſque mirifice coluit. A Clemente VIII Epiſcopus primum Ratisbonenſis, mox etiam S. R. E. Cardinalis renunciatus die IX Februarii anni 1597. Die XVIII Januarii anni ſequentis, immatura, atque omnibus bonis luctuoſa morte ex hac vita diſceſſit.

tiſſimumque ominamur. Equidem non minus Sanctiſſimo Domino Noſtro, quam Reverendiſſimae D. V. ex animo gratulor; quod tantam virtutem, pietatem, eruditionem, juſto, debitoque praemio remuneraverit. Hoc enim nomine univerſam Chriſti Eccleſiam ſibi demeruit; quae quotieſcumque Annales illos Eccleſiaſticos revolvet, toties ad omnem poſteritatem ſe ei devinctam, obſtrictamque fatebitur incomparabilis operis beneficio ſempiterno; pro quo cum a Pontifice, & Paſtore ſuo gratiam referri conſpiciet, eam ipſi lubens, merito feret acceptam. Neque ignorat Sanctiſſimus, & Sapientiſſimus Pontifex, quo excelſiore dignitatis gradu Reverendiſſimam D. V. collocaverit; hoc illuſtriora in Eccleſiam merita in dies redundatura. Ego certe hoc meo gaudio interea perfluens, novam quotidie majoris atque amplioris gratulationis materiam avidiſſime expecto. Neque enim Reverendiſſimae D. V. meritum expletur facile, neque amor meus ſatiatur, qui olim Romae ſuſceptus manet, manebitque aeternum. Quod ipſum quoque de ſumma Reverendiſſimae D. V. humanitate mihi polliceor, quam cum inſigni benevolentiae, ſtudiique ſignificatione coram ſum expertus. Quod ſupereſt, Deum precor, ut Reverendiſſimae D. V. incrementis, & commodis, longa vita, firmaque valetudine proſperet. Ratiſbonae XVI Januarii. MDXCVI.

EPISTOLA LXXXVII.

PHILIPPO EPISCOPO RATISBONENSI (a)

CAESAR BARONIUS.

De collata ſibi dignitate conqueritur, plurima exhibens chriſtianae humilitatis, & diſplicentiae rerum humanarum ſigna.

QUOD de collata mihi a Sanctiſſimo Pontifice dignitate dignata eſt Tua Amplitudo litteris gratulari, ſe mei non tantum memorem, ſed amantem oſtendit. Quapropter gratias immortales ago; licet ex his nonniſi moerorem mihi haurire liceat, cum velata quadam oneris ſpecie ruſticitatis meae, cunctis mihi honoribus praeferendae, diſpendium me paſſum intelligam, libertatiſque jacturam me feciſſe, & plane vinculis quibusdam

(a) Vide quae de hoc dicta ſunt paullo ſuperius in Epiſtola praecedenti pag. 399.

buſdam aureis me vinctum experiar, mihi certe ferreis durioribus, eo quod in his haud quamquam poſſim, ſicut Paulus de catena ferrea gloriari. Sciat Sublimitas Tua homini ſeneſcenti, & jam oſtia mortis pulſanti omnem frigere purpuram, ſummoſque honores aceſcere, ſolamque in pretio eſſe quietem, amicamque ſolitudinem, quibus divinarum rerum contemplatio ſocietur, quae recte ſatis per Abiſai Sunanimitidem illam exprimitur, ad hoc inventam, ut algeſcentis Senis David artus calefacere ſola poſſet, cui regia honoris indumenta erant potius oneri, quam calori. Quamobrem quae amoris impulſu fauſta ominaris, abominanda, ſi ſapiam, mihi erunt, ut triſtia. Unus mihi ille aſcenſus pateat, ad quem deſcenſu conſcenditur; & ea ſublimitas appetenda ſit, quae humilitate conquiritur. Hoc itaque modo ſublimis Tuae placeat Baronius Celſitudini; cui illa fiet honoris acceſſio, ſi ut paratus eſt Tibi, Sereniſſimiſque Principibus Patri ac Fratribus ſerviet; quos omnes meo ſalutari nomine rogo, Deum deprecans, ut omnes incolumes ſemper ſervet. Romae Nonis Martii. MDXCVI.

EPISTOLA LXXXVIII. (a)

CAESARI BARONIO

STANISLAUS RESCIUS (b).

Ejus in fugienda Protbonotarii Apoſtolici dignitate, animi moderationem ſummis laudibus extollit, mittitque quoddam opus ſuum Clementi VIII Pontifici offerendum.

RUrſum Moyſes, rurſum Jeremias, rurſum Eſdras, rurſum Baſilius, rurſum Nazianzenus, rurſum ſuperiora ſaecula. Sed cur non Moyſes, cur non Jeremias, ubi Dominus? Cur non Eſdras, ubi Angelus? Cur non Baſilius, Nazianzenus, ubi rurſum Petrus, rurſum Sylveſter, rurſum Leo, & Clemens? Narro tibi, Caeſar, egi Deo gratias, quum quae Clementi Vicario ſuo Deus de te

 inſpi-

(a) Eſt num. XXVII partis poſterioris Epiſtolarum ejuſdem Stanislai Reſcii, quae Neapoli apud Jacobum Carlinum & Antonium Pacem excuſae ſunt anno 1598, in 12.

(b) Conſule ſi placet, quae de Reſcio dicta ſunt a nobis ſuperius in notis ad aliam ejuſdem Epiſtolam, quae eſt num. XII, pag. 188.

inſpiravit, ex R. Patre Juvenale, pio & docto Sacerdote, ac ſi olim fuiſſet, audivi. Plane aevi prioris exempla, quum Throni, & Cathedrae digniorum eſſent, non potentiorum; quum ſtabant merita, ſtrata jacebat ambitio; quum a praefecturis, & dignitatibus arcebantur, qui ad illas nihil afferebant, praeter velle, ipſam etiam ſuam ignorantes inſcitiam; quum Sacerdotes quaerebantur, ut loquitur Theologus, non Rectores; animarum diſpenſatores, non pecuniarum cuſtodes; puri ſacrifici, non fortes, & robuſti defenſores. Nunc mihi Caeſare major, Caeſar, es; non quia viciſti, eum oblatos honores ab optimo Pontifice refutaſti, ſed quia vinci te paſſus es a Clementis clementia, a qua vinci ipſa etiam cupiat Victoria. Quo uno facto, tu Annales, te Pontifex, Pontificem Chriſtus magis etiam orbi chriſtiano ſtupendum, ſpectandumque propoſuit. O mihi alter Eſdra, non te oblati Prothonotariatus gradus ob altioris cupiditatem puduit. Scis nullum in Eccleſia parvum gradum eſſe; magnumque exiſtimari debere procreatae naturae, vel quoquo modo ad Deum appropinquare. In quo facto & his timidior inventus es, qui ad eccleſiaſticas praefacturas ſine linea & perpendiculo proſiliunt; & his viciſſim audacior, qui omnes fugiunt. Factum ſane animae naturaliter chriſtianae; quippe difficile eſt, ſacerdotem agere ei, qui libenter aliud eſt quam Sacerdos. Quid jam expectemus aliud, niſi ut poſt eruditiſſimos Commentarios tuos apice apoſtolico digniſſimos, Eccleſia Dei per Orbem Chriſtianum reaedificetur; ſicut poſt inventa in Ecbatanis, & lecta commentaria reaedificatum eſt templum in Hieruſalem. Sed haec olim de te, deque tuis Annalibus liberius apud alios cantabuntur. Quamvis nunc etiam mihi circum linguam, calamumque verba volitent, ad pangendas tibi, pro tam illuſtribus in Eccleſiam Dei meritis, gratiarum hymnorumque illecebras. Sed quae tua eſt humilitas, non poſſum non vereri, ne vel ad laudum tuarum memoriam jam etiam erubueris. Caeterum expreſſit a nobis chariſſimae Patriae caritas, ut ex propriis Evangelicorum; Evangelicos vulgus vocat imperitum; dictis, ſcriptis, factis oſtendere conaremur, nil eos eſſe aliud, quam ut Athanaſius loquitur, Chriſtianae fidei interfectores, in lingua tantum Chriſti nomen, in corde porro clauſum Atheiſmum portantes. Is liber in lucem nunc prodiit, & in hujus Epiſtolae comitatu ad te peregrinatur. Tu partum accipe; ac praeſulta, ſi minus, ut Joannes ab utero, at certe ut David ob requiem Arcae; & ſi conatum hunc noſtrum

ſtrum Apoſtolico limine, in quod nil niſi ſummo ingenio, & arte elaboratum, bonorumque ſit nervorum, ingredi conſuevit, non indignum duxeris, ut ad pedes clementiſſimi Pontificis deponas; non quod divino illo conſpectu dignum judicem, ſed quod pili quoque caprini, & linum tenue, & aera minuta ad divini tabernaculi aedificationem olim conferebantur. Scio, quod optimi Pontificis clementia, quae vel ſola inter octo beatitudines emineret, niſi pariter omnes poſſideret, non verba, ſed verum in verbis amare, probareque conſuevit. Ego vero magnum quid arbitrabor, ſi vel Apoſtolico ſcrinio dignus fuerit inventus. Non enim Romanis, ait Romanus Orator, ſed Tarentinis & Conſentinis ſcripſimus. Et hoc praeterea etiam atque etiam rogo, ut cum illo tuo paupere, ſed Chriſti Senatu, rogare Dominum ne deſinas, ut qui mortuos etiam ad vitam vocat, infirmitati quoque meae opem ferat, nec plus cruciari patiatur, quam ferre, ſuſtinereque noſtra poſſit imbecillitas. Tum & B. Michaeli Archangelo nos commendent, qui Probianum Conſtantini Medicum, tum & B. Thadaeo Apoſtolo, qui Abdum Regis Abdi filium a podagrae doloribus liberavit. Quamvis, o Chriſte, quota tandem pars haec ſunt, ſputorum, & alaparum tuarum! Sed tamen morbi hujus medicinam, jam vereor, ne caſum Deo reſervatum debeamus appellare, poſteaquam ne ſuum quidem Vicarium exemptum a tanto cruciatu voluit. Cujus per te beatos pedes, ea qua par eſt humilitate, quaque debent omnes, qui ſe Chriſtianos meminerunt, etiam atque etiam oſculor. Chriſtus Jeſus ſervet eum nobis diutiſſime incolumem, & tibi quoque vitam, vireſque ad omnia pro Chriſti fide audenda, tentandaque largiatur. Neapoli Kalendis Februarii. MDXCVI.

EPISTOLA LXXXIX.

STANISLAO RESCIO (*a*)

CAESAR BARONIUS.

Multa oſtendit ſincerae humilitatis ſigna, & gratias agit de quodam opere ſuo ad ſe tranſmiſſo, quod Summo Pontifici ſe obtuliſſe, illique gratum fuiſſe dicit.

DUM legerem tuas litteras de me adeo ſublime tractantes, ſententia illa Gregorii Nazianzeni occurrit menti; Amor impoſturam facit. Ita plane tibi accidit, Reſci, dum amor vehemens, quo me proſequeris, neſcio quam tuae menti de me formam gyganteam impreſſit; cum ſi recto judicio perſpexiſſes, me homuncionem aſpexiſſes & deſpexiſſes. At ego, dum me proxime intueor, amicos laudantes nonniſi cum faſtidio audire poſſum, & amaritudine plurima ex alto corde ingemiſcere, & in me ipſum jacula iſta verborum convertere, atque dicere. Caeſar, qui te beatum dicunt, te decipiunt; ne plus aliis, quam tibi de te ipſo credas. Tu intus habitas, anguloſque ſingulos domus oppletos ſordibus intueris, & immunditiis. Es vir videns intus paupertatem tuam in amaritudine abſinthii & fellis, prae multitudine peccatorum tuorum. Vident alii, quae foris ſunt, & ab exornato limine viridis folii; mox opulentos ibi habitare homines, dieſque laetos ducere interpretantur. Tu homo prudens, noli ſecundum faciem judicare. Nam habitatores ſi interrogas, quae intus latent mala, plane Augiae Stabulum, eum eſſe locum addiſces, quem Priami Regiam ab Homero deſcriptam eſſe putabas. Sed haec hactenus. Librum tuum, quem ſi vel Panarium, vel Panopliam inſcripſiſſes, aliove aliquo titulo glorioſiore nobilitaſſes, rem opere dignam praeſtitiſſes, vidi, legi, jam etiam nonnulla mirifice deguſtavi, & tanquam Architriclinus de optimo vino fidem facerem magno Patrifamilias; laudavique illum apud ipſum Summum Pontificem, qui clementer annuit, utpote qui probe jamdudum noſcit, ſciretque jam abſque teſtibus vim ingenii, cordis zelum, mentiſque candorem,

(*a*) Eſt haec Epiſt. num. XXVIII partis poſterioris Epiſtolarum ejuſdem Reſcii editionis Neapolitanae, de qua paullo ſuperius pag. 401.

rem, ut dicebat. Accepit una cum litteris grato animo oblatum dignum Pontifice munus. Haec tractata ſunt. Ago etiam gratias, quod & eodem tanto munere me dignum exiſtimaris. Macte virtute, qui Syrenarum terra cum tenearis, perinde ac ſi non ſoporiferum canticum illae tibi concinerent, ſed claſſicum, conſurgis ſpiritibus magnis ad praelium, inſtarque fulguris, quod, juxta ſententiam Domini, ab oriente patet in occidentem, e Campano littore tonans, Tranſalpina Monſtra fulminibus ſternis. Ago gratias Deo ingentes, qui tales ſibi conſtituit in Eccleſia ſua bellatores, quibus ipſe unus e lixis, ignobilis parens, particeps eio triumphi. Vale mi Reſci, tuumque Baronium, te amantem, colentemque diligere, ne praetermittas. Romae III Nonas Februarii. Anno Domini MDXCVI.

EPISTOLA XC.

SACRO CARDINALIUM COLLEGIO

CAESAR BARONIUS.

Inter Cardinales a Clemente VIII cooptatus, iisdem Cardinalibus nuncupat eos Annalium Eccleſiaſticorum Tomos, quos jam digeſſerat.

SApientia illa divina, quae attingit a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter, miro quodam modo in novi Teſtamenti Regali Sacerdotio duo extrema conjunxit; ſummam celſitudinem, qua nihil ſublimius excogitari poſſet, cum humilitate ſumma, qua nihil inveniri eſſet humilius. Qui enim primus in eo inſtitutus eſt Pontifex Chriſtus Jeſus, ipſe Deus, Deo Patri aequalis eſſentia, idem homo factus noviſſimus virorum eſt appellatus, unus idemque, & Sacerdos, & hoſtia pro peccatis, principium, atque finis. Jactis hujuſcemodi in Eccleſia Sacerdotii fundamentis, dimiſſoque ipſo ſummmo angulari lapide Chriſto Jeſu; eiſdem congrua fuit ſuperinducenda ſtructura, quae creſceret in templum ſanctum in Domino. Cujus rei cauſa ſapientiſſimus Architectus ab ipſo aedificationis exordio, ut bene cohaereret conſtructio fundamento, in lapidibus ſingulis extrema aeque conſocians, ſimul humilitati potentiam, & potentiae humilitatem voluit ſemper eſſe conjunctam; ita infima ſummis divina diſpoſitione connectens, veluti ex Jordanis infimo

mo alveo duodecim ſuſtulit informes lapides ad aedificationem Eccleſiae, cum duodecim e piſcatoria arte, vel aliunde humili loco vocavit Apoſtolos, eosdemque divina poteſtate donatos, ſublimes effecit; ſed e contra Paulum genere clarum, ſcientia celebrem, potentia fortem, animo vehementem, mente elatum elegit, humilem primo reddidit, equo dejectum, humi proſtratum, viribus debilem, & ſcientia imperitum, adeout oportuerit, eum ab Anania diſcipulo prima addiſcere fidei elementa, ſicque fuerit Paulus conflatus ex Saulo. Qui ex potentia humilis, ex humilitate conſurgens haec edoctus, effectuſque ejusdem fabricae, & ipſe Architectus ad operarios clamat „ Unuſquiſque videat quomodo ſuperaedificet „ Qui enim aliter audet quam Chriſtus docuit, plane deſtruere, & non aedificare convincitur, ipſo dicente „ Qui non colligit mecum, diſpergit„. Cujus lege, idem ait Apoſtolus „ Qui in Domino vocatus eſt ſervus, libertus eſt Domini; ſimiliter qui liber vocatus eſt, ſervus eſt, eſt Chriſti. Nempe inſinuans vocari humilem, ut aſcendat, & ex ſervo ſit liber, & vocari potentem, ut deſcendat, & ſervus efficiatur ex libero. In quam ſententiam pariter Jacobus Apoſtolus „ Glorietur, inquit, Frater humilis in exaltatione ſua, dives autem in humilitate ſua „ Qui autem aliter ſapit, decipitur „ inflatus ſenſu carnis „ ut ait S. Apoſtolus „ non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus, & conjunctiones ſubminiſtratum, & conſtructum creſcit in augumentum Dei „. Vos igitur Patres ampliſſimi, iſthaec omnia probe ſcientes, non deſpexiſtis infimum, vel rejeciſtis infirmum, vilem, & abjectum, nec contempſiſtis pauperem, neque dixiſtis, quod Jacobus vetuit „ Tu ſta illic, aut ſede ſub ſcabello pedum meorum „. Sed unanimes aſſurrexiſtis, & honoraſtis, ad conſeſſum invitaſtis, meamque electionem tanto Pontifice dignam, utpote maturo conſilio, conſulto precibus numine, in ipſo ſcilicet divino ſpiritu habitam comprobaſtis, faviſtis, vocibus proſequuti eſtis, praeconiis extuliſtis, iteratis amplexibus excepiſtis, repetitiſque oſculis conſignaſtis, cum me in collegam recepiſtis, & inter fratres adnumeraſtis. Quo nomine cum a me plurimae, eaedemque perennes gratiarum actiones ſint jugiter repetendae, adhuc & alia ex humanitate veſtra confiſus ſuperaddi expeto beneficia; nimirum ut quem probaſtis aſſenſu, patrocinio foveatis, conſilio juvetis, diſciplina formetis, roboretis & praecibus, ut quod ſemel placuit, amplius non diſpliceat, ſed ex meo profectu magis, magiſque collata veſtra ſuffra-

ſuffragia comprobetis. Si enim frater, qui coadjuvatur a fratre, ut eſt in ſacris paraemiis „ Quaſi civitas firma „ quantae mihi ſecuritatis fiet acceſſio, ſi non ab uno tantum, vel altero, ſed univerſo fratrum collegio fuerit ſuppeditatum auxilium? Quod denique mearum partium eſt, quas experior eſſe pertenues, ut aliquod leve ſaltem gratificationis ſignum exhibeam, David fratruum ſuorum natu minimum imitatus ego minimus, & tanquam abortivus, ſicut ille, inviſurus fratres degentes in caſtris, Patris conſilio ad eos munera detulit; ita ego munuſculum iſtud, hoſce videlicet Annalium Tomos ex mearum lucubrationum paupertate depromptos, jam ſummo oblatos Pontifici, vobis impertio, quod ut grato animo accipiatis, rogo. Erit enim apud vos teſtis ſemper loquens meae erga vos omnes obſervantiae, & monumentum firmum manens amoris, atque tributum exhibitum ſervitutis. Triplici enim hoc nexu vobis perpetuo devinctus haerebo, ut obſervem ut Patres, diligam ut fratres, atque ut Dominis ſerviam, funiculo iſto triplici colligatus, contorto filis aureis charitatis de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta. Valete.

EPISTOLA XCI. (a)

CAESARI CARDINALI BARONIO

STANISLAUS RESCIUS.

Quod ad Sacram Purpuram ſuorum meritorum ſuffragio promotus fuerit gratulatur.

VEllem & ſine litteris, ſi fieri poſſet oſtendere cordi tuo, Deo dilecte Cardinalis, laetitiae meae magnitudinem ex tuis ornamentis acceptam, in quibus ego non te ſolum, ſed ipſam adeo virtutem, pietatem, litteras, purpura donatas arbitror; & illa reſuſcitata ſaecula, cum iis ſolis omnia debita ornamenta putabantur, qui fidem antiquam, Eccleſiam pacatam, & ne quid nimis, nimis ſemper amaverunt, nec idem illis erat meritorum in Rempublicam Chriſtianam, qui dignitatis primus dies. Gratulor in Eccleſia Dei tam ſolidam erectam columnam, Pontifici

(a) Eſt num. XXXI partis poſterioris Epiſtolarum ejusdem Stanislai Reſcii, quarum editio prodiit, ut diximus, Neapoli per Jacobum Carlinum, & Antonium Pacem anno 1598. Eamque cum apographo primum, mox cum illa editione contulimus.

ci tam prudentem additum Senatorem, Collegio tam illuſtre ornamentum, Congregationi tam ſolidum gaudium; tibi tam amplam de tota re Chriſtiana benemerendi occaſionem; mihi, & reliquis omnibus, quos iſte ſol aſpicit, anteponendam laetitiam. Magno judicio delectus ad priores creditur, qui novis honoribus cumulatur. Sed rerum tempus verbis non teramus, in tanta praeſertim piorum omnium laetitia, quorum ſinguli in te uno ornatos ſe, purpuratoſque arbitrantur. Habes gratulationem, quam noſtra conjunctio poſtulat, forte breviorem; ſed tamen ſilentio longiorem. Mens & deſiderium tui, loqui vellet, ſed corporalis infirmitas, & in primis labris anima vocem negare pectori compellit. Sic enim valeo, nil ut aliud expectem, quam efferri. Sola nobis cogitatio de Sanctis, ſimilia paſſis. Job nobis Medicus, Rex, & Propheta, Aliptes; quem ſive ſumo, ſive pono, toties exclamare neceſſe habeo. O David, o Propheta, quam tu piis dumtaxat animabus haud prolixe cantaſti. Servet te Chriſtus Jeſus incolumem, ut ſacram hanc veſtem, thronumque purpureum, quem tibi, ſudoribuſque tuis, per Clementem Vicarium ſuum commiſit, eruditionis tuae praeſtantia, vitaeque meritis magis atque magis exornes. Utere moribus tuis, & omnia completti. Neapoli Magno Baſilio Sacro die. MDXCVI.

EPISTOLA XCII. (a)

STANISLAO RESCIO

CAESAR CARDINALIS BARONIUS.

De gratulatione ſecum habita gratias agit ob ſuam electionem ad ſacram Purpuram, & dolet tam grave onus humeris ſuis impoſitum.

ETSI ego imbecillitatis meae ſatis conſcius, tantum ex collatae dignitatis inſignibus dolorem hauſi, quantam alii, & quidem mei plus aequo amantes, voluptatem perceperunt; ſic tamen omnino mecum ſtatui, non ingratas propterea, nec injucundas eorum gratulationes eſſe debere; ſed facile hoc dandum amori, ſtudioque ipſorum, dandum etiam officio; dum liceat mihi, novum hoc ſaluti meae periculum additum dolere. Quod quia grave eſſe ſentio, & experior ipſe, amicorum praeſidio

(a) Eſt num. XXXII editionis laudatae pag. 49, cum qua eam ſimili ratione contulimus.

ſidio opus eſſe intelligo, qui non minus prompti futuri ad mutuae caritatis, quam ad humanitatis officia fuerint. Divinam mihi gratiam ſuis fervidis precibus obtineant; ut quod in me licet indigno, ac propterea reluctante, operari Dominus voluit, id mihi ad virtutis exercitationem conferre, & ſuae potiſſimum gloriae ſervire velit. Hoc ego unum ab amicis quidem omnibus, ſed a tua praecipue officioſa caritate expecto. Quem Deus clementiſſimus omnibus veris bonis perpetuo cumulet. Romae XXII Junii. MDXCVI.

EPISTOLA XCIII.

CAESARI BARONIO CARDINALI

M. ANTONIUS BONCIARIUS (*a*).

Quod ad Cardinalatus dignitatem evectus fuerit, eidem gratulatur.

EGO ne integerrimo, doctiſſimo, & graviſſimo viro ad amplitudinem primae proximam evecto, inter tot, tamque illuſtres gratulationes occurrere adeo pauper, humilis, & ignobilis? Quid ergo faciam, ſi obortam animo ingentem laetitiam cohibere ac frenare diutius non eſt licitum? Fecit hoc non ſolum, quae te ornat ſecunda in terris dignitas, ſecundum nemini eruditione, pietate, prudentia; verum etiam neceſſitas quaedam teſtificandi gratum animum erga te meum. Quid enim? An ego poteram obliviſci, quam me humaniter excepiſſes, atque etiam complexus eſſes, quo die tibi, & Illuſtriſſimo Cuſano, ſummis prae-

 terea

(*a*) Epiſtolam hanc, quemadmodum & quae proxime ſequitur, conferendas curavimus cum ſecunda ejuſdem Bonciarii Epiſtolarum editione, quae prodiit Marpurgi Cattorum typis Pauli Egenolphi anno 1604. Caeterum ut de Bonciario aliquid dicamus. Hic Peruſii humilibus, ut de ſe ipſe fatetur, parentibus ortus, obſcuritatem ſui generis literarum ſplendore illuſtravit. Ex Mureti enim viri diſertiſſimi diſciplina profectus, in Seminario primum Peruſino, ac poſtea in Gymnaſio ejuſdem civitatis Rhetoricam, ac quae ad bonas literas pertinent, egregiae docendo, magnum in iis nomen apud poſteros eſt conſequutus. Multa ſcripſit eleganter, planeque latine tum ſoluta oratione, tum verſibus. Circumfertur ejus liber de arte grammatica, extantque ejuſdem Epiſtolae ad viros clariſſimos datae, & in his nominatim ad Ubertum Ubaldinum, antequam a Paolo V in Cardinalium collegium eſſet cooptatus. In his autem Epiſtolis refert Bonciarius, ſuſcepiſſe ſeſe de viris illuſtribus ſcribendi provinciam, qui per annos quadringentos Peruſiae armorum vel literarum gloria floruerunt. Ex iis autem, quae verſibus eſt proſequutus, feruntur in primis Triomphus auguſtus, ſive de Sanctis Peruſii translatis Libri quatuor; Seraphidos Libri tres multaque alia tum jocoſa, tum gravia. Bonciarius ſane, uti jam diximus, plurimum commen-

terea viris praeſentibus, in meo gymnaſio gratias egi? Haeret mihi in animo, &, dum vivam, haerebit ſuaviſſimus ille congreſſus; cujus memoria non ſolum me ad te hodie ſalutandum impellit, ſed etiam mihi perſuadet, pro mea ſumma in te obſervantia, quam illo die oſtendere ſum conatus, nequaquam me in poſtremis habitum iri; praeſertim cum publicam quoque perſonam geram, & Collegii noſtri, quod tu olim inviſere atque ornare dignatus es, communem gratulationem ad te deferam. Quid quod noſter Epiſcopus, homo tibi propter morum, ſtudiorumque ſimilitudinem maxime conjunctus, audere me vult, & ut ſcribam, imperat. Cujus, ne detrectarem imperium, tu hodie exemplum fuiſti (*a*). Neque vero erat periculum, ne non agnoſceres hominem tantis, atque tam multis inſignem notis; meam dico debilitatem, & caecitatem, quas hoc nomine minus odi, ſi memoriam tuam adjuvant, & me ignotum eſſe non ſinunt. Gratulor igitur & tibi, cui vel invito traduntur ea, quae te digna ſunt, quaeque olim diu eximiae tuae virtutes poſtulant, & Chriſtiana Reſpublica univerſa; quum ſpes eſt ad priſtinam innocentiam facile rédituram, ſi ad ejus gubernacula, ut ante fieri conſueverat, non cupiditas, aut luxus, aut ambitio, ſed ſpectata bonis principibus moderatio, & coacta in obſequium Dei, ſancta, conſtans, atque ſevera voluntas ſedeat. Tametſi, quod dicendum heu ſit, Baroni ſapientiſſime, humaniſſime (facit enim tua facilitas, benevolentiaque erga me, ut te blandius appellare non dubitem) quae iſthaec eſt ratio averſandi imperia? Verbis repudiare; factis non ſolum petere, ſed quaſi debitum exigere magiſtratum? Nam quo alio, Deus bone, ſpectabant cogitationes & curae omni tempore a te ſuſceptae pro Eccleſiaſtica dignitate augenda, & propaganda? Quo tuum illud pium, ſanctum, grave, aequabile, atque perpetuum vitae inſtitutum? Quo ille pluſquam Herculeus labor, & idem tamen Eccleſiae neceſſarius Annalium conſcribendorum? Quo denique illa perſpecta omnibus, in credito tibi munere adminiſtrando fides, conſilium, animi magnitudo, conſtantia? Non feci, inquies, ea mente, ut rem iſtuc deducerem. Credo ſane, immo pro certo habeo, idque omnibus, qui te norunt (quis autem non novit), ſcio eſſe perſuaſiſſimum; tamen haec

mendatur, & multa litterarum eruditione, & linguae latinae candore, qui Auguſti aetatem, ut doctiſſimi viri ſentiunt, & praeſertim in priori parte illius operis, quod Traſimenus inſcripſit, facile redolet; omnium tamen animos in admirationem traducit, quoties ſecum reputant, ea omnia ita egregie praeſtitiſſe, & aetate non ita provecta oculos omnino perdidiſſe. Hujus viri imaginem habes apud Janum, Nicium Erythraeum in Pinacotheca prima, pag. 98.

(*a*) Editio habet fecitti.

haec, mi Patrone, ſecuro, & nil tale opinanti prenſabant tibi, petitura ſuo tempore, tanto juſtius, tanto acrius, quanto a te generoſius, atque conſtantius recuſaretur. Quod quando ita cecidit, ut boni omnes volebant, praeter te, qui es optimus, & foeliciores fuerunt noſtrae, quam tuae praeces, Pontifici ſapientiſſimo gratias agimus, eique omnia bona dicimus, qui, etiam injecta religione, te cogendum putaverit, ne ſi tuae modeſtiae indulgere vellet, ipſe ſe religione obſtringeret, & ſuum ipſe judicium, famamque in diſcrimen adduceret. Pro cujus incolumitate, tuoque proſpero vitae curſu, noſtri potius, quam veſtri memores, & de communi foelicitate ſolliciti, Deum optimum, potentiſſimum aſſidue comprecabimur. Peruſiae, ex Collegio Sancti Bernardi Idibus Junii. MDXCVI. (*a*)

EPISTOLA XCIV.

M. ANTONIO BONCIARIO

CAESAR CARD. BARONIUS.

De gratulationis officio ſecum habito eidem gratias agit, rogatque ut ſibi a Deo vires ad impoſitum onus ſuſtinendum precibus impetret.

MAgnifice ac eximie Vir. Gratae mihi, ac jucundae admodum fuerunt litterae tuae nuper redditae. Etſi enim nihil mihi in omni vita durius accidit, quam id, unde tibi, oblata eſt occaſio ſcribendi; amo tamen, & complector libentiſſime officioſam iſtam, & ſinceram tuae in me benevolentiae teſtificationem. Quam quidem multo luculentiorem reddes, ſi qui te tantam ex impoſito mihi onere laetitiam cepiſſe ſignificas, divinae clementiae opem ad illud ſtrenue perferendum precaberis. Nam mihi quidem tantis curis, & tam moleſtis implicito, illud vel maximum ſolatium fuerit, ſi quid facultatis ad bonos tui ſimiles juvandos, & virtutem promovendam mihi acceſſiſſe intellexero. Vale in Domino, & Collegas tuos optimos viros in eodem Domino meo nomine ſaluta. Romae XXII Junii. MDXCVI.

(*a*) In ſuperius laudata Bonciarii Epiſtolarum editione, tum dies, tum annus, quo haec epiſtola data eſt, omnino deſideratur.

EPISTOLA XCV.

CAESARI CARD. BARONIO

PAULUS EPISCOPUS RAVELLENSIS.

Eidem gratulatur, non tam quod Cardinalis renunciatus fuerit, quam quod in ea dignitate conſtitutus, Eccleſiae magis prodeſſe poſſit.

REpletus ſum conſolatione, ſuperabundo gaudio, tecum purpuratis patribus annumeratum audiens. Magnum certe laetitiae fontem recluſerunt, & ſingularis, vetuſque mea in te obſervantia, & uberrimum quod inde ſperatur totius Chriſtianae Reipublicae commodum. Ac quidem tibi, Cardinalis Ampliſſimae, non eo nomine gratulor, quod purpura, & biſſo induaris, quod cum principibus ſedeas, quod ſummo in terris principi ſemper charus aſſiſtas. Haec enim omnia gentes inquirunt, magnifaciunt, admirantur. Caduca autem haec, & momentanea, & ipſe jam pridem deſpexiſti, ut pie, ſanctiſſimeque tuae vitae inſtitutae rationes patefaciunt; & aliis, me ſaepe audiente, graviſſima illa tua dicendi ratione idipſum perſuadere ſtuduiſti. Sed eo potiſſimum, quod magnum tibi, & evidens oſtium apertum eſt, quo incenſum illud, & immenſum animi tui deſiderium juvandi Eccleſiam Dei aliquo pacto explere potes. Nec enim amplius ſub modio occultatus; ſed ſuper candelabrum poſitus, omnibus, qui in Domo Dei ſunt, lucere poteris. Non in angulo deliteſcens paucorum hominum ſaluti proſpicies, ſed in praeclariſſimo Catholicae Eccleſiae theatro conſtitutus, omnibus conſules, omnibus proderis. Nec amplius in Petri navi cum reliqua multitudine, ut veharis tantum conſiſtes; ſed prope ſummum Navarchum in puppi collocatus, ipſum induſtria, conſilioque tuo ad communem omnium profectum juvabis. Certe non abſque divino afflatu, quo ſemper omnia Romani Pontificis conſilia dirigi credendum eſt, S. D. N. his turbulentiſſimis temporibus pium agmen tam inſignium virorum ad ſui navigii regimen advocavit. Nec enim fluctibus ſolum, & ventorum rabie, quod ſaepe contingit, ipſum concuti, & agitari, ſed per ſinuoſos, & occultos ſcopulos, per vada coeca in maximum diſcrimen adduci conſpicimus, & ingemiſcimus; quo circa dum tempeſtas ſaevior,

Digitized by Google

vior, & graviora pericula ingruere videbantur, Sapientiſsimus Gubernator auxit & vires, ita ut ex multarum perſonis facierum omni parte laborantibus, & vigilantibus ſecuritas, & a procellarum impetu, & a latentium ſcopulorum ruina, certo ſperanda ſit. Unuſquiſque, haud ignoro, ſecundum datam ſibi gratiam pro ſua virili laborabit. Tu Cardinalis Illuſtriſsime, ante, retro, undequaque perſpicies, ubi aquarum ſint vortices, quanam in parte infames ſcopuli, ubi periculoſae ſirtes praeteritorum, ac praeſentium collatione facile demonſtrabis, ſapientiam antiquorum, uti ſapiens, exquires vetera, & nova de theſauro tuo proferes; ſic praedonum detegens inſidias, & ſecurum iter oſtendes. Cur itaque tibi non ſummopere gratuler, cui datum eſt tam utiliter, tam feliciter deſudare, & praeteritos, praeſenteſque labores ſic opportune impendere? Non ademptam tibi forſan quietem, aut interruptum ad ſcribendum otium doleo. Sed in melius tua ſtudia commutata, & laborum, vigiliarumque tuarum aliquod praemium tibi donatum, ſatis mihi ſuperque gaudeo. Non potui, ingenue fateor, me continere, quin exultantem gaudio animum, redundantemque laetitia, ſin minus plene ſignificare, certe aliqua ex parte his litteris adumbrare conarer. Diu enim adverſa valetudine, aliiſque incommodis afflictus ad vocem hujus loquelae reſpiravi, revixi. Meam itaque praecipuam in te obſervantiam, & animi affectum, obſecro, qua ſoles humanitate, reſpicias. Ego autem aſſiduis ad Deum precibus petere non deſiſtam, ut te diu Eccleſiae ſuae incolumem, felicemque tueatur. Ravelli die XXI Menſis Junii. MDXCVI.

EPISTOLA XCVI.

CAESARI CARDINALI BARONIO

FR. JACOBUS DE MARQUAIS.

Cardinalatus dignitatem, uti in commune Reipublicae Chriſtianae bonum, & commodum illi collatam, vehementer gratulatur.

ILluſtriſsime Cardinalis. Licet id, quod verebaris poſtremis tuis litteris, mihi longe gratiſsimis, tibi jam acciderit, & jam utroque pede laqueis praelaturae implicatus videaris, nihilo-

hilominus ex animo tibi gratulor, ac Sanctae Dei Eccleſiae non ſolum ego, ſed quotquot lectione Annalium tuorum fruuntur, etiam ex animo congratulantur, ac Sanctiſsimum Pontificem pro tot laboribus pro Eccleſia Dei exantlatis te adlegiſſe in numerum Cardinalium, & galero rubro condecoraſſe, perſuaſiſsimum habent, ſicut & ego exiſtimo, dignitatem adeptam ceſſuram in Eccleſiae commodum, & utilitatem; utpote cui periclitanti in omnibus conſilio aderis, & re ipſa ex debito officio eam juvabis, & omnibus rationibus conaberis illi adeſſe, paratus pro ſua defenſione, & tutela proprium effundere ſanguinem, cujus rei veſte rubea, qua jam inſigniris, admoneris. Etiam praeclarae virtutes, quae in te relucent, ſuper candelabrum Eccleſiae poſito, jam magis apparebunt. Confido, dignitatem adeptam minime ceſſuram in diſpendium Annalium tuorum, cum magis ex officio omnem dabis operam, ut in eis ſcribendis progrediaris, & ad calcem uſque perducas tam inſigne opus, & Sanctae Matri Eccleſiae tam utile futurum. Id enim pii omnes, & ſtudioſi abs te efflagitant, & cum jam eo uſque progreſſus fueris in Eccleſiaſtica Hiſtoria, & tam foeliciter, non deſiſtas in medio curſu, ſed animoſe pergas, quouſque omnes foetus librorum tuorum edideris. Scio Sanctiſsimum Pontificem habiturum rationem, ne te Eccleſiae negotiis ita obruat, quin tempus relinquat Annalibus tuis deſcribendis. Jam fruimur ſexto Tomo, & Moretus Noſter ſumma aviditate ſeptimum exſpectat, quem gaviſus ſum ex tuis poſtremis litteris intelligere circa Auguſtum eſſe abſolvendum; tum ſpero te ad Octavum applicaturum animum; non enim parvum pondus habebunt, & praecedentes, & ſequentes tomi, acceſsione hujus dignitatis. Vultum tuum gratiſsimum in ſexto Tomo nobis exhibuit Moretus, quem me ſpero ſeptimo Tomo veſte Cardinalitia ornatum viſurum. Pro exiguitate mea non ceſſabo Dei bonitatem deprecari, & Deiparam Virginem, ut adepta cardinalitia dignitas cedat tibi in animae ſalutem, & pro foeliciter geſto munere fulgeas in perennes aeternitates, atque immarceſsibilis gloriae corona doneris. Tornaci XXIV Julii. MDXCVI.

Quem tibi ſaepius prioribus meis litteris commendavi, Magiſtrum Andream a Lapide agentem in Collegio de Anima, Fratrem Prioris Noſtri, iterum commendo obnixe.

EPI-

EPISTOLA XCVII.

JACOBO DE MARQUAIS ABBATI S. MARTINI TORNACENSIS

CAESAR CARDINALIS BARONIUS .

De adhibita ſecum gratulatione eidem gratias agit, deque accepta dignitate maxime dolet.

PErgratas abs te accepi litteras , quibus mihi de Cardinalatus dignitate collata admodum gratularis . Utinam nunquam contigiſſet ejuſmodi ſuppeditari argumentum ſcribendi . Accidiſſet magis, me fidei defenſionis cauſa detruſum in carcerem, ad horas ſingulas carnificem opperientem, fuiſſe litteris conſolatum , & mihi pariter congaviſum; ut hoc noſtro ſaeculo quamplurimis accidiſſe ſcimus . Aſt quae ſunt inſignia iſta purpurea abſque veritate Martyrii, niſi faſces ſine conſulatu, & purpura ſine imperio ? Verum utcumque acciderint mihi iſta , toleranda ſunt, non praeconiis efferenda , niſi illud audire velis Sapientis dicentis; *Riſum reputavi errorem, & gaudio dixi, cur fruſtra deciperis ?* Eſt tamen quod gaudeas, cum audies nihil pene ex collata dignitate iſta eſſe detractum Annalium ſcriptioni, quam ipſe ſummus Pontifex urget. Jam cuſus eſt ſeptimus Tomus, Index aptatur , cogitatur de octavo, quem ad finem ſequentis anni Deo favente, ſum editurus . Tu interim vale , & precibus adjuva apud eam , quam adeo diligis, & frequentas Sanctiſſimam Dei Genitricem Mariam . Haec curſim meo Chirographo , licet perbreves, & inconditos, amoris tamen mei erga te dignos teſtes accipias velim . Vale. Romae Pridie Kalendas Septembris . Anno Domini MDXCVI.

EPI-

EPISTOLA XCVIII.

CAESARI CARD. BARONIO

JUVENALIS ANCINA (*a*).

De ruſticatione ſua certiorem facit, eique ut Romam reverteret ſuadenti, quantum ab aulae ſtrepitu atque Urbis frequentia abhorreat, declarat; ſe tamen illi paratum in omnibus obedire profitetur.

CAlendis Septembris peropportune ruſtificationem meam abſolvi in praecelſo montis cacumine Cuppulano ruri noſtro imminente. Eremiculas Camaldulenſes non ſemel inviſi; vidi monachos. Sed vae mihi, vae miſero mihi, qui evangelici ſacerdotis munus obeo, & falſi clerici nomen gero. Sed quid inter haec tu mihi obſtrepis invide, & alienae felicitati emule? Et quid obſecro eſt cur adventum in Urbem meum poſtremis litteris tuis tantopere urgeas? An vero id neſcis, jampridem me Romam nolle? Nunc autem ex quo Cardinalium Senatui aſcriptus es, & Romam timere, ac pene & ab ea abeſſe mihi quam longiſsime fugiendum fore. Habeat ſibi Roma ſuos tumultus. Viſitare, & viſitari, atque inter rodentium miniſtrorum linguas auratos poſtes ingredi, Aulicorum ſint, Urbis frequentiam, & purpuratorum Antiſtitum gratiam mirifice ambientium. Mihi certe Oppidum carcer eſt, & Solitudo paradiſus, ubi eſt frequens mortis meditatio; oppido quam jucunde vacuum tot urbium curis animum vehementer oblectat; & divinarum rerum aſſidua contemplatio ſuaviſſima mentem uberrimis ſaginat paſcuis, atque aeternis coeleſtiarum deliciarum fontibus ebriam in ſublime raptam, ad coelum extractam uſque ſuſpendit. Tamen ab ingenio tuo non diſcedis, quin, & firmius, atque conſtantius in ſententia perſeveras. At quorſum haec? Paucis accipe. Veniat in mentem tibi, quod & antea longe incredulo tibi, atque ridenti praedixeram. A Roma Pater tibi timeo; quod in ipſo Cardinalatus tui primo ſtatim exordio ſcripſeram „ Timor, quem timebam evenit mihi, & quod verebar accidit „. Sed videlicet ſero ſapiunt Phryges; & non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum. Equidem nec

(a) Nonnulla de hoc dicta ſunt paullo ſuperius in notis ad Epiſt. LXXIX, pag. 388.

nec Propheta ego ſum, nec Prophetae filius; hoc ipſum tamen profiteri libere, ac propemodum, ſi liceat, divinare auſim, aſpicere jam me nunc pergraves moleſtias, & calamitatem a longe venientem. Sapienti pauca. At quid quaeſo tandem hic tibi vis Pater? Aut quorſum venire me jubes Romam? Me iterum crucifigi? Sane quidem nec ego Dominus, nec Petri laudabilis ſectator ſum. Crucem tamen mihi illic minime defuturam, peccatis meis facientibus, non ambigo; quoniam & acerbiſſimam crucem inveteratus dierum malorum peccator mereor & a Deo. Sed haec miſſa faciamus. Crux cuique ſua parata eſt. Utcumque demum res caſura ſit „ Fiat voluntas Domini, ſicut in Coelo, „ & in Terra „ Omnino igitur iſtuc proficiſci neceſſe quum fuerit, libenter veniam, faciens de neceſſitate virtutem, divinae illius ſententiae utique memor; meliorem multo eſſe obedientiam, quam victimas, & auſcultare magis, quam offerre adipem arietum; quoniam quaſi peccatum hariolandi ſit repugnare, & quaſi idololatriae ſcelus non acquieſcere. Hanc ob rem pro virili mea, vas electionis Apoſtolum Paulum, homuncio & ego, quadantenus imitari cupiens, licet Paulo valde abſimilis, dabo enixe operam, & conabor ſedulo, ut in omnem eventum paratus ſim; videlicet & Hieroſolimam, & Romam, & in Panonias, & in Transylvaniam, & ad Sarmatas, & ad Schytas, & ad Britannos, & ad Indos Japonios, ac Sinas, vel uſque ad Antipodas, & in carcerem, & in mortem ire; cujus & imaginem quotidie mihi ob oculos verſari gaudeo, & fraternis hiſce, praeclare admodum, epiſtolis tibi memoriam refricari cupis quam maxime. Quod reliquum eſt, ſacris quum operaberis, ſuderiſque inter divina myſteria preces, & lachrymas, praeſens abſenſve, ſis Juvenalis ubique tui memor. Vale. Neapoli Pridie Idus Septembris. MDXCVI.

Digitized by Google

EPISTOLA XCIX.

CAESARI CARDINALI BARONIO

JOANNES PISTORIUS (*a*).

Speciales obſervationes circa officia variorum Sanctorum pro Eccleſia Conſtantienſi; videlicet SS. Pelagii XXVIII Auguſti; Conradi, ſeu Curradi XXVI Novembris; Maynardi, Trudperti, Fridolini, VVolfangi, Lamberti, Leodegarii, Eliſabeth, Galli, aliaſque adnotationes ſpectantes ad officia propria ejuſdem Eccleſiae Conſtantienſis exponit.

POſtquam ab Illuſtriſſimo, Reverendiſſimoque Cardinali meo (*b*) ad Reverendiſſimam tuam, Illuſtriſſimamque dominationem litteras dare juſſus clementiſſime fuit, vix dici poteſt quantis in-

(*a*) Fuit hic ſacrae Theologiae doctor, & Canonicus Conſtantienſis, ediditque illuſtrium veterum Scriptorum, qui rerum a Germanis per multas aetates geſtarum hiſtorias vel Annales poſteris reliquerunt, tomos duos in fol. quorum primus impreſſus eſt Francofurti per Claudium Marnium an. 1613; alter vero Hanoviae typis Wechelianis eodem anno. Hi iterum an. 1653 excuſi ſunt Francofurti Tom. I in fol. Evulgatos etiam habemus a Piſtorio artis Cabaliſticae, hoc eſt reconditae theologiae, & philoſophiae Scriptores Tom. I in fol. Baſileae apud Seb. Henricpetrum an. 1587. Atque eodem anno ibidem Polonicae hiſtoriae corpus tribus Tomis diſtributum. Extat etiam in Chronico politico Gruteri Tom. I, pag. 105 ſeries Regum Hungariae ab eodem Piſtorio ordinata.

(*b*) Ad marginem autographi hujus Epiſtolae, quam in Bibliotheca noſtra Vallicelliana adſervatur, notatum a neſcio quodam reperitur. Piſtorium heic loqui de Marco Sitico S. R. E. Cardinali ab Altaemps. Verum quum haec Epiſtola ſcripta ſit Kal. Februarii an. 1597, & hic Cardinalis ab Altaemps XV Kal. Martii anno 1595, Romae e vita diſceſſerit, dicendum eſt, vel heic Piſtorium de alio Cardinali ſermonem habere, vel ita de Altaempſio verba facere, ut ſuperioribus annis ejuſdem Cardinalis juſſo, alias ad Baronium Epiſtolas miſerit. Neque enim ſuſpicari poſſumus errorem ſubeſſe aut in anno ejus obitus, aut in nota anni quo epiſtola ſcripta eſt. Non primum, quia apud omnes conſtat Marcum Siticum anno 1533 natum eſſe, & mortem obiiſſe aetatis ſuae anno LXII. Non ſecundum, quia haec Epiſtola data eſt ad Baronium jam Cardinalem; & hic in ampliſſimum Collegium cooptatus eſt nonis Junii anno 1596. Ceterum utcumque ſe res habeat, quoniam de Cardinali ab Altaemps injecta eſt mentio, fuit hic Pii IV Pont. Max. Sororis filius; a quo initio anni 1561 Epiſcopus Caſſanenſis electus, ſedis Apoſtolicae Nuncius, ut dicitur, ad Ferdinandum Imperatorem legatus eſt pro convocatione Concilii; & IV Kalend. Martii ejuſdem anni inter Diaconos Cardinales fuit cooptatus. Poſtmodum idem Pius patruus legatum a latere eum miſit ad Maximilianum Imperatorem poſt obitum Ferdinandi patris. Conſtantiae Imperatorem ipſum hoſpitio recepit, & ſub Sancto Pio V Synodum, qua populi & cleri mores corrigeret, celebravit. Epiſcopus Conſtantienſis etiam renunciatus, uti Imperii princeps, Comitiis ab eodem Imperatore habitis anno 1565 interfuit. Quando obierit, paullo ſuperius diximus. Ejus autem corpus in Sacel-

Digitized by Google

inceſſerim laetitiis, cum influendi in ſummi, illuſtriſsimique viri notitiam, qui praeſtantia doctrinae, virtutiſque ſuae totum terrarum orbem complevit, & ad ejus aditum, niſi pudor abſterruiſſet, diu jam ante aperuiſſem mihi viam, viderem tam optabilem offerri, tamque praeclaram occaſionem. Itaque, cum quod mos Celſiſsimo D. Cardinali meo gerendus eſſet, tum quod ſcriptione iſta praegeſtirem, conſenſi ſtatim, vixque me continui, quin ipſo momento, ut omnis mihi moleſta accidit mora, ſubirem e veſtigio officium. Tamen recta ad cubiculum reverſus meum, ſcribendum ſtatim, & quidem primo loco de Cardinalis mei mandato, deinde de paucis aliis eſſe putavi. Praefatus primum veniam, & precatus, ſi qua in re a ſententia Reverendiſsimae, Illuſtriſsimaeque Dominationis tuae diſcederetur, nec id ab alio animo, quam ad magis excitandam infinitam illius eruditionem & ſapientiam, & ad nos melius erudiendos fluxiſſe judicet. Nec enim vel opus, vel aequum erat in iis examinandis, quae a tanto pietatis, & cognitionis hiſtoricae lumine, & ab arce prudentiae profecta ſunt, nos minutos homines minimum occupari; quod ſi moliremur, non inepte videri poſſemus, illaturi lumen in ſolem, & Athenas noctuas. Id igitur cum ne quidem cogitemus, dabit mihi quod humillime peto veniam, quod interpellare ſomniis, nugiſque noſtris claritatem tuam audeam.

Alioquin nec multa ſunt, nec magnam conſiderationem habent, quae interloquemur, & capiendi tantum conſilii, vel recipiendi novi mandati cauſa ad Reverendiſsimam, Illuſtriſſimamque Dominationem tuam perferuntur; cum ſciamus alienum ab officio eſſe, munereque noſtro, ut apicem unum vobis inconſultis mutemus. Sic igitur ne ſim longior, res habet. Cuperent primum Noſtri, lectiones fuſiores nonnullas eſſe magis contractas, non in rebus, ſed in verborum ambitu; ut iſtae lectiones caeterarum, quae in Breviario Romano extant, ſint ſimiles. Verum id non urgent, rogant tantum, & in arbitrio Dominationis Reverendiſſimae merito relinquunt.

In S. Pelagii vita nihil culpant, ut nec poſſunt. Mirantur ve-

Sacello a ſe extructo in Eccleſia Tranſtyberina S. Mariae conditum eſt. Plura de eo habentur apud Cardinalem Pallavicinum in Hiſtoria Concilii Tridentini. Gabutium in vita S. Pii V, Ferdinandum Ughellium in Italia ſacra, Hippolytum Maraccium in Purpura Mariana, Ranuttium Scottum in Helvetia ſacra, Franciſcum Auguſtum ab Eccleſ. in Hiſt. Pedemontana, Ciacconii Continuatores Tom. III col. 935, alioſque, quos ut brevitati conſulamus, libenter praetermittimus.

vero, cur Auguſtae affectus martyrio ſcribatur, cum Conſtantiae in Gallia quinto Kalen. Septembris, quo die etiam anniverſaria celebrentur, ſubjiſſe mortem Pelagium, fortem Chriſti athletam, ſub Numeriano Imperatore, Reverendiſſima, Illuſtriſſimaque Dominatio ſua anno 254, folio primae Antuerpienſis editionis 715 teſtetur (a), & ſine dubio Pelagium noſtrum propter convenientiam temporis ſignificet; tametſi tum Conſtantia nulla eſſet, niſi in Normandia Conſtantia Caſtra fortaſsis intelligat. Noſtra enim Conſtantia, cujus circumjecta Provincia, tum ad Galliam ſimul attinebat, diu poſt aedificata fuit, niſi κατὰ πρόληψιν Conſtantiam nominet poſterioris aetatis cognomento. At illa tum Conſtantia, cur jam Auguſta ſit, ut dixi, noſtri non perſpiciunt; cum Conſtantia nulla Auguſta vocetur. Auguſtae vero infinitae diverſis terrarum tractibus occurrant, ut explicari particulatim, quae Auguſta fuerit, neceſſarium videatur; nec tamen ante conſpectum hominum proponi debeat, priuſquam prior ſententia, vel refutetur, vel concilietur, ne erraſſe Eccleſiam arbitrentur Lutherani,

&

(a) Dubitare quidem videtur Ven. Card. Baronius, an S. Pelagius ſub Numeriano martyrio adiectus ſit. In Annalibus enim Eccleſiaſticis ad annum 284, num. V haec habet. „ Quod igitur Carus de Chriſtianis benemeritus videatur, & filius ejus Numerianus „ paullo poſt patrem interfectus ſit; unde quaeſo quod nonnulli martyres ſub Numeriano paſſi legantur in cunctis martyrologiis: „ haud res eſt facile demonſtratu, nec eſt, „ quod dici poſſit, niſi ipſum, vivente adhuc patre, cum Caeſarem ageret, in Chriſtianos ſaepius reſcripſiſſe ... Nullum vero „ ſub Caro legimus paſſum, quod, ut dictum eſt, ipſe faveret potius Chriſtianis „. „ Accidiſſe tamen interdum, ut invito ipſo Imperatore, Chriſtianorum complures necarentur, quae dicta ſunt ſuperius in Severo „ demonſtrant „. Hinc Tillemontius Tom. IV Monumentorum Eccleſiaſticorum pag. 565 animadvertit, Numerianum parum habuiſſe auctoritatis ſub ſuo patre, quum juvenis admodum eſſet, & tantum Caeſar. Ex quo autem fuit Auguſtus, vix habuit otium cogitandi de alia re, quam de exercitu e Perſia removendo, reducendoque Chalcedonem verſus, ubi interemptum fuiſſe ante diem XVII Septembris anni 284 idem ſcribit Tillemontius loco cit. atque adeo illum vix in Oriente regnaſſe, nunquam autem in Occidente. Quod ſane, obſervat idem Auctor, magnum praebet dubitandi locum, num ſcilicet, quod huic Imperatori tribuitur, ut aliis contigit, per adminiſtrum aliquem, qui fortaſſe Numeriani nomen, vel aliud huic accedens habuerit. Verum enim vero huic Tillemontii difficultati ita obviam iri poſſe cenſent nonnulli, ut dicatur, aliud eſſe viros ſanctos ſub aliquo Imperatore, ſive alicujus Imperatoris tempore martyrio adfectos fuiſſe, aliud eſt juſſo alicujus Caeſaris, ideſt vi edicti publici, ſeu motae ab eodem vel continuatae in Chriſtianos perſecutionis, diem ſuum objiſſe. In Sancto autem Pelagio, de quo heic inſtitutus eſt ſermo, qui ſecundum acta a Bollandianis prolata ad diem XXVIII Auguſti, in Occidente martyrium ſubjiſſe ſcribitur, cur quaeſo locum habere non poteſt brevis illa Card. Baronii oratio, quod ſcilicet acciderit interdum, ut invito ipſo Imperatore Chriſtianorum complures necarentur? Si enim invito Imperatore, aut inſcio id contigiſſe potuit, quid obſtat, quominus Numeriano alibi degente, in Oriente videlicet, occiſus in Occidente fuerit S. Pelagius ab Evilogio judice, uti habetur in iiſdem actis? Et ſane, poni quidem aliquam ſub Numeriano motam in Chriſtianos perſecutionem, ſed ſine fundamento, dicitur apud laudatum Tillemontium in Indice chronologico ad Tomum citatum pag. 788.

& Plebeii Catholici noſtri. Quamquam, ut verum fatear, Urbs, Eccleſiaque noſtra teſtimonium luculentum de Patrono ſuo Pelagio, vel Auguſtae, vel Conſtantiae interfecto nullum ſuppeditant; cum potius in Pannonia patria cruciatum eſſe tormentis, & occiſum putent. Quod in Numeriani imperium magis congruit, qui in oriente, non in occidente Rempublicam adminiſtravit; & vix apud nos ſaeviendi occaſionem habuit, niſi vivo patre, cum Caeſar eſſet, noſtras provincias in occidente gubernavit, & tum mors accidit S. Pelagii; quod nos ignoramus. Deinde noſtri mirantur, cur patriam Emonam ſuperioris Pannoniae, Ptolomeo notam, & fide ſuperioris aetatis pro patria S. Pelagii communiter receptam, urbem ex noſtra narratione deleverit, vel potius obruerit ſilentio (a). Unde rurſus ſcandalum apud ſuos timent; & quamquam nihil fruſtra, vel mutatum, vel intermiſſum ſciunt, tamen ut calumniatoribus reſpondeant, inſtrui ſe a Reverendiſsima, Illuſtriſsimaque Dominatione ſua percupiunt.

Se-

(a) Duplicis difficultatis, quam hic Piſtorius movet, primam quae circa S. Pelagii martyrii tempus verſatur, ſatis jam videmur explicaſſe in praecedenti adnotatione. Reſtat modo, ut ſecundae huic occurramus, quae eſt de loco, ubi idem S. Pelagius martyrio fuerit adſectus. In martyrologiis Molani, & Galeſinii Conſtantiae in Gallia id accidiſſe refertur; in aliis locus martyrii omnino deſideratur. Apud Notkerum legitur eodem die XXVIII Auguſti „ Emmoniae, quae eſt „ civitas provinciae Carniae paſſio S. Pela„ gii martyris „. Martyrologium Germanicum, ſub Caniſii nomine citari ſolitum, locum paleſtrae S. Pelagii in Acarnania ſignat; cultus autem Conſtantiae in Gallia vel Francia. Verum Solerius in Auctariis ad Uſuardum eadem die, poſt prolatum Molani textum haec animadvertit. „ Supra tribuebatur Pe„ lagius Conſtantiae Galliae, quae a Rheno „ longe diſſita eſt, niſi Gallia, vel potius „ Francorum Imperium in latiſſima ſignificatio„ ne ſumatur, quam olim habuiſſe conſtat „. Notat praeterea idem Solerius, quod haec lata, & impropria ſignificatio in errorem fortaſſe induxerit Sauſſayum, qui ad diem IX Septembris haec ſcribit „ Apud Conſtan„ tiam in ſecunda Lugdunenſi provincia S. Pe„ lagii martyris, ibi ſub Numeriano Impera„ tore ſaeviente, Evilaſio Praeſide, necati in „ confeſſione pietatis „. Fallitur enim Sauſſayus, ad Conſtantiam ſynonymam reſpiciens in Normannia Galliae, vulgo *Coutance*, vel *Coutances*, de qua agit Baudrandus. Quod vero idem auctor IX Septembris ſignet pro XXVIII Auguſti, accidit forſan, quia V. Kal. Septembris cum V idus ejuſdem menſis confundit. Aſt Bollandiani ad eamdem diem XXVIII Auguſti, rejicientes ea, quae habentur in Appendice IV ad Chronicon Conſtantienſe apud Piſtorium pag. 719; nempe quod S. Pelagius Emonae quidem natus, ſed paſſus martyrium ſit in civitate, quae poſtea cognominari Conſtantia coepit, ubi tempore Numeriani ſeceſſerat, haec, inquam, Bollandiani rejicientes, id contigiſſe putant in civitate Emona in provincia Carniae, quod indicat Paſſio quaedam ab iiſdem Bollandi continuatoribus in medium prolata loco cit. ex apographo Anonymi, quod adſervatur in Bibliotheca Societatis Jeſu S. Galli. De hac provincia & urbe agitur in Breviariis Conſtantienſibus, quorum unum anno 1561, alterum anno 1575 impreſſum notatur, ut in lectionibus S. Pelagii videre licet. Omittimus hoc loco referre, quae de iis habentur apud Cellarium in notit. antiquitat. orbis Lib. II Cap. VIII, & Lib. III, Cap. XXV; apud Zoſimum Lib. V, Cap. XXIX; nec non apud Joan. Lud. Schonlebium in Lib. cui tit. *Emona vindicata*; quemadmodum etiam quae Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum Lib. VII, Cap. CXX, de ejuſdem S. Pelagii martyrio ſcribit; quum haec omnia ex laudatis Bollandi continuatoribus loco cit. facile peti poſſunt; ex quibus nos etiam iſta potiſſimum excerpſimus.

Secundo. Cur alteri Patrono Eccleſiae, & Loci Chunrado, quem, ut S. Pelagium, per integram octavam colimus, contra rubricas, vel regulas Breviarii, quae a ſummis feſtis Patronorum Commemorationes excludunt, S. Petri Alexandrini Commemorationem adjunxerit, non intelligimus. Deinde quod in S. Martini ſacello humatum eſſe ſcribit, exiſtimamus per errorem Scriptoris, & ex Demochare, qui Sacellum S. Mauritii nominat interfluxiſſe; cum S. Martini Sacellum apud nos nullum, nec ab illo, nec ab alio extructum ſit, & ſepulchrum ſaxeum, elatum ſupra humum, adhuc hodie in vicino Sacello proprio conſpiciatur. Ut enim Annales noſtri ſine dubitatione tradunt ſub dio primum, ante Sacellum S. Mauritii, ad parietem mandatum terrae corpus, ſancto viro ante mortem ſic jubente, & confectum ſaxo; deinde vero novo Sacello, quod Ulricus a Reichentaro Canonicus, miraculis ad ſepulchrum editis commotus, ſuis ſumptibus aedificavit, incluſum ſepulchrum, & altare erectum in honorem mortui S. Chunradi fuit, quomodo jam adhuc cernimus. Ut ex eo ſolo Democharis auctoritas quouſque in rebus factiſque noſtris valeat non magno negotio liqueat, qui Gallus, & quingentis Italicis miliaribus, cum ſcriberet, a nobis remotus, aliena fide excuſorum auctorum ſubnixus, archivum, libroſque noſtros antiquiſſimos ne quidem aſpexit; ut propterea nos, qui omnia ex antiquis libris, & chartis habemus explicatiora, hiſtoriam illius de Epiſcopis noſtris parvipendamus. Quod obiter non ad deſpiciendum diligentiſſimi viri laborem non malum, ſed ad veritatem illuſtrandam, monendum ſemel eſſe putavimus. Tertio conſtat nobis clariſſime, natum eſſe S. Chunradum ex B. Matre Comitiſſa Hohewart, & praedixiſſe S. Gebhardo puero ſucceſſionem. Id vero cur in lectionibus Romanis ſubreticeatur, ignoramus. Quarto litteras habemus vetuſtiſſimas, quibus Calixtus Secundus Pontifex Maximus in Concilio Lateranenſi ampliſſimo, intellectis miraculis, & Ulrico Epiſcopo, totoque Clero, & populo Conſtantienſi ſupplicantibus, in numerum Sanctorum Chunradum noſtrum aſcripſit V Calend. Aprilis. Quod an ſimul ad tertiam lectionem apponendum ſit, exquirimus mandatum Reverendiſsimae, Illuſtriſsimaeque Dominationis tuae. Quae noſtrae ſunt omnes de utroque Patrono, vel dubitationes, vel ignorationes; niſi quod de diebus infra octavam, quia nihil ſumus commoniti, cenſemus ſecundi nocturni praeſcriptas lectiones eſſe quotidie repetendas, ſumendaſque reliquas de communi Martyrum & Confeſſorum. Ter-

Tertio in Vita S. Maynradi, cujus deſcriptionem ante annos quingentos in membranis explicatam, & a Majoribus nobis in Augia majori relictam habemus, nos ex nobiliſsima Comitum, non tantum ex nobili familia, quae duae appellationes in magno apud nos diſcrimine verſantur, ducimus, & nomen antiquum Inſulae Sundelſaugiam fuiſſe; ſicut verum eſſe miraculum, quod de Corvis latrones inſequentibus, & prodentibus aſcripſeramus, ſine dubio ſcimus, ut ex iſto ſolo miraculo, depictus ſi Maynradus, ſtatim omnibus laicis per provinciam noſtram innoteſcat. Sic interfectum eſſe anno 863 loci iſtius Annales, & veteres ſcripturae, ubi reliquiae ſanctae aſſervantur, oſtendunt; ut cur aliter Romae ſentiatur ante impreſsionem Breviarii, ſi tanta nobis impertietur gratia, libenter cognoſceremus.

Quarto, quod in Vita Trudperti adſcribitur Martianum, non Martinum, quo nomine nullus ex noſtris uſus fuit, Conſtantienſem Epiſcopum quintum, vel adnumeratis Unidonenſibus octavum, non decimum, ut Demochares numerat, conſecraſſe Sacellum S.Trudperti, veremur, ne ſuſtineri queat; nec videmus, quomodo tempora concilientur, cum Othbertus ante annum ſexcenteſimum ſexageſimum, quicquid de ipſius ex Theodeberto Rege Auſtraliae procreatione credi, & verum eſſe poſſet, inter vivos nondum fuerit. At tum mortuus Epiſcopus diu e vita diſceſſerat, cum Joannes tertius Epiſcopus a Martiano poſt Gaudentium, ut nos numeramus, anno 650 ſit electus.

Tamen ſi Othbertum ad tempora Martiani, & S.Trudperti, id eſt ad annum 643, vel circiter adducemus, ſatisfactum erit veritati hiſtoricae. In quo ad doctrinam Dominationis Reverendiſsimae, & Illuſtriſsimae ſuae confugimus. Tabulae enim & libri Monaſterii nullum nobis ſubſidium conferunt, videnturque negligentiſsime ſcripti, cum praeter alia S.Trudpertum, qui anno 643 e vita diſceſsit, fratrem S. Ruperti faciant, qui centum annis ante convertit Bavaros, & nihilominus illum ex Gallico, hunc ex Scotico regio ſanguine natum ſcribant errore turpiſsimo.

Interim viſum eſt de varietate in numerandis Epiſcopis noſtris inter nos, & Democharem rurſus aliquid aſcribere; nempe nos Grammaticum in Concilio Aurelianenſi quinto pro Epiſcopo Vindonenſi vix agnoſcere; cum Concilium eſſet Galliae, ad quam Vindona quidem pertinebat, ſed tam longinque nulli alii ex Germania aſciti ſunt Aurelianum Epiſcopi, & magis tum Vindona cum Germania cohaerebat. Quod

Quod vero Lauto Conſtantienſis Epiſcopus ibidem , & in tertio Concilio nominatur , non ad noſtrum , ſed ad Normanniae Epiſcopatum Conſtantienſem referri debet . Sic Gaudentium poſtponimus Martiano contra Democharis ſententiam ; quod breviter aſcripſiſſe ſatis eſt , ut cognoſcat non tanti ponderis auctoritatem eſſe Democharis in rebus noſtris judicandis , quanti ſortaſsis creditur .

Quinto in S. Fridolini vita fatemur , S. Fridolinum ad Sanctum Hilarium viventem proficiſci per aetatem non potuiſſe , cum Hilarius anno 369 , Fridolinus anno 514 obierit mortem ; tamen ad tumulum illius Pictavium iter fecit , ut patrocinium tanti Sancti ſibi propius conciliaret ; & Abbas illius factus reſponſum a S. Hilario recepit , ut Reverendiſsimus , & doctiſsimus P. Petrus Caniſius (a) in nuper publicato libro germanico ex antiquiſsimis monumentis docet , & nos firmiſsime demonſtramus .

Sexto . S. Wolſgangum Epiſcopum Ratiſponenſem , nobis non petentibus , & cujus reliquias non habemus , nec pene inter Sanctos Dioeceſis noſtrae agnoſcimus , ſub ſemiduplici colendum decreviſtis , cum in illum eumdem diem incidat omnium Sanctorum Vigilia . Sic S. Lambertum peregrinum Epiſcopum , cujus propter brachium Friburgi aſſervatum commemorationem tantum expetivimus , eodem modo ad ſemiduplicis ſeſti rationem extuliſtis . Quod poſterius locum vix habet , quia dies XVII Septembris Cornelio , & Cypriano Sanctis Pontificibus deſtinatus eſt propter octavam dedicationis Eccleſiae Cathedralis noſtrae , cui in decimoſexto die cedere debuerunt , ut uno die duo ſemiduplicia collocari nequeant , niſi fortaſsis S. Lambertus ſit in XVIII Septembris transferendus . In quo ſi denuo jubebitis , non repugnabimus , ut nec debemus . Monere tamen voluimus , nec noſtros eſſe Sanctos , nec nos interceſsiſse , ut ſemiduplex feſtum in eorum memoria conſtitueretur .

Septimo . In vita S. Lamberti Pipinum Pipini prioris nepotem nullum ſcimus . Fuit quidem Pipinus Caroli magni pater, Pipini Heriſtelli ex filio Carolo Martello nepos ; ſed is nec tunc vixit , nec adulterium cum Adelheyda , vel Alipaide commiſit ; cum Adelheyda , vel Alipias , vel Alpias avia Pipini poſterioris , fuerit concubina primi Pipini , qui filius Ariligiſi , & nepos Arnolfi ſuit . Itaque quem Reverendiſsima , Illuſtriſsimaque do-

mina-

(a) Vide quae de Caniſio hoc habentur ſuperius in noſtris adnotationibus ad Ep. XXXIV. p. 246.

minatio tua Pipinum prioris Pipini nepotem, & quem priorem Pipinum hoc loco intelligat, petimus, ut explicet; cum S. Lambertus occiſus ſit a Dodone fratre Adelheydae ſecundum Sigebertum, & Galliae Scriptores anno 694, & non anno 700; ut Demochari placet; Pipinus vero Pipini nepos diem ſuum obiverit anno 767; nec ulla hiſtoria Pipino Heriſtello avum paternum Pipinum tribuat, niſi forte Scriptor erravit, & pro Pipino poſterioris avo ſcripſit prioris nepotem, vel Pipinus intelligitur maternus avus primi noſtri Pipini Dux Brabantiae. Atqui hujus, vel illius nulla in lectionibus facta eſt mentio, ut prior, vel poſterior Pipinus dici hoc loco non poſſe videatur.

Ubi alius error denotandus venit, quod Rudolphum Epiſcopum, qui caput S. Lamberti Friburgenſibus dedit, Scriptores Leodicenſes cum Demochare, rejectum a Moguntino Archiepiſcopatu, filium Ducis Lotharingiae faciunt; cum peritiores rerum Lotharingicarum ipſi ex maximis cauſis negent, nec Simoni filio Matthaei liberos ullos concedant, quod non probabile tantum eſt; ſed praeterea nos ex tabulis, & fundationibus Monaſterii S. Petri clariſsime probamus, fuiſſe Rudolphum Conradi Ducis Zarnigiae filium, qui cum Barbaroſſa Imperatore profectus in Syriam, & reverſus anno 1190, non Leodii, ſed in Patris Provincia, in villa Herdera, prope Friburgum, V Auguſti ex vita diſceſſit, ſepultus in avi tumulo in monaſterio Divi Petri. Quod ipſum Dodechini, & Lamberti Schafnaburgenſis Appendices teſtantur, cum Rodulphum illum, quem Moguntinenſes repudiarunt, non Lotharingiae, ſed Chunradi Zaringiae Ducis filium expreſſe nominent anno 1160, & 1161. Quod omnem in illa quidem re Demochari fidem abrogat.

Octavo. In Vita S. Leodegarii erat in noſtris lectionibus aſcriptum, vixiſſe tempore Conſtantini Imperatoris; quod de Conſtantino Pogonato intelligendum fuit. Porro Dido Pictavienſis, ex Bucheti Aquitaniae Scriptoris teſtimonio, ut poſtea inter marginalia Capite XII probabimus, nec triceſimus ſextus iſtius loci Epiſcopus, nec ita virtutis, atque pietatis ſtudioſus fuit, ut propter nominis cum altero Didone communitatem exiſtimatur; & praeterea quod de Clodovaeo, hujuſque filio Clothario narrantur, non prorſus expedita ſunt, ſicut in marginalibus oſtendemus.

Nono. S. Eliſabethae mortem in annum 1331 error librarii tranſtulit; cum liquido conſtet omnibus, mortuam eſſe in paupertate aetatis anno 24, & anno poſt Chriſtum natum 1231,

mortuo marito Hydrunti in Syriaca profectione anno 1227, patre Eliſabethae anno 1235, filio unico Hermanno 1241. Quod Reverendiſſima, Illuſtrimaque Dominatio ſua, nobis tacentibus, exquitiſſime novit, nec nos aliter, quam pro Scriptoris negligentia interpretamur. Mirum autem videtur, calamitates, quae illi poſt Mariti obitum ab affinibus Landtgraviis acciderunt, omnino ſubticeri; cum illius ſanctitas, & patientia perferendis omnibus, & victu per lanificium quaerendo multo eſſet futura celebrior. Sed ſubmittimus nos merito Sanctiſſimi Domini Noſtri, & dominationis Reverendiſſimae, Illuſtriſſimaeque ſuae judicio.

Decimo. S. Gallus Britannus dicitur; verum id quidem, ſed obſcurius, & in genere, cum ſi Scotus diceretur patria, pars Britanniae veteris melius perſpiceretur, nec miracula illius referuntur, & mors, quam Arlonae oppetiit, praeteritur ſilentio; cum ſint clariſſima, & ex antiquiſſimis ante quinque, vel ſex ſaecula MSS. Libris a nobis, doceantur. Ubi rurſus tamen contenti ſumus, nec quicquam mutari cupimus.

Undecimo. Ut tandem ſimul de orthographicis omnibus Scriptoris erroribus agamus, ſunt illa, quae ſequuntur; propemodum omnia Sechingi pro Sechhingae in vita S. Fridolini. Briſgigiae pro Briſgojae, Orberto pro Othberto in vita S. Trudperti. Valdaricus pro Ulricus, vel Udalricus, vel Huldricus (ſic enim ſine diſcrimine ſcribitur), Gerbera pro Dithburga, Bruchardi pro Burchardi, Chirburgenſi pro Kiburgenſi, Dilegenſi, pro Dilligenſi in lectionibus S. Ulrici. Rudolphus Dux Lovvezenſis, pro Rudolphus Dux Zaringenſis in vita S. Lamberti, quae quamquam admodum minuta, & inſulſa ex linguae germanicae ignoratione, tamen apponenda fuerunt, ut prorſus nihil vobis inſciis mutaretur.

Duodecimo. Ut de iis, quae ad marginem annotata legimus, aliquid dicamus; primo teſtificati jam ante ſumus, Martinum nullum fuiſſe Conſtantienſem noſtrae Dioeceſis epiſcopum; ſed Martianum non undecimum, ſed quintum inter Conſtantienſes, & octavum, ſi Vindonenſes connumerentur. Secundo idem eſt nobis pro aetatum varietate diſſimiliter ſcriptum nomen Ulricus, Ulrichus. Tertio Hiltino, vel Hiltinus, vel Hiltenius, idem germanicum nomen eſt a diverſis diverſe exaratum, & accomodatum ad latinitatem. Fuit autem ex Auguſtanis Annalibus anteceſſor S. Ulrici in Epiſcopatu Auguſtano. Quarto Gebhardus

dus Epiſcopus Conſtantienſis nunquam Eberhardus dicitur, ut male Demochares ſenſit; idem vero Chunradus & Conradus & Kunradus eſt, quoquo modo ſcribatur. Quinto Thoſſo fuit presbyter Comes S. Neagni Auguſtanus Epiſcopus factus a Pipino Rege anno 753, & mortuus anno 768; quamquam inter Tozzo & Toſſo nos non admodum diſtinguimus. Sexto nos S. Magnum, vel Margnoaldum a Joanne Gundifilio Romano Pontifice ſecundum Panvinium VIII, relatum eſſe inter divos putamus, intercedente Auguſtano Epiſcopo Lanckone, qui alias Lando, vel Daneko, & anno 877, non 887, vita defunctus eſſe dicitur. Septimo Pipini Heriſtelli pellicem matrem Caroli Martelli, nos noto germanico vocabulo, nec Alipaidem, nec Albaidem, nec Alpiadem, nullo minus Alpandem, ſed Adelhaydam nominare ſolemus; & cur nominemus, habemus cauſas graviſſimas. Octavo. Didonem Pictavienſem Epiſcopum triceſimum ſextum non judicamus, illum eſſe, cui Leodegarius in diſciplinam traditur. Buchetus enim ſatis diligens Aquitanicarum rerum, & iſtius loci ſcriptor, iſtum Didonem ante annum 648 mortuum, & illo tempore Anſtraoldum epiſcopum fuiſſe ſcribit, ut fruſtra Clodovaeo II Regi Galliae, qui anno 645, duodecimo nimirum Regni patris anno, ex alvo materna in lucem venit notiſſimus, & gratiſſimus fuiſſe putetur. Itaque ſi Dido noſter gratia Clodovaei floruit, & in eadem S. Leodegarius fuit, neceſſe erit Didonem noſtrum non triceſimum ſextum, ſed quadrageſimum primum ſine dubio fuiſſe Pictavienſem Epiſcopum, quem Didonem, cognomento Godonem, Buchetus fatetur, qui quadrageſimum primum Didonem Sigeberto Regi Auſtraſiae fratri Clodovaei tam familiarem fecit, ut moriens Dagoberti infantis filii curam Didoni commendaret. Quod ſimul in lectiones noſtras convenit pulcherrime, cum S. Leodegarius a Clothario filio Clodovaei, vel ejus Conſiliariis; mortuus eſt enim Clotharius III puerili aetate; Auguſtodunenſi Eccleſiae praefectus dicatur. Interim enim dum Clotharius anno 669 oppetivit mortem, adoleſcere potuit apud Didonem avunculum S. Leodegarius, circa quod tempus ſimul obitum Ferreoli Epiſcopi, qui adhuc anno 658 Concilio Cabillonenſi interfuit. Vacavit Epiſcopatus Auguſtodunenſis, quem tamen non diu, & vix annis octodecim S. Leodegarius gubernavit, ſi ſecundum Sigebertum, & alios Gallicos ſcriptores, anno 685, poſt multa cruciamenta affectus martyrio ab Ebronio fuit. Verum ſi is Dido avunculus, & praeceptor S. Leodegarii fuit,

Hhh 2 non

non videmur, cur virtutes ipſius, & pietas magnopere laudentur; Cum Gallici Scriptores eum perfidiae accuſent, & jusjurandum morienti Sigeberto Regi pro defenſione Dagoberti filii datum, neglexiſſe confirment. Eodem modo paulo diligentius de Clodovaeo II, & Clothario ejus filio circumſpiciendum eſſet. Cum enim Clodovaeus II a Patre Dagoberto Magno ex omnium Galliae Scriptorum conſenſione duodecimo Regni paterni anno in lucem editus aſſeveretur; regnaverit vero tantum annis ſeptendecim; viceſimum igitur annum Clodovaeus moriens non ſuperavit; quamquam tres interim progenuit filios, quorum rurſus Clotharius III maximus natu, poſt patrem quinto anno ex regno, & vita evocatus, excedere nonum aetatis annum non potuit. Quo magis quod de Clodovaeo, quod ſanctum noſtrum in diſciplinam Didoni tradiderit, & de Clothario, quod Auguſtodunenſem Epiſcopum fecerit, in lectionibus proponitur, ad eorum conſiliarios, qui nomine Regum gubernarunt, referri debet. Quod ad octavum marginale, & ſimul ad quaedam in textu interpoſita dubitare, & Reverendiſſimae, Illuſtriſſimaeque Dominationis ſuae judicio ſubjicere debuimus.

Nonum. Marginale eſt in Vita S. Wolfangi, vel Wolphgangi, ubi Henricus Trevirenſis Archiepiſcopus, ut qui poſt Henricum quinquaginta tribus annis, & ſexto poſt illum loco Epiſcopatum ſuſcepit, & octoginta tribus annis tardius mortem ſubivit, frater Henrici eſſe non potuerit; nec nos alium Bapponem inveniamus, qui cum aetate Henrici congruat, & ſciamus Leopaldi Auſtriae Marchionis filium eſſe Bapponem; quod de Henrico non conſtat, ut conſanguineus fortaſſis fuerit, frater eſſe certe non poſſit. Alioquin Patavienſis Urbs, quam nos Paſſavium, Ptolomaeus Patavium, vel Belabium nominat, adhuc hodie Urbs, & Epiſcopalis ſedes eſt pulcherrima inter Iſtrum & Oenum poſita, & conjuncta hodie cum Bavaria nobis notiſſima.

Decimum. Marginale eſt, ad vitam S. Chunradi, ex Demochare appoſitum, fuiſſe Notingum noſtrum in ordine viceſimum nonum, & ſediſſe annis XV; cum nobis ſit inter Conſtantienſes viceſimus tertius, & adnumeratis Vindonenſibus, viceſimus ſeptimus; regnaverit annis quindecim, factus Epiſcopus anno 920; tametſi de annis exquiſite propter exemplarium diſſimilitudinem, & monimentorum factam ab haereticis everſionem non judicemus. Alioquin Gelhardum noſtrum non fuiſſe Eberhardum, vel Heberardum, & S. Chunradum non eſſe ſepultum in Eccleſia S. Martini, ſupra pateſecimus. Haec

Haec igitur Reverendiſſime, & Illuſtriſſime Domine fere ſunt omnia, quae inter legendum, cum vel deliberationem novam, vel profecto novum dominationis Reverendiſſimae, Illuſtriſsimaeque ſuae reſponſum, & mandatum poſtulare viderentur, obiter notata juſſu Domini Illuſtriſsimi Cardinalis noſtri ad illam continuo mittere debui; non ut nos Romanam, & praeſertim Dominationis ſuae doctrinam, & prudentiam corrigeremus, quod Deus nos ne cogitare quidem unquam ſinet, ſed ut dubitationibus, ſcrupuliſque noſtris omnibus ſublatis, Breviarium pleniſsime emendatum in apertum referre poſſemus.

In quam ſententiam, ut conſilium Domini Cardinalis noſtri, & ſcriptionem iſtam meam accipiat, & reſponſum quantum poteſt, acceleret, humillimum in modum oro; nec me paratiſsimum illius ſervum, & virtutum, doctrinaeque admiratorem damnum ullum inde capere patiatur; cum ego tanto libentius ſcripſerim, quod ad oſtendendam obſervantiam humillimam meam, qua dominationem Reverendiſsimam, Illuſtriſsimamque ſuam veneror, & ad parandam cum illa notitiam, dari mihi facultatem pulcherrimam, diuque multis meis optationibus expetitam opportunitatem viderem. In quo, ſi quod peto, conſequar, agam fortaſsis deinde frequentius de hiſtoricis, & theologicis aliis rebus, tricaſque meas, & inanitates humillime cum illa communicabo.

Tandem quod ad res noſtras attinet gratulatus privatim, & publice in hominum noſtrorum conſeſſu ampliſsimum, diuque debitum Cardinalatus honorem ſaepenumero Dominationi Reverendiſsimae, Illuſtriſsimaeque ſuae fui, & antequam conſequeretur, optavi, ut pro meritis infinitis ad remunerandam exquiſitam illius doctrinam, & incredibilem, diuturnamque diligentiam Sanctiſsimus Dominus noſter animum adjiceret, quod poſtea accidiſſe laetatus ſum plurimum. Deus igitur nobis, & Eccleſiae Dominationem Reverendiſsimam, Illuſtriſsimamque ſuam diutiſsime conſervet, valetudine & ornamentis omnibus circumfluentem; illa vero me, ut Pater filium, & Dominus ſervum amet benigniſsime. Quo finem ſcribendi facio, oblatis omnibus officiis, & ſtudiis, quae a mea proficiſci tenuitate poſſunt. Ex Conſtantia XVI Kal. Februarii. Anno MDXCVII.

EPI-

EPISTOLA C.

CAESARI CARDINALI BARONIO

NICOLAUS SERRARIUS (a).

Eo magis laetatum ſe dicit de illius ad Cardinalatum promotione, quod ad hanc dignitatem ſolo meritorum ſuffragio voce ſuprema Pontificis in Eccleſiae utilitatem electus fuerit.

DE purpura, deque tanto tanti Pontificis judicio tibi, Reverendiſsime, & Illuſtriſsime Domine, certatim gratulantium videre videor tot amiciſsimorum vultus, voces, litteras. Ego vero, cui aliquot jam litteris intimos animi tui receſſus, triſtiſsimoſque gemitus, & ſuſpiria indicaſti, gratulari an debeam animi pendeo. Tibi caduci iſti honores inſidioſa aegypti Phutipharis uxor. Tibi caſſes, funes, vincula, compedes. An ego amoris, meritorumque tot, & tantorum in me tuorum adeo immemor, tantis te malis implicatum, ut laeter? An parum recte dignitatis, praeſtantiaeque naturam a te, cui tam in omni genere, multa coeleſtia etiam, & abſtruſiſſima perveſtigata, minus perſpectam ſuſpicer? Neutrum ſane. Sed duo alia. Ipſi enim Sanctiſſimae Dei Eccleſiae, Reique publicae Chriſtianae gratulor, quae, etſi tuis a lucubrationibus plurimum hactenus accepit; multo tamen deinceps lucis plus a conſiliis optimis, exemplisque ſanctiſſimis acceptura eſt. Audite Inſulae, & attendite populi de longe, Dominus e Vallicula Caeſarem vocavit; de cellulae angulo recordatus eſt nominis ejus; & poſuit os ejus quaſi gladium acutum, in umbra manus ſuae proteget eum, & poſuit eum ſicut ſagittam electam, in pharetra ſua abſcondit eum. Deinde vero tibi etiam ipſi Reverendiſsime & Illuſtriſſime Domine gratulor, quod etſi plurimos, maximos, utiliſsimoſque ad Dei Optimi Maximi gloriam hactenus labores exantlaſti; plurium tamen, majorum, utiliorumque in Urbis, & Orbis totius oculis campus longe datur ampliſsimus. Gaudeo Sapientiſsimi Pontificis eam in partem iiſſe ſententiam, ut, omni jam me-

(a) Nonnulla de Serrario habes ſuperius in noſtris adnotationibus ad Epiſt. XV. lit. (a) pag. 198.

metu, & angore abjecto, modeſtis quidem illis, ſed moleſtis tamen, moeſtiſque nimium cogitationibus noſtro cum Apoſtolo reſpondere poſsis. Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? Ego enim non ſolum alligari, ſed & mori in Jeruſalem paratus ſum propter nomen Domini Jeſu; feci ſane, fateor, facere me, quod voluiſti; ſed jam laetus, & alacris in Chriſti Domini Vicarii explicatione acquieſco. Exultans Sanctos illos diſcipulos imitor dicentes; Domini voluntas fiat. De Annalibus ſpero meliora. Non ab optimorum, doctiſsimorumque Pontificum, & Cardinalium exemplo, vel ad unguem abibis. Intuebere Gregorios, Leones, Auguſtinos, Hugones, Oſtienſes, Cajetanos; quin & occupatiſsimos illos Urbis veſtrae conſules Cicerones, & Boetios. Boetios inquam, quos vel hoc nomine in ſexto tuo meritiſsimo dilaudas. Abſit tam triſte augurium. Non ſyrmate illo ſordeſcent, ſed magis etiam ſplendeſcent. Non praepedientur, ſed ſi voles, voles autem, ſat ſcio, cui honeſtiſsima, & utiliſſima velle jam infixum, expeditius current, latiuſque, & clarius oras omnes pervagabuntur. Pro tot in Dominum Carolum noſtrum Patrem officiis gratias ago maximas. Ea ipſe plurimum gratiſsimeque praedicat. Jeſuanos meos mitto Sacerdotes; rudes quidem, impolitos, & minutulos, ſed in quibus tamen, ſi paullo citius Sacerdotium iſtud tuum inaudjiſſem, te gratulabundus praeſcripſiſſem. Vale Reverendiſsime & Illuſtriſsime Domine, & patere, me ſanctas manus tuas oſculari, quem nullo meo merito tam benigne tuorum in amicorum numerum allegere uſque dignatus es. Herbipoli ipſo Beatae Virginis ad Nives. MDXCVI. (a)

EPI-

(a) In hujus Epiſtolae epocha, quae ante praecedentem collocari debuerat, nullus eſt error, quum id ex errore contigerit,

EPISTOLA CI.

CAESARI CARDINALI BARONIO

FR. ILLUMINATUS PANHORMITANUS (*a*).

Nonnulla proponit de appellatione Accidentium in Euchariſtia; atque una rogat, ut explicetur difficultas chronologica, quae de Romanis Pontificibus, Joannis nomine nuncupatis, eum implicabat.

PRima in me inſurgit dubitatio, nempe quia Illuſtriſſima amplitudo veſtra in tomo ſexto ſuorum Annalium Eccleſiaſticorum, anno 496, §. *Sed dicas velim*, uſque ad ea verba „ Quae divinitus acta „, omnem excedunt, ſuperantque naturam. „ Poſtquam verba Gelaſii Papae de ſubſtantia, & natura panis, & vini eruditiſſime, & ſatis ſufficienter, ut nil amplius, interpretatur contra Haereticos, addit in hoc §, Species illas, panis, & vini in Sacramento Euchariſtiae, & ſubſtantiam, & accidentia improprie dici, immo & impropriori vocabulo accidentia, quam ſubſtantiam, ea utens ratione, quia non ſunt in ſubjecto, quomodo accidentia dici poſſunt? Sed potius ſubſtantia, cum per ſe ſubſiſtant, omnium enim rerum, quae ſunt, duae ſunt voces, ſubſtantia, & accidens, adeout oporteat nominari ſubſtantiam, id quod accidens dici non poteſt, licet ſpecies illae, & accidens, & ſubſtantia improprie dicantur, nec illis nomen ſubſtantiae conveniat. His

(*a*) Illuminatus Panormitanus Ordinis Capuccinorum, antequam ad ordinem regularem acceſſiſſet Petrus Martius vocatus, in jurisprudentiae ſtudia incubuit, & Doctoris laurea inſignitus eſt. Anno 1576, quum iam ſuae aetatis XIX ageret, Canonicatu S. Joannis de Eremitis in Panormitana Eccleſia cohoneſtatur. A litterarum ornamento laudatus floruit, ideoque anno 1582 Caeſar Marullus Archiepiſcopus Panormitanus in ſuum Vicarium Generalem delegit; quo in munere eminuit uſque ad annum 1584. Sed arctioris vitae deſiderio aeſtuans, ſpretis ſaeculi honoribus, clam ad Capuccinos Fratres confugit, & aſſumpto Illuminati nomine, inter eos vitae innocentia, doctrina, & virtutum ornamento mirum in modum refulſit. Theologiam magno cum plauſu docuit, eruditione vero inſigniter excultus claruit. Ab honoribus extra Ordinis clauſtra declinare ſtuduit, in regulari ordine acceſſit coactus. Obiit circa annum 1620. Hujuſce laudes lege apud Roc. Pirrum not. Eccl. Panorm. pag. 184, & Lib. IV de Abbatiis pag. 229, & Dionyſium Genuenſem in Bibl. Capucin. pag. 174. Scripſit Compendium Annalium Ven. Card. Baronii, cum adnotationibus & gloſſis; ſed non editum in lucem. Autographum extat in Bibliotheca Coenobii Panormitani. Annales item Eccleſiaſticos in XII tomos diſtributos, non ſine ingenti labore & ſtudio elaboravit, & ſub praelo Mediolanenſi erant, ſed mors auctoris editionem abrupit; & quae ediderat folia diu in officina typographica delituere. Hujus operis autographum MSS. in eadem Bibliotheca Panormi aſſervatur.

Digitized by Google

His videntur obſtare ea, quae communiter tradunt Doctores Scholaſtici, praecipue D. Thomas III Part. Quaeſt. LXXVII, Art. I, ad ſecundum, & poſt eum Dominicus Sotus in IV, Diſt. II, Quaeſt. II, Art. I. Item & D. Bonaventura cum ſuis IV Sentent. Diſt. XII, Quaeſt. II; videlicet in hoc Auguſtiſſimo Sacramento Accidentia, ſpecies illas panis & vini proprie dici, licet non inhaereant ſubjecto, neque accidant ſubſtantiae, vel ut inquit D. Thomas, licet ex vi ſuae eſſentiae non ſint in ſubjecto, ea tamen divina virtute ſubſtentante, ut dicto Bonaventurae placet, cum habeant aptitudinem, & ſint apta, nata inhaerere, licet actu non inhaereant.

Alterum eſt, Illuſtriſsime Domine, quod diu me in dubitationem duxit, de numero illorum Romanorum Pontificum, qui Joannis nomine vocantur; nam Tomo X, Anno 996, ponitur ab Amplitudine Veſtra, poſt mortem Joannis XV Romani Pontificis Joannes Placentinus Epiſcopus, Calaber natione, Antipapa a Creſcentio Cive Romano praepotente in ſchiſmate creatus adverſus Gregorium V legitimum Pontificem, quem ut temporum rationem ſequatur Dominatio veſtra Ampliſsima Joannem XVI vocat, licet illegitimus, & intruſus fuerit; deinde in principio Tomi XI, Anno 1003, poſt mortem Silveſtri II Romani Pontificis ſtatim, abſque alio Joanne interpoſito, duos Joannes ſubrogatos eſſe, unum poſt alium refert; primum patria Romanum cognomento Siccum, quem tantum ſediſſe menſes quinque, & dies aliquot aſſerit, ac XVIII appellat; & in ejus deinde locum ſubrogatum fuiſſe Joannem alterum dictum Faſanum, quem etiam ut confuſionem, atque nominum perplexitatem fugiat XIX vocat; licet aſſerat, rectius Hermannum, primum XVI, poſteriorem vero XVII eos, praetermiſſo Antipapa Placentino appellaſſe; ſed quaeſo hinc mihi inſurgit dubitatio etiam, quod Placentinus illegitimus Papa addatur ad numerum horum Romanorum Pontificum, qui Joannis nomine vocantur poſt XV, erit ille XVI, ut veſtra amplitudo eum appellat, atque iſti duo non XVIII, & XIX, ſed XVII, & XVIII erunt appellandi. Et tanto magis augetur dubitatio, quod Platina, & qui recentius vitas Romanorum Pontificum contexuit Ciaconius, poſt mortem Joannis XV Romani Pontificis, ponunt alium Joannem XVI legitimum Pontificem, quem inquit Ciaconius fuiſſe Civem Romanum, filium Roberti, & ſediſſe tantum quatuor menſes, licet Platina ejus ſedem diuturniorem aſſerat, & poſt mortem ejus electum fuiſſe.

Digitized by Google

Gregorium V legitimum Pontificem, & in ſchiſmate contra eum, Joannem Placentinum Antipapam, quem eodem ipſo reſpectu, ad confuſionem evitandam vocant XVII, & tunc illi duo ultimi recte in computatione numerantur XVIII, & XIX, addito Joanne Placentino pro XVII, licet illegitimo & intruſo.

Haec ad Illuſtriſſimam Amplitudinem Veſtram referre volui, ut ab ea, quae dubia mihi videntur, addiſcam, & meam ignorantiam, & obſcuritatem veſtra doctrina, & diligentia a me auferatis.

Caeterum Illuſtriſſimam Dominationem veſtram Deus Optimus Maximus cuſtodiat in hac vita pro Eccleſiae ſuae Sanctae utilitate, & poſtea ad aeternam gloriam eam, & me miſerum peccatorem perducat. Amen.

EPISTOLA CII. (a)

AL SIGNOR CARDINALE CESARE BARONIO BIBLIOTECARIO APOSTOLICO (*b*)

BARTOLOMEO ZUCCHI.

Opus cui titulus, Idea del Segretario, *ejus nomini inſcribit.*

PER fuggire in parte la noja, Illuſtriſſimo Signore, che ſogliono i caldi ben eccesſivi di queſto cielo Romano, e 'l travaglio dello ſtudio delle leggi cagionare, mi poſi a traſcorrere tutte le lettere, che infin qui ſi vedono in luce, & a ſegnar quelle, che più belle mi parvero, non tanto per novità di concetto, quanto per giudizioſa teſſitura, & in ſomma a compartirle ſotto i luoghi comuni delle loro materie. La qual mia fatica fatta per diporto, & util mio particolare, m'avviſai poi, che non ſarebbe per avventura riuſcita ingrata al mondo, quando a mandarla fuori mi foſſi diſpoſto; & a diſpormivi m'hanno final-

(a) Hanc nuncupatoriam ad Cardinalem Baronium Epiſtolam, excerpſimus ex fronte operis, cujus hic eſt titulus „ L'idea del „ Segretario del Signor Bartolomeo Zucchi, „ &c. rappreſentata in un trattato dell' Imi„ tazione, & nelle lettere di Principi, & d' „ altri Signori. Parte prima. Dal medeſimo „ Sig. Zucchi in queſta terza edizione accreſ„ ſciuta, & abellita. In Venetia. Preſſo la „ compagnia minima 1626, in 4. „ Totum opus in quatuor partes diſtribuitur, quarum tres reliquae aliis quibuſdam nuncupantur.

(*b*) Anno, quo haec Epiſtola data eſt, nondum Baronius Bibliothecarius Apoſtolicus fuerat renunciatus, ut heic in operis titulo nominatur. Quare conjectari licet, in prima hujus operis editione, quae eo anno 1596 forte prodiit, hunc Bibliothecarii titulum deeſſe, appoſitum deinde poſterioribus editionibus.

finalmente indotto molti amici, & più amorevoli eſtimatori delle coſe mie, ch'io non ſono, nè eglino dovrebbon eſſere. Spero nondimeno, che s'io ſolo proccurava trarre da queſte lettere profitto, ora col comunicarle trarrò e profitto e contentezza in un medeſimo tempo per lo comodo, che non pure a profeſſori di queſta nobiliſſima arte; ma ad altri ancora verrò ad apportare. Perocchè s'egli è vero, come certo è, che Ariſtotile ſcriſſe, che dee in ogni giorno eſſer una coſa prima, e più degna, che ſia la miſura e'l paragone di tutte le coſe, che cadono ſotto quel genere; queſte sì rare lettere, ſiccome furono già quelle meſſe inſieme da Paolo Manutio, da Lodovico Dolci, dal Ruſcelli, dall'Atanagi, e da altri valent'huomini, tuttochè non in queſto modo ordinate, ſerviranno ſenza dubbio per forma, e regola di quelle che s'avranno in avvenire a fare, veggendo noi ſpeſſo occorrere, che alcun dipintore dipingendo male, sa ritrarre bene. E ſicome Liſippo ſoleva dire, che non ebbe per maeſtro, nè verun huomo, nè veruna regola; ma una ſola figura di Policleto; così in ogni arte accade, che del pari promovino il profitto degli ſtudioſi particolari eſempi, come le regole univerſali. Ma poichè io haveva a conſentire, che la Prima Parte dell'IDEA del Segretario ſi pubblicaſſe, molto non ho avuto che penſare intorno all'elezione del Perſonaggio, a cui l'indrizzaſſi, perchè ſubitamente mi ſovvenne V. S. Illuſtriſſima, alla quale per tutte le maniere ſi dovea, non ſolo come a Signore, che nello ſcrivere, laſciando il trattar d'altro, per non moſtrare di voler rinchiudere dentro de' termini d'una breve lettera quello, che appena capirebbe in lunghi panegirici, eccelle, con tanta maraviglia del mondo; ma come a quello, da chi io mi ſento, e favorito, & amato tanto, che mi ſarei tal volta ſtimato da più che non ſono, veggendomi degnato di più che non merito, ſe dal proprio conoſcimento non foſſi avvertito del poco valor mio. So io molto bene, che queſto è picciol dono alle condizioni di V. S. Illuſtriſſima, & alla mia obligazione; ma che altro ſi può per ora da me ſperare? come che io non ſia per valer tanto in alcun tempo, che poſſa in qualche parte agguagliare i meriti ſuoi, eſſendo da lei a me diſparità, e ſproporzione troppo grande. Appaghiſi ella pure del poco, ch'io le offero, ſe non per altro almeno per farmi continuare nel poſſeſſo de' ſuoi favori. Et io trattanto non laſcierò di predicare le ſingolariſſime virtù

 di

Digitized by Google

di lei, e dimoſtrare con quai termini di riverenza io ammiri la ſua perſona. Riceva dunque V. S. Illuſtriſsima quella Prima Parte dell'IDEA del Segretario ch'io le preſento, e conſagro, con certiſsima ſperanza, che queſta mia fatica per ſe ſteſſa forſe di niun pregio, debba eſſere non pure apprezzata; ma illuſtrata, e difeſa ancora dalla ſua autorità da ogni puntura di malevoli; che di ciò la ſupplico quanto più affettuoſamente poſſo. E pregando Dio N. Signore, che per conſolazione del mondo, e mia in particolare ne conceda, che in più riguardevole parte di queſta Republica Sacerdotale ſia V. S. Illuſtriſsima poſta, ammirata, & adorata, humilmente le bacio la mano.

Di Roma il giorno di S. Gianbattiſta. 1596. (a)

EPISTOLA CIII. (b)

CAESARI CARDINALI BARONIO

VESPASIANUS AJAZZA (c).

Quod ad ſacrae Purpurae dignitatem aſſumptus fuerit gratulatur.

CHE la providenza di Dio Noſtro Signore, che avea molti anni ſono poſto V.S. Illuſtriſſima, quaſi lucerna ardente nella ſua Santa Chieſa, l'abbia ora, perchè ella le rechi luce maggiore, fatta cavare di ſotto del modio dello ſtato, in cui ella ſuperiore con l'animo a tutti gli onori, ha tanto proccurato di naſconderſi, e fattola dalla mano di Sua Santità collocare ſopra l'alto candeliero della dignità del Cardinalato, io ne ſento non ſolo quella comune allegrezza, che ſenton tutti del Chriſtianeſimo, che hanno alcuna cognizione del ſuo nome, ma una molto particolare, eſſendo anche ſingolare l'oſſervanza, e riverenza,

(a) In hac quoque epocha nullus eſt error, quo haec epiſtole ex inconſiderata, & nimium praepropera Æſtimatione in hunc locum ſit conjecta.

(b) Extat haec Epiſtole in opere paullo ſuperius laudato, cui titulus; *Idea del Segretario di Bartolomeo Zucchi*, pag. 237.

(c) De Veſpaſiano Ajazza haec habet idem Zucchius in Epiſtole ad lectores, operi citato praefixa. „ Viene il Sig. Veſpaſiano dalle nobiliſſima Caſa Ajezze principale in Vercelli, come quella, che ha ſempre avuto ſegnalati perſonaggi per valore e grado. „ E'queſto Signore figliuolo del Sign. Niccolò „ Senatore di Turion, e della Signore Hortenſia Bobbe. Egli è valentiſſimo Dottore „ di Leggi, Filoſofo, e Teologo. Ha tanta cognizione di quelle, che ſi chiamano „ belle lettere, che pare haver in eſſe conſummato gli anni ſuoi. Della prudenza „ poi e maturità nelle coſe non biſogna dire, non ſe ne potendo dire a beſtanza. „ E' di graviſſimo aſpetto, di dolciſſimi „ coſtumi, di ſanta vita. Onde chi l'ha una volte conoſciuto, forza è che li reſti legato con catena d'amore, e d'oſſervenza. Queſt'anno 1597. è fatto Abbate di „ Santa Maria dell'Abbondanza in Savoja.

za, che io le porto, e rari i favori, che dalla molta ſua umanità ho ricevuto, ſiccome meglio ella intenderà dal Sig. Bartolommeo Zucchi da Monza, quel ſuo divotiſſimo ſervidore, et amatiſſimo figliuolo in Chriſto. Laonde ancorchè io non poſſa di così ſublime eſſaltazione con V. S. Illuſtriſſima congratularmi, come con quella, che non ha allegrezza di coſa tanto da lei fuggita, quanto poſſa altri ambirla; nondimeno ſommamente mi congratulo ſeco, che per maggior gloria di Dio ſia ella ſtata innalzata a ſtato, nel quale arrà facoltà di giovare a Santa Chieſa, non meno con l'autorità di quel che habbia fatto infin'ora, e farà in avvenire con la voce, e con la penna. In che ſupplico Sua Divina Maeſtà, che le aſſiſta con abbondanza de' ſuoi celeſti doni; che io per fine ſo a V. S. Illuſtriſſima riverenza. Di Vercelli a 24 di Gigno 1596. (a)

EPISTOLA CIV.

CLEMENTI VIII PONT. MAX.

CAESAR CARDINALIS BARONIUS.

Septimum Annalium Tomum ei conſecrat.

PErſolvo, & ad pedes Sanctitatis tuae, Beatiſſime Pater, ſeptimum Annalium noſtrorum Tomum defero, ſed tardius quam ſolebam. Vix enim tandem aliquando emergere licuit ex multarum difficultatum veluti ſpinetis, quibus explicandis diu multumque laboravi. His acceſſit, quod hoc tomo potiſſimum narrentur multiplices Romanae Eccleſiae aerumnae, nimirum exilia, & neces indigniſſimae Summorum Pontificum a ſeditioſis, & factioſis hominibus profectae, qui ſicut impie, ita & ambitioſe in Sedem ſe Pontificiam intruſerunt; nec minus, ſed multo etiam magis ab illorum Principum temeritate, & audacia, qui ſuos limites tranſilire, & ad ea, quae ipſis conceſſa non eſſent, manus admovere non dubitarunt. Quibus incommodis acceſſerunt haereticorum & ſchiſmaticorum adverſus Eccleſiam Catholicam machinationes, & doli, ac vexationes aſſiduae. His igitur luctuoſis narrationibus pertexendis ſtylus noſter etiam retardatus, atque defatigatus eſt.

Sed quoniam in illis quoque voluminibus, quae hactenus a nobis ſunt edita, complura ejusdem generis argumenta, aut cer-

(a) Ut in praecedenti monuimus neque hic ullus eſt error.

certe non valde diſſimillima acciderunt, vereor ne parum idonea hujus dilatae editionis excuſatio a me afferri videatur. Quare, ut vere & libere dicam, honores & dignitates coacervatae, quibus brevi tempore immeritum me, & nihil tale cogitantem cumulaſti, accincto & expedite currenti, tamquam laxae nimis, & laciniofae veſtes, impedimento fuere, partim ipſa rei natura, partim novitate.

Primum enim me Notarium tuum, & Sanctae Sedis Apoſtolicae creaſti ex primo ordine eorum, qui Numerarii dicuntur: cujus ſane dignitatis indumenta, etſi inſtituto noſtro non plane aliena viderentur, quod tamen eſſent incongrua voluntati, impedimento potius, quam tegumento fuere, & oneri, quam honori. Ubi vero ampliſſimae dignitatis laxiora, fuſioraque ornamenta purpurae addidiſti, curſus noſter novae vitae nexibus implicatus, jam multo magis eſt retardatus; adeo ut mihi non ſecus ac David acciderit, dum regiis indutus armis incedere non valeret, eo quod, ut ipſe dicebat, conſuetudinem non haberet, qua eo magis ipſe carebam, quo longius aberam a propoſito. Statueram enim, votiſque nuncupatis, & iteratis ſaepe firmaveram (teſtis eſt Deus) in privato illo, ſimplicique vitae genere optime inſtituto, & hactenus feliciter ducto, bene praecinctum mundi contemptu, & expeditum uſque ad obitum permanere, una cum Job illa decantans; In nidulo meo moriar, & ſicut palma multiplicabo dies, quae diminutione eorum, quae deorſum ſunt foliorum, procera extollitur coelum verſus dulcibus foecunda fructibus.

Illud inſuper Sapientis aſſiduo mente volvens; Exiguo conceditur miſericordia, potentes autem potenter tormenta patiuntur; & quod Dominus comminatus eſt, judicium ſubituros fore gravius atque durius, majoremque condemnationem accepturos, qui primas indigne cathedras occupant; libentius me, ſicut & tutius, intra domeſticos parietes continebam. Perterrebat namque me multo magis illa, quam videre meditabar, manus hominis contra candelabrum in pariete publico, in ipſo Eccleſiae albo ſcribentis, ſtateram, & pondera praeferentis, quibus expendendi eſſent omnes ad Cardinalatus dignitatem aſſumendi; altam illam, inquam, ſancti Bernardi ad Eugenium Papam ſcriptam conſiderationem ob oculos omnium poſitam una cum recti judicii ſtatera & ponderibus Sanctuarii. Quibus ſi quis appenſus inveniatur minus habens, ut adulterinus procul ejiciatur, ac reprobetur.

Ea

Ea quidem tam multa, dum quis prudens perlegit, atque adeo magna, miraque, & difficilia, arduaque conſiderat, eademque plurima numero, & diverſa recenſet, ac mente ſcrutatur eminentem, ſublimemque omnibus abſolutam numeris ſanctitudinem vitae, quam exigit durus exactor ab eo, qui eligendus eſt Cardinalis, neceſſe eſt, ut timore perterritus, propriae conſcius imbecillitatis, deſpondens animum, quod nonniſi cum ſummo ſalutis aeternae diſcrimine adeo celſa petantur, omnino reſiliat, poenituſque refugiat, atque etiam precibus periculum redimat, illaque Loth verba proferat; Non poſſum in monte ſalvari, ne forte apprehendat me malum, & moriar: eſt civitas haec juſta, ad quam poſſum fugere, parva, & ſalvabor in ea; quam jure dixerim privatae vitae conſugium. Iſta quidem prudens, ſed vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget haec. Jure enim congemuit Gregorius Theologus quorumdam hominum inſipientium ignorantia factum eſſe, ut quae ardua, & aerumnoſis vallata periculis, atque moleſtiis eccleſiaſtica dignitas ſit, eadem lata, ampla, ac plane regia, & ſingularis, plenaque voluptatibus judicetur. At non ita ſapiens cuncta dijudicans, addenſque ſcientiam, addit dolorem, cum pluribus cernit exemplis, iſtiuſmodi faſce omnes ſanctiſſimos viros nimium praegravatos, & curvatos eſſe pondere, quo portant Orbem, atque robuſtiſſimos licet gemuiſſe gigantes ſub aquis.

Iſta, inquam, conſiderans, non eſt quod queri poſſis, Pater Sanctiſſimae, quod Sanctitati tuae ipſe adeo videar reluctatus; ſed ſi liceret, eſſet mihi jure expoſtulandum, qud cum a praedeceſſoribus tuis, qui me a privatae vitae portu abſtrahere non ſemel voluerunt, tamen quam deprecatus eſſem obtinuerim honorum immunitatem; a te vero, a quo magis amari ſcirem, nequaquam potuerim impetrare; ſed quo mei amantiorem, venia petita dixerim, eo violentiorem expertus ſim, cum per tuos ſeorſum abreptus, cubiculo clauſus, vixque tandem, ut audirer, multum rogans, admiſſus ante conſpectum tuum Angelis reverendum poſt meam defenſionem, abs te reſponſum illud unum tantum acceperim, quo robuſta voce diram anathematis protuliſti ſententiam, ſi amplius reſiſterem, & niſi penitus dejeciſſet; atque proſtraſſet talis erumpens e coelo repente tanto fragore tonitrus, fulmen aeternae damnationis explodens.

Ita ſubactus, etſi manus dedi, non aeque animum. Si enim licuiſſet retraxiſſem illas ſicuti Zara olim, dum e materno utero

ro

Digitized by Google

ro progreſſurus, ubi ſe altera manu vinctum coccino ſenſit, primigenia non curans, eam retrahens, eumdem repetiit uterum, malle ſe non naſci ſignificans, quam vinctum purpura progredi; ſed ſicut naturae tandem ille ceſsit imperio, qui ſupra naturam quiddam admiratione dignum viſus fuerat operatus; ita & ego legibus Chriſti obtemperare coactus, tamquam abortivus ſum projectus ex utero, illo videlicet, in quo ſemel conceptus ſpiritu cupiebam formari in virum perfectum, nec exire, donec transferrer ad tumulum, ne oculus me videret. Maternum jure dixerim uterum domum illam, in qua poſt conceptionem illam meam coaleſcere cum fratribus meis, diemque extrèmum claudere abſque aliqua lucis uſura, fulgore videlicet cujuslibet dignitatis, in mentis firmo propoſito erat, ne illud audirem infauſtum. Quare miſero data eſt lux? Lux enim, inquit S. Gregorius, miſeris datur, cum & tolerare honoris munera compelluntur. Cum ergo tanti etiam patris ſententia nonniſi miſer homo ex collatis honoribus cenſeatur, pro hujuſmodi minime gloriabor.

Quod ſi gloriari licet, dicam cum Apoſtolo, libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti; propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, utpote quae ſint vera ſigna divinae vocationis ejusdem Pauli ita ſtylo formata; Videte vocationem veſtram, fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; ſed quae ſtulta ſunt elegit Deus, ut confundat ſapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quae non ſunt, ut ea, quae ſunt deſtrueret, ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus. Quae omnia humanae imbecillitatis ſigna notis ampliſsimis in me expreſſa cognoſcens, ſi voluero pro hujuſmodi gloriari, non ero inſipiens. Quo etiam ſenſu licebit & illud ejusdem Apoſtoli appoſite uſurpare. De caetero nemo mihi moleſtus ſit, Stigmata enim Domini mei Jeſu Chriſti in corpore meo porto, illa, inquam, a Paulo eo modo imbecillitatis notis deſcripta, veluti indices divinae vocationis characteribus Apoſtolicis exarata, quibus impreſſus, & inſignitus magis exulto, Deo gratias agens, quod nihil in his ſit, quod humana induſtria ſibi tribuat, ſed totum ſibi vendicet divina providentia, ad hoc movens tuae, Clemens, clementiae abundantiam.

Cujus rei gratia magna eſt mihi parta de patrocinio fiducia,

cia, eoque major, quo fidejuſſores videar nactus Apoſtolos ſuis ſcriptis id ipſum pollicitos. Nam Paulus, qui coepit, inquit, in vobis opus bonum perficiet uſque in diem Chriſti Jeſu. Ac rurſum; Fidelis eſt, qui vocavit vos, qui etiam faciet. Addidit vero & Petrus; Qui vocavit nos, ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitque. Quod non pro me tantum, ſed aequum eſt idipſum ſentire pro omnibus aliis, quos una ſimul ampliſſima dignitate donans in ſacrum Cardinalium collegium cooptaſti.

Tu enim eoſdem, quos conceperas divino ſpiritu, diu mentis utero continens, ſimul ipſos pariter peperiſti; Tu, inquam, qui nihil inconſulto numine aggredi, & annuente proſequi, atque perficere conſueveris; Tu ipſe, a quo nulla actio praecox, ſed aſſiduitate precum, & conſiderationis maturitate decocta procedat, ut ſapiens architectus, videris ſuper illas ſexdecim baſes argenteas, quas Beſeleel divino ſpiritu plenus ſtatuit ad tabernaculi angulos muniendos, & exornandos, totidem modo deſuper erigere voluiſſe columnas. Quo nomine cum ex toto Orbe Catholico gratiarum tibi inſonent actiones; quas ego digne rependam, quod me longe immeritum una cum eis ad tantam ſublimaveris dignitatem, & ad tam ſublime faſtigium honoris, licet indignum, evexeris, infimum aſſumpſeris in eminens illud collegium Apoſtolicum, infirmum vero ſtatueris in templo columnam, obſcurum licet, lucens tamen, & ardens erexeris ſupra ſacroſanctum altare candelabrum, vilem rudemque lapidem in rationali collocaveris cum expolitis lapidibus pretioſis, annexuerîſque debilem Eccleſiae Sanctae cardinibus illis, ſuper quos quae ſunt in terra, coeloque vertuntur? Iſta tanta conſiderans, longe me imparem eſſe ſentio, ut digne pro collato munere ſatisfaciam.

Augendae vero, & ea quoque ex parte multiplicandae ſunt magis gratiarum actiones, quod ad menſuram bonam, & confertam, coagitatam etiam, & ſupereffluentem adjeceris. Bis enim me, cum alterum me; meum unanimem, ad eumdem ampliſſimi honoris gradum extuliſti, quodammodo provexiſſe videris; dum ſcilicet Archiepiſcopum Avenionenſem allegeris Cardinalem, Apoſtolicum virum, formam antiquae probitatis, cui a ſpiritualibus incunabulis fuiſſe nexibus individuae caritatis obſtrictum glorior, fratremque meum vere eſſe germanum exulto; ambos nimirum eodem parente, vero illo plane divino Philippo Nereo fecundum ſpiritum generatos, ejuſdemque ſuxiſſe ubera matris, licet ipſe primogeniti praerogativa praecedat, atque multo magis meritis antecel-

tecellat, cum in ipſo virtutum progreſſu ejus reſpectu ego quaſi pedes (ut vetus proverbium habet) ad Lydium currum extiterim; adeo ut vix licuerit oculis conſequi ipſum, ardua, altaque virtutum petentem, nedum aequis paſſibus affectari; ut ſolatium ſit, ejus ſaltem impreſſa relicta veſtigia ſequi, eiſque inſiſtere in reliquo, qui ſupereſt vitae curſu jam ad terminum prolabente.

Ad multiplicem rurſus gratiarum actionem ex tanta beneficiorum redundantia in chartis noſtris, veluti in alveo, jugiter fluxuram illam haud mediocrem adjicimus ex eo beneficio ſimul addito, quo voluiſti eſſe bene conſultum futurae Annalium ſcriptioni; adeo ut quem ad dignitatem promoveris, non amoveris ab inſtituto; neque cum vocaveris, revocaveris a coepto ſcribendi munere, ſed opus urgeas, quod exoptes ad finem perduci, cui ut ſolicitius vacem, vacare me velis ab ingruentibus negotiis meliori parte diei, quam ab interventoribus liberam eſſe jubeas, & Annalibus integre cuſtoditam.

Cujus rei gratia & hic ipſe tomus, qui ſeptimus mihi naſcitur partus, & poſtremus timebat foecundae claudere matris uterum, tibi laetus occurrit oblatus, ita jam de fratrum futura propagatione ſecurus (quantum tamen in humanis rebus ſecuritas eſſe poſsit) exultans pariter, quod & tua benignitate progreditur ſanctorum Martyrum titulo glorioſus, incedens ſtipatus tantis coeleſtis curiae Senatoribus; ſeptus nempe altero latere Nereo, altero Achilleo Petri diſcipulis, decoris triumphalibus palmis, atque coronis, quos datos in itinere comites, ſuos etiam cupit eſſe patronos, atque perpetuo apud Deum interceſſores.

Finem vero dicendi facturus, Pater Sanctiſsime, audi, rogo, quae adhuc maxime cuperem ſuper adjici. Ad tantum honoris verticem ſublimatus, tibique ipſi, ut magnae Aquilae luſtranti Orbem, pullus inexpertus inhaerens, abs te peto duci, doceri, atque juvari. Tu recte ducas coelum verſus, ne declinans ad dexteram, ſive ſiniſtram, vel proſperis ventis allever, vel deprimar adverſis. Doceas pariter quae ſurſum ſunt ſapere, non quae ſuper terram, oculoſque ad Solem illum juſtitiae fixos tenere, neque deorſum ad ea, quae ſunt mundi habere reſpectum; Juveſque adminiculo alarum tuarum, imponens debilem ſuper humeros fortitudinis tuae, quibus Orbem quoque ſuſtentas; ut ita a terra ſublimes divina petentes, ſecundum quod ait Apoſtolus, revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem tranſformemur a claritate in claritatem, tam-

tamquam a Domini ſpiritu, e praeſenti videlicet claritudine purpurae ad ſtolas illas candentes dealbatas in ſanguine Agni; ſicque per aſcenſum purpureum iſtum perveniamus ad reclinatorium aureum, beatam illam requiem, ubi Deus cum Sanctis ſuis in aeternum regnat.

Demum ſumme Sacerdos, oblatum ſeptimum hunc Annalium Tomum, novae primitias dignitatis, veteris vero agriculturae fructus, tua benedictione dignum redde divino conſpectu; ut cum per eam Deo ipſi, cui in primis offertur, ſit gratus, gratia divina reconcilietur auctori. Vale Beatiſſime Pater, teque mente recta gradientem in omnibus viis tuis Deus cuſtodiat ſemper.

EPISTOLA CV.

CAESARI BARONIO CARDINALI

FRANCISCUS PEÑA (a).

Multis probat argumentis Codicem hiſtoriarum Hiſpaniae Baronio antea tranſmiſſam, Lucae Epiſcopi Tudenſis, non Juliani Pomerii eſſe, contra ac ipſe antea ſenſerat.

DIxeram Superioribus diebus, cum Codicem hiſtoriarum Hiſpaniae, quem manuſcriptum tibi tranſmiſeram, non eſſe Lucae Epiſcopi Tudenſis, ſed Juliani Pomerii auctoris Luca vetuſtio-

(a) Hic domo Aragonius ex oppido *Villaroya de los Pinares*, in Valentina Schola praeceptorem nactus Joannem Blaſium Navarrum ſacrorum dogmatum ſcientia inſignem, clariſſimus Theologus, ac juriſconſultus evaſit. Multorum annorum ſpatio in Romana curia ſummae pietatis, doctrinae, atque eruditionis laude verſatus eſt, quo a Philippo II Hiſpaniarum rege Catholico miſſus fuit, ut judicis cauſarum Pontificiarum, ſive Rotae Auditoris, ut vulgo dicitur, munere fungeretur. Scripſit Commentaria in Directorium Inquiſitorum a Nicolao Eimerico conſcriptum, quae una cum Directorio ipſo Romae prodierunt anno 1578 ex aedibus populi Romani, deinde anno 1585, & 1587, apud Georgium Ferrarium, totumque deinde opus, auctum, & multis bullis apoſtolicis locupletatum Venetiis prodiit apud Antonium Zalterium anno 1607 in fol. Scripſit etiam Inſtructionem ſeu praxim Inquiſitorum, deque forma procedendi contra inquiſitos de Haereſi. Item de temporali regno Chriſti; notaſque in Lib. Pauli Grillandi de Haereticis & eorum poenis; nec non in Bernardi Comenſis Dominicani Lucernam Inquiſitorum. Adnotationibus quoque illuſtravit; & duobus Libellis auxit vitam S. Raymundi de Pennaforta, a vetuſto anonymo Scriptore breviter collectam; ediditque Romae anno 1589. Libros tres de Vita, Miraculis, & Actis Canonizationis S. Didaci; aliaque permulta, quorum elenchum, ea qua ſolet diligentia contexuit cl. Nicolaus Antonius in Bibliotheca Scriptor. Hiſpan. Tom. 1 pag. 349. Obiit Franciſcus Peña anno 1612, aetatis ſuae ſecundo ſupra ſeptuageſimum. Deciſiones ſacrae Rotae ab eo formatas, ſuperiori ſeculo collegit, evulgavitque Didacus Antonius Frances de Urrutigoiti Archipresbyter primum Da-

tutioris. In eam ſententiam ideo veneram, quia apud R. P. Marianam in Chronicis rerum Hiſpaniae nuper editis, repereram aliquot loca totidem verbis in hoc Codice ſcripta, quae tamen ille Juliano Pomerio tribuebat. Ceterum re diligentius conſiderata, non Juliani Pomerii, ſed Lucae Tudenſis hiſtoriam eſſe deprehendi; tum quia auctor hujus libri uſque ad ea tempora produxit hiſtoriam, quae Julianus, multis antea ſeculis floruit, videre non poterat; tum quoniam Ambroſius de Morales vir doctus, & diligens, dum ſaepe ad probandum ſuum inſtitutum, utitur teſtimoniis Lucae Tudenſis, illa commemorat, quae iiſdem ſententiis, & interdum verbis in hoc Codice continentur. Ejuſmodi eſt diviſio terminorum, & limitum veterum Epiſcopatuum Hiſpaniae hortatu Regis Uvambae in Concilio quodam Toletano conſtituta, de qua Morales Lib. XII, Cap. L. Idem Lib. XII, Cap. V agens de Lege quadem lata ſuper Regni ſucceſſione refert haec verba ex Luca Tudenſi „ Adefonſus Catholicus ab univerſo Populo Gothorum in Regem eligitur „, quae affirmat reperiri in omnibus Lucae libris. Quae etiam Lex in hoc meo Codice in Rege Zafila, iiſdem prorſus verbis ſcripta extat. Idem multis aliis locis apud eumdem Auctorem ſaepe obſervavi; itaut non putem amplius dubitandum. Verum Lucae Tudenſi, vel Juliano Pomerio ſit opus tribuendum; cenſeo enim omnino Lucae Tudenſis hiſtoriam eſſe. Huic ſententiae aſtipulatur auctoritas Doctoris Gaſchae de Salazar, gymnaſiarchae Salamanticenſis, qui ex vetuſto Codice hiſtoriam hanc tranſcribendam, & ad me tranſmittendam curavit tamquam legitimum Lucae Tudenſis partum. Nec refragatur auctoritas Marianae, qui cum eadem verba, quae ſunt apud hunc Lucam, reperire etiam potuerit apud Pomerium Luca antiquiorem, ea dum Pomerio tribuit, non arguit propterea hunc auctorem Pomerio recentiorem, quique a Pomerio illa mutuo accipere potuit, Pomerium eſſe. Haec te ſcire volui, Cardinalis ampliſſime, ut quoties in ſcribendis Annanalibus inde petitis teſtimoniis utendum tibi fuerit, intelligas cujus Auctoris fide nitaris. Cum primum vero ad me pervenerint Itacius, Sampyrus Epiſcopus Aſtoricenſis, Julianus Pomerius, Sebaſtianus Salamantinus, & Pelagius Epiſcopus Ovetenſis, Auctores quidem vetuſti, qui magna fide res Hiſpanas praeſertim

Darocenſis in Eccleſia Caeſarauguſtana, poſtea Balbaſtrenſis Epiſcopus, duobus in folio voluminibus, quorum primum Lugduni edidit Petrus Proſt, & Socij anno 1648; ſecundum Philippus Borde, & Socii an. 1650. Ejuſdem Franciſci Peſiae imaginem eleganter delineatam apud Janum Nicium Erythraeum in Pinacotheca part. prima pag. 143 habemus.

tim Eccleſiaſticas ſuperioribus ſaeculis ſcripſerunt, quos per univerſam Hiſpaniam nullis parcens ſumptibus perquiri curo, eorumdem deſcribendorum ob publicam utilitatem Illuſtriſſimae Dominationis Veſtrae libenter copiam faciam. Romae die XXVI Martii MDXCVII.

EPISTOLA CVI.

CAESARI CARDINALI BARONIO

CLEMENS PUTEANUS.

Rogat eum, ut Sebaſtiano Nivellio, & Guillelmo Chaudiere Annalium tomos Minorum charaEterum formis imprimendi facultatem tribuat; & eum ad proſequendum eorumdem Annalium opus hortatur.

ANnalium veſtrorum ea eſt doctrina, ea utilitas, ea auctoritas apud omnes, ut nemo ſit, quin penes ſe eos habere velit. Sed terret multos tenuioris fortunae magnitudo pretii ad eos comparandos, qui potiſsimum Romae excuſi ſunt, neceſſarii. Cogitant proinde Typographi Pariſienſes Sebaſtianus Nivellius, Guilielmus Chaudiere, & alii Societatis Typographicae, eos de integro excudere minori caractere, ita ut tres Tomi non carius vendantur, quam unus Romae editus, vel Antuerpiae. Quod cum hic mecum a Nundinis Francofordienſibus redeuntes communicaſſent, diſſuaſi, ne id ſine conſenſu veſtrae Illuſtriſſimae Dominationis facerent, quam, rogo plurimum, ut illis benigne praeſtet, nec illos quidpiam cogat ſolvere, aut Moreto, aut alteri Bibliopolae; quia a primo Tomo incipient, & deinceps ſequentes proſequentur, quorum jam Tomorum omnia exemplaria divendita ſunt; at vero ſi multa millia ſupereſſent, non eſt dubium quin omnia haud multo poſt divendentur. Catholici illi ſunt, diligentes, & qui jam Patres omnes pene tum graecos, tum latinos ediderunt. Id porro etiam Veſtrae Illuſtriſſimae Dominationi commodum erit, ſi quid velit, aut mutare, aut addere, aut detrahere in prioribus tomis; nam ut vetus fert dictum, poſteriores curae ſapientiores. Et ego ſi tempeſtive monitus, & juſſus fuero a veſtra Illuſtriſſima Dominatione aliqua ad ipſum transmit-

Digitized by Google

mittam, quae dum eos legerem, obſervavi conſideratione, & fortaſſe animadverſione digna, non alio profecto, quam caritatis ſtudio, & obſervantiae erga veſtram Illuſtriſſimam Dominationem meae. Quam inſuper rogo, ut pergat alacriter, & conſtanter in aliis Tomis edendis, cogitetque ſe nulla alia re melius Deo, & Eccleſiae ſervire poſſe, iſtamque ſacram purpuram ornare. Nihil aliud addam, ſed poſt humilia manuum oſcula commendabo me ſanctis Illuſtriſſimae veſtrae Dominationis ſacrificiis & precibus; & regabo viciſſim Dominum Jeſum, ut veſtram Illuſtriſſimam Dominationem multos annos ſervet nobis incolumem. Muſſiponti Idibus Aprilis MDXCVII.

EPISTOLA CVII.

CAESARI CARDINALI BARONIO

GUILIELMUS CHAUDIERE BIBLIOPOLA (a) SEMPITERNAM FELICITATEM.

Annalium Opus cudendi facultatem ab eo expoſcit.

QUoniam de Eccleſiaſticis Annalibus liber, a veſtra Dominatione in lucem editus, Illuſtriſsime Cardinalis, a multis hac in regione requiritur, illum hic eodem modo, quo a vo-

(a) De Guilielmo Chaudiere Bibliopola haec habentur in libro anonymo gallice ſcripto, cui titulus: *Hiſtoire de l' Imprimerie & de la Librairie a Paris* 1689, in 4, Lib. II. pag. 155 „ Guillaume Chaudiere fils de Claude, s'eſt fait „ diſtinguer par la grande quantitè des livres, „ qu'il a fait imprimer, & en ce qu'il ètoit Libraire de la Ligue avec *Nicolas Nivelle*, „ qui imprimerent enſamble les ſermons de „ la ſimulèe converſion du Roy Henri IV „ prechez par Jean Boucher Cure de S. Benoit, in octavo en 1594, & pluſieurs au„ tres ouvrages, ou ils mettoient après le„ urs noms cette qualitè, *Imprimeurs & „ Libraires de la Sainte Union* ...... Sa „ marque ètoit le tems, & l' homme Sau„ vage avec cette deviſe: *Virtus ſola aciem „ retundit iſtam* „. Haec autem inſignia ejus pater Claudius ex Simone Colinaeo, cujus ex filia nepos erat, accepit, eamdemque poſteris ſuis reliquit. Porro ex Annalium typographicorum Michaelis Maittaira Tom. 3, pag. 137. colligitur eumdem Claudium Calderium noſtri Guilielmi patrem, eruditione juxta ac librorum, quos aut excudit, aut excudendos curavit inter primos illius temporis librarios inſigniſſimum, libris praefigere ſolitum Caroli Lotharingii Cardinalis, cujus in Rhamorum Academia typographus erat, inſignia; quibus tamquam baſi inſistebat pyramidalis columna, circumcincta ramo frondente cum epigraphe *Te ſtante virebo*, columnae apici ſuperſtante luna falcata. Quamvis autem in hujus rei teſtimonium laudatus Maittaire in medium proferat editionem Ciceronis Rethoric. in 8, 1553, apud eumdem; facile tamen conjectari licet Claudium uſum fuiſſe eo ſtemmate in libris eidem Academiae Rhemenſi inſervientibus, Rhemiſque impreſſis; quum libris ex ſua typographia Pariſiis prodeuntibus inſigne evium praefigere conſueverit. Ceterum caveodum eſt, ne Guilielmus, de quo heic a nobis inſtitutus eſt ſermo cum altero Guillelmo Chaudiere, ſive Calderio, qui fuit nepos mox laudati Guilielmi, natuſque eſt ex Reginaldo Chaudiera hujus filio die XII Februarii an. 1599, quique naturae conceſſit die XII Maji an. 1627.

a vobis ad me exemplar mitti curo, modo mihi iſtud perficiendi a vobis fiat copia, arrideatque benignitas, typis edere bonum exiſtimavi, edendumque curavi; ita tamen efficiam, ut major veſtro cedat honori. Ad hoc aggrediendum impulſus maxime, quod ejuſmodi characteribus, & modo liber editus, vilius multo venundari poterit iis, qui Romae, vel Antuerpiae ſunt editi, quos emere vix licet paucis. Mihi ergo ad hoc multorum precibus inducto, ſumptibuſque pene infinitis parcenti minime, veſter non denegetur favor, Illuſtriſsime Cardinalis, quem ſi valeam conciliare, ad ſua mandata exequenda, me in poſterum promitto paratiſsimum, cui interim R. P. M. Provincialis mittuntur litterae. Bene valeat. Pariſiis VIII Kal. Junii. MDXCVII.

EPISTOLA CVIII.

CAESARI CARDINALI BARONIO

CAROLUS IM HOFF.

Summa laetitia ſcribit ſe affectum, quod literas dederit. Carolum Albertinellum Florentinum commendat. Exoptat, ut mercatoribus italicis fiat a Romano Pontifice facultas Noribergae commorandi inter Proteſtantes.

Litterae veſtrae Celſitudinis, quas paullo ante ſuum ex urbe diſceſſum ad me dedit, quam gratae mihi fuerint, haud facile effabor. Mittentem intueor, ſcio ab ampliſsimo Cardinali profectas; nam veſtrae celſitudinis imaginem referunt, ſingularem, & mirificam humanitatem ſpirant. Quid dicam amplius? Gaudio perfuderunt cor meum; quamvis enim, quam mihi tribuit eruditionis laudem, non agnoſcam; ſuum tamen erga me animum lubens accepto, & pro eo gratias habebo quamdiu vixero. De Italicis Mercatoribus illud tantum refero, paratos illos eſſe imperata facere, pleroſque Noriberga diſceſsiſſe, reliquos in procinctu eſſe. Caetera ad hanc rem ſpectantia veſtrae Celſitudini exponet Carolus Albertinelli, Civis Florentinus, qui has reddet, cujus cauſam, & perſonam veſtrae Celſitudini tantum commendo, quantum rei aequitas, & hominis virtus hunc commendarit. Vir ſane eſt magnae experientiae, Germaniae principibus, & noſtris Civibus ob raram induſtriam admodum charus.

Mul-

Digitized by Google

Multa de Germaniae, & noſtrae Reipublicae ſtatu referre novit. Hujus ex Fratre neptem uxorem habeo, quae Lutetiae Pariſiorum, matre Gallicana nata, aviam habuit ex Strozziorum familia oriundam, ex quibus italicam venuſtatem cum Gallico traxit lepore. Noſtri Senatores aegre ferunt Italorum abitum; Mercatores vero non item. Sperant enim ſe majore cum fructu, illis diſcedentibus, negotiaturos. Non deſunt ex Catholicis, qui Torriſanorum rationem aliquam habendam cenſent; a multis enim annis, & eo tempore Noribergae fuere, quo Religio Catholica ibi floruit. Plurimum Eccleſiae hic prodeſſe poſſent, quibus diſcedentibus, quotquot Noribergae ſunt Catholici, magnis periculis ſunt expoſiti, & ego praecaeteris. Nam Sanctiſſimum Dominum noſtrum ad meam ſuggeſtionem diploma iſtud promulgaſſe Noribergenſes ſibi plane perſuadent. Quod ſi manendi licentiam Sanctiſsimus illis daret, magna nobis ſpes ſubeſſet propagandae Religionis Catholicae. Nam ob vitae honeſtatem, & divitiarum ſplendorem, Senatus Noribergenſis Torriſanos admodum charos habet, & populus reſpicit. Praeſtaret igitur, meo judicio, alia via ingredi, & negotium extorquendi templum pro Catholicis per Patres Dominicanos, vel Franciſcanos aggredi. Magiſtratus enim noſter ante paucos annos monaſteria ſacrarum Virginum ad D. Catharinae, & Clarae occupavit; & quidem contra pactum Patavienſe, quo cautum erat, ut Proteſtantes, (ſic enim Lutherani ſe vocari volunt) in Imperio ordines, illa tantum bona eccleſiaſtica tenerent, quae tum temporis poſſederant, a reliquis manus continerent. A Senatu igitur repetenda per iſtos Fratres erunt; attentarunt quidem Praedicatores hoc jam ante, adjuti nonnihil ab Imperatore; verum ad unicam repulſam, animis conciderunt; Imperatori vero in haec verba reſpondit Senatus, ſe jure poſſeſſorio obtinere illa monaſteria, nec his cedere poſſe in praejudicium reliquorum proteſtantium Ordinum, qui, ſi bona eccleſiaſtica religioſis reſtituerint, his quoque monaſteriis ceſſurum, quae in profanos uſus haud verterint, ſed alendis pauperibus, & Scholis inſtituendis converterint; quod ſi maxime reſtituerent Religioſis illa monaſteria, ſecuritatem tamen illis nec praeſtari, nec polliceri poſſe; quae quidem illorum exceptio frivola eſt, & ex parte falſa &c. Noribergae XIV Julii Anno MDXCVII.

EPI-

EPISTOLA CIX.

ANTONIO TALPAE

CAESAR CARDINALIS BARONIUS.

Queritur de dignitate Cardinalatus, ac oſtendit ſuum deſiderium redeundi ad priſtinam ſtatum privatae vitae.

SEbbene a tutti, che l' han viſta piaceva la prima prefazione, nondimeno è biſogno mortificarſi ancora agli Cardinali, e fare a modo altrui, ſenza voler eſſere contenzioſo. Ho biſogno delle loro orazioni, vedendomi di poco animo, e per non laſciarmi vincere dalla malinconia, e tedio della vita. Se non ſapeſſi di offendere Dio, credetemi, che ritorneria a ripigliare il ferrajuolo, e ritornare allo ſtato di prima. Ho ſperanza, che la preſenza dell' Illuſtriſſimo Cardinale d' Avignone mi ſarà d' alleviamento. Pregate dunque il Signore, ut liberet me a puſillanimitate ſpiritus, & tempeſtate. Di Roma li 14 di Settembre 1597.

EPISTOLA CX.

ANTONIO TALPAE

CAESAR CARDINALIS BARONIUS.

Nihil divitiarum ex ejus dignitate propinquis acceſſurum ſcribit; ac multum ſe dediſſe putabit, ſi in quas feminas nuptui tradentur, dotis nomine quadraginta millia ſextertios contulerit.

CIrca il negozio del maritar mia nipote, penſavo aver parlato pur troppo chiaro; cioè che per eſſer Cardinale non volevo creſcere nelli Parenti nè maggiori onori, nè maggiori ricchezze, ma laſciar li Parenti nello ſtato, nel quale li trovo, ſolo ſovvenendoli nelli biſogni neceſſarj. E per queſto eſſendo lor poveri, aſſai parmi di fare, ſe alle femmine da maritare per ciaſcuna di loro le darò a ſuo tempo mille ſcudi di Dote, con la qual dote certo è, che le maritarò fra' noſtri Cittadini da

Digitized by Google

Sora, fra quali più nobili corre tal dote, o poco più, o poco meno. De reliquo nemo mihi moleſtus ſit, nolo ambulare in magnis, neque in mirabilibus ſuper me. Or queſto baſti per ora, e per ſempre, e ſe altro aveſſi mai in animo di fare, mi corregga come pazzo da catena, ma ſpero, che non biſognarà. Dio guardi lor ſempre. Di Roma li 28 d'Agoſto 1597.

EPISTOLA CXI.

FRIDERICO CARDINALI BORROMAEO (*a*).

CAESAR CARD. BARONIO

Ejus litteris, quibus collatam ſibi dignitatem gratulabatur, breviter reſpondit, ac deſiderium eum Romae videndi praeſeferens, de munere ſibi miſſo eidem gratias agit.

HO più avuto allegrezza, e eſultato della ſua allegrezza, che della mia promozione, che vedendo V. S. Illuſtriſſima, e Reverendiſſima tanto rallegrarſi, mi è parſo dovermene anch'io rallegrare; perchè Caritas congaudet veritati, & fructus ſpiritus caritas, gaudium. Benchè l'avrei deſiderata preſente, e tolto volentieri le cuſcinate, delle quali n'ebbi l'arra in Monte Caſſino, e ſe giovaſſe diria; Eia age rumpe moras, ne venghi preſto; ma la conſidero con troppo ſtretti legami ligata con la ſua Spoſa, talche queſto non mi par potere ſperare fin all'Anno Santo. Intanto la prego a conſolarmi più ſpeſſo con qualche ſua lettera; che io in vero ſtavo con deſiderio aſpettando queſta ſua prima in riſpoſta della mia, e parevami, che pur troppo indugiaſſe, ma ho conoſciuto la cauſa eſſer ſtata, che non ha voluto, che ella ne compariſca vacua, ma l'ha voluta, come a tempo di nozze, mandarla ornata, e molto ricca d'oro, e d'argento. Del che tutto è ſtato biſogno farne conſapevole Noſtro Signore, perchè eſſendo mente ſua, che io non pigli dono alcuno, che ſia di coſa importante, de' quali ne ho ricuſato fin'ora molti, parſemi neceſſario ciò fare; ma Sua Beatitudine volſe leggere la ſua lettera, e con gran ſuo guſto, e ne preſe grandiſſimo contento, e diſſe, che dovevo accettare il dono, ne ſi poteva mancare non corriſpondere con gratitudine

(*a*) Vide quae de Card. Borromaeo diximus ſuperius in notis ad Epiſt. XXII pag. 213.

dine a tanta liberalità. E queſta è ſtata la cauſa, che io non riſpoſi alla ſua la ſettimana paſſata, per aſpettar la riſpoſta di Noſtro Signore.

La ringrazio dunque con ogni affetto di cuore, come conviene a tanto gran dono mandato, con tanta gran carità, ſenza un picciol neo di particolar intereſſe; e devo ſtimarlo, che mi ſia mandato dal cielo, poichè tutte le ſue azioni non d'altronde procedono; e per queſto ſia a Dio gloria, a V. S. Illuſtriſſima rendo grazie infinite. E ſappia di certo, che ſon Cardinale della S. Romana Chieſa, per eſſer ſervo della Chieſa di Milano, e ſebben per tal grado collega ſuo, mi ſpenda però per minimo ſervo ſuo, della qual ſervitù fedeliſſimo premio ſia, che perſeveri amarmi, e di più ammonirmi, e tenermi deſto, che non mi addormenti nel canto di tante Sirene; ma con il ſtimolo mi punga della fraterna correzione, accompagnandomi inſieme la ſua ſanta orazione, con la quale mi ajuti a poggiar queſto alto monte, finchè ſi arrivi al cielo. Dio ſia ſempre in ſuo ajuto, e la conſervi in ſua grazia.

EPISTOLA CXII. (a)

ALOYSIO LOLLINO BELLUNENSIUM EPISCOPO (b)

CAESAR CARD. BARONIUS.

Epiſtolas Nicolai Patriarchae Conſtantinopolitani ab eo petit.

SEro quidem, ſed non adeo, ut omnino effluxerit temporis opportunitas, in mentem venit obſervaſſe me inter Codices Graecos manu exaratos, qui apud te ſunt, quorumque elenchum

(a) Contuli cum editione Epiſtolarum Aloyſii Lollini, pag. 79, de qua vide quae habuimus in hac collect. Epiſt. Baron. pag. 243.

(b) Fuit Aloyſius Lollinus Patritius Venetus, Vir eruditiſſimus, litterarum politiorum ſtudioſus, graece latineque doctus; unde ipſi cum praeſtantioribus ſui ſaeculi eruditione viris; Puteano, Baroccio, Velſero, Bencio, Bellarmino, Perronio, ut caeteros ſileam, magna fuit neceſſitudo. Praeter plurimas Viris clariſſimis inſcriptas Epiſtolas minime vulgari eruditione refertas, alia nonnulla praeclara ingenii ſui monumenta reliquit; quae omnia una cum Epiſtolis Belluni typis commiſſa fuere anno 1632, ſub hoc titulo; *Aloyſii Lollini Patritii Veneti & Belluni Antiſtitis, Viri praeclariſſimi Epiſtolae Miſcellaneae*. Ceterum fuit Lollinus a Clemente VIII Bellunenſis Epiſcopus renunciatus, obiitque anno 1606. Venerab. noſter Card. Baronius Tom. IX, Annalium ad an. 813, num. X, honorificam de eo mentionem habens, teſtatur quoque, ſe Theophanem Graece ſcriptum fuiſſe conſequutum. Ejus opera recenſet Gadius de Scriptoribus Tom. II pag. 9.

chum mihi cupide requirenti, jampridem tranſmiſiſti, reperiri ducentas epiſtolas Nicolai Patriarchae Conſtantinopolitani. Hae magno uſui mihi forent, nunc in eorum temporum ſucceſſus conſcribendo incumbenti, quae valde obſcura ſunt; facileque mihi perſuadeo ea plurimum lucis poſſe hinc accipere, ſaltem quoad res Orientis. Quo circa pergratum, perque jucundum mihi feceris, ſi eas latinitati redditas ad me curaveris perferendas; quamvis non auſim id oneris tibi imponere, cujus curae, cogitationeſque muneribus ſacrae dignitatis probe obeundis tam aſſidue evigilant, ut otium tibi ſupereſſe vix poſſit ad ea, quae vehementer cupimus perficienda. Proinde ſi malueris, ne in longum res procedat, codicem ipſum nobis commodare, eo utemur tantiſper, donec in latii ſermonis intellectum vertantur Epiſtolae, ſi non omnes, illae quidem, quae labori noſtro prodeſſe valeant. Poſtmodum nulla mora erit, quam maxima diligentia, ad te ut redeant, efficiam. Id te vehementer rogo, ex animoque omnia tibi polliceor, & deſero. Vale. Romae.

EPISTOLA CXIII. (a)

CAESARI CARDINALI BARONIO

ALOYSIUS LOLLINUS BELLUNENSIUM EPISCOPUS.

Promittit, ſe quamprimum aliquas ex epiſtolis Nicolai Patriarchae Conſtantinopolitani tranſmiſſurum.

CUras ego quidem ita partiri ſoleo, ut ne quid in dies ſtudiis negetur, cum non adeo ſeſe gregis paſcendi numerus extendat, ut totus in eo eſſe cogar, & otium mihi deſit iis agendis, quae lenimento (b) & ſolatium afferre valeant ad capeſſendos (c) cupide magis gravioris muneris cogitationes. Tum vero maxime otioſum me ſemper exiſtimabo, cum in tuae ſpem gratiae aliquid fuerit elaborandum, videborque mihi non tam occupationibus diſtineri, quam vacuitate, ac voluptate frui, ubi com-

(a) Contulimus hanc etiam cum editione Epiſtolarum Lollini, de qua diximus pag. 241. extatque editionis pag. 94.

(b) Sic in editione ſed *Lenimentum* legendum puto.

(c) Capeſſendos habet editio, ſed palam mendoſe, legendumque *capeſſendas*.

commentationibus tuis, Reipublicae Chriſtianae plurimum profuturis, ſuppetias aliquas ferre potero. Quas innuis Epiſtolas Nicolai Patriarchae, eas ſelegi, ut e Graecis latinas facerem, cum non ſingulas Annalibus inſerere decreveris, ſed nonnullas tantum, quae obſcuris temporum illorum rebus lucem aliquam dare queant (a). Et profecto admirandum fuerit, hinc noſſe Orientalis Eccleſiae Praeſidendum (b) Principi Bulgariae ſcribere poſt immanem ſchiſmatis pervicaciam, Pontifici Romano id honoris habuiſſe, ut non niſi eum laude de eo loqueretur; immo litterarum monumentis ſermones hujuſmodi commendaret. Si ipſaſmet graecas Epiſtolas edere malueris ad conciliandam facilius fidem veritati, ſedulam dabo operam, ut ad te perveniant primo quoque tempore. Interea me, ut facis, ama tui obſequentiſſimum, dum pro tua incolumitate, hoc eſt pro communi omnium piorum deſiderio vota facio, & amplitudinem tuam Illuſtriſſimam demiſſius veneror. Vale. Belluni.

EPISTOLA CXIV. (c)

CAESARI CARDINALI BARONIO

ALOYSIUS LOLLINUS BELLUNENSIUM EPISCOPUS.

Tranſmittit notationes hiſtoricas ſpectantes ad multiplices haereſes Barlaami Monachi natione Calabri, qui vixit circa annum Chriſti 1330.

PArebo non invitus, vir ampliſſime, & quod ſub ſpecie rogantis jure tuo jubes, pro virili exequar, quidquid de multiplici Barlaami haereſi notavi apud graecos recentioris aevi auctores, quorum monumenta habeo typis non excuſa, huic epiſtolae breviter includens. Barlaamus Monachus natione Calaber circa 1330 Chriſti annum vixit. Latinae linguae, utpote in Italia natus, non ignarus fuit; graecae vero, ut ejus teſtantur opera, eruditiſſimus. Nam praeter abſoluti operis volumen, quo omnem eſt logiſticam complexus, emendationem Canonis Paſchalis, Mathematicaque alia nonnulla, quae extant adhuc in cele-

(a) Lollinus vero Nicolai Patriarchae CP. Epiſtolas graecas latinitati donatas ad Baronium miſit, quas una cum aliis collectaneis veteribus monumentis eccleſiaſticis in Tomo ſecundo proferemus.

(b) Sic quidem in editione, ſed *Praeſidem* legendum puto.

(c) Haec etiam Epiſtola cum ſuperius laudata editione collata a nobis eſt.

Digitized by Google

celebrioribus Italiae bibliothecis, epiſtolas edidit non inelegantes; orationibus vero maxime inclaruit, non vulgari facundia conſcriptis. Quas inter, praecipua habetur illa de Concordia, in qua pacificatoris munere deſumpto, Graecis quos ipſe paulo antea armaverat in noſtros, ſuadere eccleſiaſticam unionem nititur. Foverat ille, licet homo latinus, graecorum ſchiſma, quod ad Summi Pontificis primatum, Sanctique Spiritus a Filio proceſſionem attinet, Eccleſiaeque Romanae deſertores inſtruxerat omni genere argumentorum. Simul hujus rei cauſa Theſſalonicen primum, deinde Conſtantinopolim adierat; ubi quum multos eloquentia, multiplicique rerum ſcientia cepiſſet, ad eumque eruditorum hominum undique fierent concurſus, evenit, ut quibusdam criminandi ſui ejuſmodi anſam exhiberet. Quaerebatur forte, ut fit inter litteratos, de lumine illo gloriae, quod de facie Domini in Monte Thaborio emicuit. Negabat Barlaamus lumen illud increatum, ſempiternumque fuiſſe, cujuſmodi divina natura eſt; alioquin diſcipulorum aſpectum latuiſſet. Divinitas enim extra omnem humanum captum, atque notionem ponitur, mortalium oculos perinde, atque mentes ſupergreſſa. Gregorius contra Antiſtes Theſſalonicenſis, cognomento Palamas, qui Barlaami opinionem impugnantium ducebat agmen, adverſam theſin tuebatur acriter, accito in ſuae cauſae ſubſidium Joanne Damaſceno; qui a Divinitate Chriſti profluxiſſe tradit fulgoris illius claritatem. His hunc in modum contentionis funem pari nexu invicem ducentibus, poſtremo res defertur ad juniorem Andronicum, Joannis Imperatoris patrem. Inoleverat tum peſſima conſuetudo, peſſumque Romanum Pontificem non multo poſt tempore datura, ut ſeneſcentis Graeciae principibus, Imperii juribus per ſummam ignaviam acciſis, tantum a rebus ſuis ſupereſſet otii, ut theologorum munia obire, ac regem ſacrorum, qualis apud Romanos fuit, agere vacaret. Igitur Andronicus in Regia, uti moris erat, ſynodo coacta, cui Praeſules ſacri juxta atque Senatores mixtim adfuerunt, rem totam diſceptari, decidique juſſit. Gregorio Theſſalonicenſi victoriae palma in ea diſputatione fuit attributa. Contortum mox anathematis fulmen in Barlaamum, & ejus erroris partiarios; Acyndinum in primis, qui ſecundum poſt Barlaamum certandi ſtudio, atque contumacia locum obtinebat. Auctorem habeo ejus aetatis non ineruditum, Conſtantium Sanctomontanum Hieromonachum, qui non unam contra illos ſynodum, ſed plures evocatas dicit;

Digitized by Google

dicit; quamvis Nicephorus Gregoras Hiſtoriarum ſui aevi ſcriptor, a quo Barlaami eſt defenſio deſenſa, tradat in opere huic quaeſtioni dedicato, a concilio neſcio quo Theſſalonicenſi ſententia damnatam. Verum Conſtantius argumentis neceſſariis convincit, ſynodicos complures tomos, quos etiam profert, in Barlaamitas, & Acyndinianos emanaſſe; a tribus illos quidem Imperatoribus, Andronico nempe juniore, Joanne filio, & Joanne Cantacuzeno filii ſocero ſubſcriptos, totidemque pariter Patriarchis Conſtantinopolitanis, & a quinquaginta praeterea Archiepiſcopis firmatos; nam reliquos patres ne recenſione quidem ſua dignos putat. Rejecta hunc in modum, atque anathemati expoſita ſententia illorum, qui lumen, quod in transfiguratione Domini effulſit, creatum, & aliud a divina eſſentia dixerunt, ſchiſma tantum abfuit, ut aboleretur, ut majora in dies incrementa caperet, in apertam ſeditionem Orientali Eccleſia diſciſſa. Nam Patriarcha, qui in demortui locum fuerat ſuffectus, partium ſtudio accenſus Acyndinum fovere coepit. Ab illo ſiquidem is, & eccleſiaſticae communioni reſtitutus dicitur, & epiſcopali dignitate auctus. Quod ita adverſa factio moleſte tulit, ut non multo poſtea congregata ſynodo, praeſidente Joanne Imperatore, atque ejus matre, Patriarcham tanquam male de fide ſentientem ſolio abegerit; Acyndinum vero, & ſocios diris denuo devoverit; quod ſplendorem illum divinitatis diſcipulorum oculis olim obſervatum in rerum creatarum ordinem redigere fuerint conati. Neque enim alio tendunt verba illa Barlaami, quibus diſputationem de lumine transfigurationis exorditur; *Una eſt inviſibilis lux, & inacceſſibilis gloria, initio fineque carens, increataque prorſus divina Trinitas, in qua conſideranda aſpectus omnis hebet, menſque ipſa caligat. Cetera praeter hanc & citra hanc omnia ortum aliquando habuere*. Cui Acyndinus ſuccinens haec addit; *Increatum quidem lumen, ac gloria, natura divina eſt, omne autem aliud ab ea inferioris conditionis, creatae nempe, eſt exiſtimandum, ideoque conſpici, menteque comprehendi poteſt*. Haec Barlaamianae opinionis ſumma fuit, propter quam anathema, odiumque totius pene Graeciae incurrit. Haud ſane immerito, ſi anteactae illius vitae artes introſpexeris. Cum enim Italus eſſet ipſe, monachuſque profeſſione palmarium ſibi duxit ritus non tam patrios exuere, quam Graecis adverſus Eccleſiae Romanae auctoritatem dimicantibus, editis damnandae virulentiae libellis, auxiliares quaſi copias parare,

re. Nam & Primatum Summi Pontificis, ut diximus, praeſracte nimis oppugnavit, & latinorum Patrum de proceſsione Sancti Spiritus a filio ſententiam miris ſophiſmatum technis ex profeſſo eſt calumniatus, ut parem illi gratiam, ipſiuſque perfidia dignisſimam a Graecis, quos vaſramentis ſuis dementaverat, repenſam eſſe dicere poſsimus. Catholicae enim fidei deſertor, ne dum deſertus ipſe tandem, deſtitutuſque, verum etiam a Graecis perinde ac Latinis, probris, convitiiſque impetitus fuit. Haec ego pauca de multis, quae Barlaamus ipſe, & poſt eum Acyndinus, nec non Gregorius Teſſalonicenſis, Conſtantius Sanctomontanus, Nicephoruſque Gregoras, editis his de rebus peculiaribus libris conſcripſere. Quae ſi ad tuas cogitationes pertinebunt, quas in hiſtoriam Eccleſiaſticam ſumma fide, ſingularique diligentia impendis, erit quod bibliothecae meae gratuler; mihi vero gaudeam, cui divina quadam ſorte accidit, hoc qualecumque aeramenti eſt, ſimbolae loco tuos in theſauros, refertos illos quidem omni doctrinae, ſapientiaeque opulentia inferre. Vale.

EPISTOLA CXV.

ANTONIO TALPAE

CAESAR CARD. BARONIUS.

Ferrarienſes res magnum ſibi negotium faceſſere ei ſignificat.

DIO vi riveli gli affanni ne'quali mi ritrovo per il nuovo accidente delle coſe di Ferrara; trovandomi biſognar dar conſiglio, di laſciar andar le robbe della Chieſa, per evitar la guerra; overo conſigliar a far guerra per ricuperarle, non ci eſſendo altra via fra queſti duoi eſtremi, nè mezzo alcuno. O Padre! Padre! & perchè ſon Cardinale con tanto pericolo della miſera anima mia? Le coſe che paſſano poi nell'intrinſeco, non ardiſco confidarle con lettere, ma ſe poteſſi in ſecreto, vi farebbono gran compaſſione, poichè con il parer quaſi di tutti i Cardinali *decretum eſt bellum*. Qui biſogna ſbracciarſi in pregare il Signore, che metta impedimento, che non ſi eſeguiſca; poichè ſi ſa pur troppo il gran male, che porta ſeco la guerra. Prego Dio, e pregarò ſempre, che ſopra la perſona mia volti

volti l'ira ſua, purchè bene conſultum ſit paci Eccleſiae. Queſto baſti, orazione, orazione, orazione. Dio ſalvi tutti. Di Roma li 8 di Novembre. 1597.

EPISTOLA CXVI.

ANTONIO TALPAE (*a*)

CAESAR CARDINALIS BARONIUS.

Rationem, qua Cardinalatu ſeſe abdicare cogitabat, eidem communicat.

VOſtra Reverenza troppo mi obbliga in tenere tanto conto delle coſe mie, e la ringrazio non poco, conoſcendomi nuovo debitore di tante grazie. La prego ad aſcoltar con pazienza quel che molto tempo è, ch'io avevo animo di ſcrivere; ma mi ſon ritenuto, dubitando io ſteſſo da quale ſpirito ſi procedeſſe, come ne dubito ancora. Sia detto il tutto in ſecreto con quella confidenza, qual avevo col benedetto Padre Filippo. Vengo alli ſuoi piedi a ſcoprirgli un mio gran penſiero, qual molte volte ho bandito da me, come fuſſe tentazione, ma vedendo in me la perſeveranza di queſto, anzi maggior accreſcimento di giorno in giorno, mi fà penſare, che potria ancora eſſere da Dio. Dal principio ch'io fui fatto Cardinale, cominciai a ſentire di queſto tal diſpiacere, che cauſava in me una melanconia ſtraordinaria, e pena di animo indicibile, e ſolo mi conſolava, che avrei potuto un giorno liberarmi da queſto peſo, e pericolo con il rinunciare. Così ſon ſtato ſempre aſpettando l'occaſione del tempo. Mi ha ritenuto ſin'ora, e mi ritiene di non dar da dire alle genti, ch'io facci queſto per diſguſto di non aver avuto da Noſtro Signore quell'entrate, quali convengono a queſto ſtato, e ſon ſtati ſoliti aver gli altri ancor Regolari; queſto dico mi è ſtato un freno potentiſſimo a non farmi deliberare. L'altro freno ſi è, che so certo, che daria gran diſpiacere a Noſtro Signore, qual forſi ancora potria far la medeſima interpretazione, che io per ſimil sdegno aveſſi fatta ſimile riſoluzione; queſte due coſe ſin ora mi hanno tenuto. Vi aggiungo la terza, qual ſi è di non minore im-

M m m por-

(*a*) Vide quae de Talpa diximus ſuperius in notis ad Epiſt. LXXX, pag. 391.

portanza, che dubitarei di far gran tumore, e nondimeno di non conſeguire quello, che voleſſi, e come ſi ſuol dire, far bella la piazza, e far parlare di me ſenza poter ottener quello, che pretendo. Ecco il mio ſtato pieno di amaritudine. Lo ſtarvi in eſſo mi è pena inſopportabile, di partirmene non veggo aprirmiſi la ſtrada, e per queſto mi ſon riſoluto conferire il tutto con V.R. Non voglio, che ella così preſto mi riſponda, e mi riſolva, ma che maturi con molta orazione, e ſi ſtacchi da ogni ſenſualità, e con la ſanta orazione diſponga il tutto. Li prometto, che ſe tal grazia potrò conſeguire di laſciar Roma per ſempre, e venirmene coſtì alla voſtra benedetta caſa, ed ivi cominciare un buon noviziato, ove mi trovi l'aſpettata morte, non all'improviſo, quale deve eſſer non di lontano. Sa Voſtra Reverenza quant'importi queſti giorni pochi ch'avanzano ſpenderli bene, e dar il poco temporale per l'eternità. Mi conſigli da vero amico, da vero uomo ſenza carne, ma tutto ſpirituale. Queſto ſecreto fin'ora non l'ho ſcoperto con altri; ſe bene alcuna volta burlando abbia detto qualche parolina, pigliata di chi l'ha udita ancora da burla, ſe ben in vero ex abundantia cordis non poſso non dir alle volte qualche mezza parola, come ſuol dire chi ſta prigione, o quando n'uſcirò. Vi aggiungo per ultimo, che per conoſcere qual ſia lo ſtato della ſua vocazione ſi dà per regola, che ſe in quello vi ſi trova la pace, ſia ſegno eſſer quella la ſua vocazione. Con il qual argumento parmi di poter al certo riſolvere, queſta non eſsere la mia vocazione, non avendovi mai, mai, mai, mai trovata pace, nè quiete di animo. Tutto queſto che ho ſcritto, bene eſamini V.R. E quando dopo averlo molto ben conſiderato, e eſaminato, mi reſcriva il ſuo parere, & il tutto con ogni ſecretezza. Dio la guardi ſempre. Di Roma li 14 di Marzo. 1598.

EPI-

EPISTOLA CXVII.

CAESARI CARDINALI BARONIO

FRANCISCUS MARIA CARD. TAURUSIUS(a).

Ejus propoſitum a dignitate cardinalitia ſeſe abdicandi laudat; eumdem finem ſe habere teſtatur; multis rationibus illum monet, ut in aliud tempus id tranſferatur.

COme la miſericordia di Dio ci ha fatto vivere per tanto tempo un'iſteſsa vita, in una iſteſsa Congregazione ſotto una medeſima ſanta e paterna mano, che ci ha nutriti, & educati nella via del timor ſanto di Dio, e alle virtù; così ſi è compiaciuto, che ſiamo di un medeſimo ſpirito, e cuore ligati ſtrettamente con nodo d'indiſsolubile carità; onde quell'iſteſso ſpirito, che ha V. S. Illuſtriſſima l'ho io ſempre avuto, e non lo laſcio eſtinguere, perchè mi tiene ſciolto e ſuperiore agli affetti, e ſperanze vane mondane, penſando di poterlo effettuare con grazia di Dio in qualche tempo. E mentre che s' indugia battere alla porta della divina pietà con continua, e raſſegnata orazione, ſupplicando, che ſe è ſua volontà quello, che abbiamo in animo, e maggior ſuo onore, che ſi degni facilitare, e aprire la ſtrada per poter correrla, e ſe non piace alla ſua providenza queſto noſtro ſpirito, ne mandi impedimento, e aſpettare quel che il tempo produrrà, non precipitando le riſoluzioni; ma maturandole con tenerle chiuſe in petto ſempre raccomandate alle orazioni; e non volerle aprire ad ognuno per prender conſiglio, perchè la coſa è buona in ſe, e ſicura; ſolo ſi ha da vedere, ſe Dio vuole, e ſe ſene compiace, e compiacendoſene in che tempo, e modo ſi ha da eſeguire. Non ſiamo in ſtato da far temerariamente tanto difficil paſſo, ſe bene pare commodo e ſicuro. Ad un ſemplice Sacerdote non accadono tante conſiderazioni; ma coloro che Dio ha poſto in alto ſtato, e non vi ſono ſaliti volentieri, e col proprio ſpirito, riguardando in Dio abbiamo da governarci. Non ſi ha d'aver timore di dannazione, ove la volontà non opra; ma sforzata camina, e ſe non

(a) De Franciſco Card. Tauruſio vide, quae diximus ſupra Epiſt. XXIII pag. 116.

non ſa il tutto del buono, che vorrebbe, ne ſa parte, & è cauſa, che non ſi facciano molti inconvenienti. E ſe Dio non voleſſe, voleremo noi quello, che Dio non vuole? Neſſuno di noi ha voluto queſto ſtato preſente, e Dio ha in mano i cuori de i Re, e li volge come vuole. E ſe foſſe ſtata come ſi può penſare ſua vocazione, con che coſcienza può l'uomo, poichè l'ha accettata, così leggiermente laſciarla? E che ſappiamo noi quello, che Dio voglia fare delle ſue creature? An non licet mihi, quae volo facere? E non eleggevá Mosè il più ſicuro, ricuſando di andare da Faraone a liberare il popolo, e Jeremia a non volere andare alla predicazione, ſcuſandoſi, che era fanciullo, e pure Dio volſe, che l'uno, e l'altro ubbidiſſe. E San Gregorio con tutte le deplorazioni non li baſtò mai l'animo di ſcaricarſi dalla ſoma, ſe bene con lagrime e ſoſpiri ſi ricordava dell'amata cella. E a S. Franceſco non conceſſe, che ſi ritiraſse alla solitudine; ma che attendeſse alla predicazione, e converſione delle anime. Habbiamo in terra chi n'ha così promoſsi, habbiamo per coſcienza, e gratitudine a far le coſe, che non gli diano diſguſto, e li rechino poco onore; perchè coſa così peregrina, che pochi han fatta, e chi l'ha fatta non è ſtato lodato da tutti, non ſi ha da correre a farla ſenza eſamina lunga di tempo, & orazione; e ſe noi ſopraviveſsimo al Papa, che viverà più di noi, aſsai mi parrebbe, che ſi allargaſse la ſtrada. L'ancora da fermare in queſta commozione la nave, al mio parere, è di tener vivo queſto ſpirito, & aſpettare orando, che Dio ci faccia la grazia, e ſperarlo, & io non farò coſa ſenza communicarla a V.S. Illuſtriſsima, e lei ſi contenti fare il medeſimo con me. Di Siena 1598.

EPI-

EPISTOLA CXVIII.

JO. JUVENALI ANCINAE (*a*)

CAESAR CARDINALIS BARONIUS

Excuſat ſe quod propria manu ſcribere per tempus nequiverit, eumque mirifice laudat.

QUO magis optabam in itinere tuo frui conſortio, hoc magis etiam doleo, quod te non aſpexerim. Levamento tamen mihi fuit, quam ad me dediſti, epiſtola officii, & amoris plena; ac de ſalute Patrum noſtrorum plurimum gaviſus ſum. Sanctis tuis precibus me commendatum volo, tibique a Deo Domino noſtro ſpiritalis gratiae augumentum exopto. Camerti XX Aprilis MDXCVIII. P. S. Ne faſtui adſcribas, ſi mea manu ad te non ſcripſi. Non tantum otii datum eſt in noſtro procinctu. Litteras tuas oſtendam Praefecto Cubiculi Sanctiſſimi. Iterum vale, viveque feliciter vir Dei apoſtolicae normae ſectator. Peccatis meis adſcribo, quod te videre non merui, nec dignus os Chriſti exoſculari.

EPISTOLA CXIX.

JACOBO DE MARRQUAIS

CAESAR CARDINALIS BARONIUS.

Negotium ejus ſe apud Pontificem curaſſe, illudque ſignificat, quod ex ſententia proceſſurum ſperat, ſuamque erga eum benevolentiam teſtatur.

ACceptis tuis litteris, quae quidem pro veteri inter nos amicitia, meaque ſingulari erga te propenſione acciderunt mihi jucundiſſimae, negotium illud, de quo ſcribis, toto pectore ſtatim ſum complexus, miſique ad P. Veſtrium a ſecretis Sanctitatis Suae, qui diceret, eum maximam a me gratiam initurum, ſi primo quoque tempore rogaret meis verbis Sanctitatem Suam, ut æquiſsimae poſtulationi tuae, ſummaeque meae voluntati, & expectationi ſatisfactum vellet. Non dubito facturum; at vero mihi

(*a*) De Ancina nonnulla habes ſuperius in notis ad Epiſtolam LXXIX, pag. 388.

mihi etiam polliceor rem ipſam ex communi ſententia proceſſuram. Confecto autem negotio, mandato, ut diploma quam celerrime Romam mittatur ad Clementem. Quod vero ſcribis, inter praeces quotidianas nos tibi, noſtraque omnia, ſi quae ſunt, eſse commendatiſsima, agnoſco ſane, haud inuſitatam quidem, ſed dulcem tamen, mihique gratiſsimam pietatem tuam, eoque nomine, & ſi ad meum erga te amorem accedere nihil poteſt, quotidie tamen augeri mihi is videtur. Quo etiam optatior erit nobis tuus ad Apoſtolorum limina adventus Saeculari Sacro, quod tamen commodo valetudinis tuae fiat. Noſti enim ſenectutis infirmitatem, ac moleſtias, quibus longo, difficilique itinere ſuſcepta peregrinatio obnoxia eſſe conſuevit; niſi forte ſperas, quod etiam ipſe confido, menti optimae divinam opem, quotieſcunque res tulerit, affuturam. Vale, & Baronium tuum ama, ut ſoles. Ferrariae pridie Nonas Junias. MDXCVIII.

EPISTOLA CXX.

ANTONIO TALPAE

CAESAR CARDINALIS BARONIUS.

Animarum curam refugit, neque ullum Eccleſiae reditum, ſe a Pontifice petiturum profitetur.

NOſtro Signore è andato alquanto in viſita per queſto ſtato di Ferrara, & ha voluto me in ſua compagnia. Mi ha voluto dare in queſti giorni un'Abbadia in terra d'Otranto; ma perchè vi è Jurisdizione Epiſcopale, non l'ho voluta, non potendo a mia poſta andare a viſitarla, e ſon più contento aver poco, o niente, che peſo ſopra le ſpalle di cura d'anime. Non ſo quello che ſia per fare. Io ho apuntato li piedi di non voler domandar coſa alcuna Eccleſiaſtica, benchè minima. Ne ſon ripreſo da molti amici; ſicchè abundet unuſquiſque in ſenſu ſuo. Queſto a me pare più ſicuro, & di miglior eſempio. Di Ferrara li 3 Ottobre 1598.

EPI-

EPISTOLA CXXI. (a)

JUSTUS LIPSIUS

CAESARI BARONIO.

Ejus amicitiam flagitat, ſeque Politicorum opus correxiſſe eidem ſignificat.

JAmdiu eſt cum animo feci, quod re nunc praeſto. Scripſi, inquam, ad te, & coire volui amicitiae quoddam foedus. Et nonne me invitet virtus, & eruditio tua multiplex, & clara per Chriſtianum Orbem? Addo jam & benevolentiam, quam nuper oſtendiſti palam in re mea curanda, & commendanda. Quod ad famam meam pertinere viſum, id ultro ſuſcepiſti, & laboraſti pro me, quaſi pro amiciſſimo, aut ipſo te, poſſes. Ego haec non ſcribo in oblivionis aquis; amo te jam olim magne Baroni. Et deinceps magis magiſque volo. Sum nunc denique purus inter puros. Et hoc quod agitatum de Politicis meis corrigendis, ipſi fecimus, uti amicus noſter (nam & tuus certe) Henricus Cuyckius eximius Theologus, dicet, aut ſcribet. Ad ſummam, amo te, & colo; ut alterum mihi facias, te rogo. Lovanii, III Kal. Junias MDXCIII.

EPISTOLA CXXII. (b)

CAESARI BARONIO S. R. E. CARDINALI

JUSTUS LIPSIUS (c).

Nicolaum Micaultiam diſcipulum ſuum illi etiam atque etiam commendat, ſignificatque ſe proximo anno ſacro Italiam, & Romam cogitare.

QUOD animo, & voto ſaepe facimus, ut te alloquamur, & quaſi coram videamus; id nunc ſtilo uſurpo, & repreſento in occaſione, quam Nicolaus Micaultius (d) mihi praebuit,

(a) Hujus Epiſtolae reſponſionem habes ſuperius pag. 362, num. LXII. Haec vero, hoc poſita loco eſt, quod ex Chalcographi incuria ſuperius omiſſa fuerit. Extat autem impreſſa inter opera ejuſdem Lipſii Tom. I, pag. 349. ſeu Centuria ad Italos, & Hiſpanos num. IX.

(b) Extat haec Epiſtola inter Opera ejuſdem Lipſii Tom. I, pag. 168, ſive inter Epiſtolarum centur. ad Italos, & Hiſpanos numer. LXXI.

(c) De Juſto Lipſio nonnulla habes ſuperius in notis ad Epiſtolam LXIII pag. 362.

(d) Vide, quae de Micaultio habentur in Epiſtola ſequenti, nota ſignata litt. (c).

buit, iſte quem vides. Putat gratiae mihi aliquem locum apud te eſſe (nec diffido, in animo iſto conſcius, quanti te faciam Chriſtiani orbis ſidus) putat, inquam, aliquid apud te commendationem meam poſſe, eo libentius dandam, quia tali. Nam vir eſt, & claris apud nos majoribus, & ipſe plane probus, induſtrius, & vetus auditor meus; etſi illum Deus, & animus ad divina ſtudia traxerunt. Nam in Theologia eo jam pervenit, ut etiam titulum, & teſtimonium publice acceperit; & nunc in Italiam, & Urbem ſacram ſe contulit, videndi, diſcendique cauſa. Beabis eum, ſi & tuo interdum aſpectu frui, & vel brevi colloquio liceat; quod longum, ſcio, occupationes tuae non donant. Haec pro Micaultio. De me an aliquid addam? Addam pietate impulſum, & cupidine vos illuſtres viros videndi, in Italiam venturum ſub annum hunc ſacrum, & luſtralem, qui inſtat. O Deus mihi det caput illud Eccleſiae, non dignitate magis, quam meritis inclytum, vel eminus intueri & venerari; vos autem propius adire & alloqui! Quod inter praecipua mea vota eſſe fateor, & animus mihi dicit, *Fiet*. Illuſtriſsime & Reverendiſsime Domine, idem Deus Eccleſiae ſuae lucem, & tutelam te ſervet, cui ſincere teſtor, me toto animo addictum, & conſecratum. Lovanii VI Kal. Aprilis MDXCIX.

EPISTOLA CXXIII. (*a*)

JUSTO LIPSIO (*b*)

CAESAR CARDINALIS BARONIUS.

Pro Nicolao Micaultio, quem ſibi commendaverat, omnem illi operam pollicetur, ſeque eum videndi deſiderio teneri ſignificat.

NIcolaus Micaultius, (*c*) qui mihi binas literas a te eodem exemplo ſcriptas dedit, eade ſtudiis & lucubrationibus tuis, deque praeclara tua pietate mihi narravit, quae me ſumma volupta-

(*a*) Hanc Epiſtolam deſcripſimus ex Tom. I pag. 658. Sylloges Epiſtolarum a viris illuſtribus ſcriptarum per Petrum Burmannum, Leydae anno 1727, eſtque num. DCXXI.

(*b*) Vide quae de Lipſio ſuperius diximus in notis ad Epiſt. LXIII, pag. 362.

(*c*) Fuit hic Joannis Boiſoti ſororis filius, diſcipulus Lipſii, & Sac. Theologiae licentiatus. Vide ejuſdem Lipſii Epiſtolam LVIII, & LIX. centuria ad Italos. Poſt Italicam peregrinationem in Belgium rediit, & Tornaci videtur ſedes fixiſſe. Obiit in flore aetatis anno MDCII. Vide IV, Centur. Miſcellan. 46, & V, 12.

luptate, incredibilique deſiderio auxerunt tui videndi, amantiſſimeque complectendi. Quod vero Micaultium nobilem, & ornatiſſimum virum, veteremque tuum auditorem diligentiſſime mihi commendas, facis tu quidem, quod doctiſſimi viri diſcipulorum ſui ſimilium amantiſſimi facere ſolent, ut quos ipſi ſua diſciplina, ſuique imitatione eruditos, omnibus amabiliſſimos effecerint, ipſos tamen etiam propter ſe amari velint. In quo quidem, Juſte Lipſi, & voto, & expectationi tuae ſatisfaciam, ſeu potius (ut aperte ſcribam id quod res eſt) aliqua ex parte ſatisfeci. Micaultio enim tua primum, tum vero ſua ipſius cauſa poteſtatem feci ad me, quotieſcumque vellet, familiariter veniendi, utendique ſuis in rebus opera mea, illam ad omnia humanitatis officia, quum occaſio tulerit, paratiſſimam experturo. De te autem, Juſte Lipſi, quid dicam? In ſumma expectatione apud me eſſe adventum tuum, qui tametſi appropinquet, tamen & itineris longitudo, & aetatis ac valetudinis tuae imbecillitas ſollicitat animum, & ſuſpenſum reddit. Sed iturienti, malo bene ominari. Opto igitur, ac ſpero, qui tibi ad hoc quicquid eſt viae, duce pietate ac religione magnum, fortemque animum dedit, eundem ſalvum, & incolumem praeſtaturum, donec ad Urbem tui amantiſſimam perveneris. Vale Romae X Kalendas Julias MDXCIX.

EPISTOLA CXXIV. (a)

CAESARI BARONIO CARDINALI

MARCUS VELSERUS (b).

Mittit ei exemplar fragmenti cujuſdam ſynodi ex veteri Codice.

PEr ubbidire a V.S. Illuſtriſſima, che mi commandò più anni ſono, di doverle communicare le memorie eccleſiaſtiche antiche, che mi veniſſero in mano, le mando appreſſo alcune fragmenta della Sinodo che vedrà, cavate da un libro ben vecchio, con le iſteſſe ſcorrezioni, che ſi veggiono nell' originale, che per mia ſodisfazione ho voluto ricopiare di propria mano, ſenza variare, ſalvo le diſtinzioni, che nel libro ſon quaſi nulle,

Nnn &que-

(a) Hujus authographum extat in Bibliotheca Vallicellana Codice Q. 44, pag. 317.

(b) De Velſero nonnulla habes ſuperius Epiſt. XXXVIII. pag. 277.

& queſte lezioni della margine, meſſe così obiter ſenza pregiudicar a chi foſſe di diverſo parere. Li numeri pur della Margine ſi ritrovano così nel libro, ne sò come, e dove s'abbiano a raffrontare. Baſta che ſervano ancor eſſi per accertarne, che queſti ſono alcuni pochi pezzi di quella Sinodo. L'Aventino ne tratta a carte 302 della prima, e 224 della ſeconda edizione, referendo gli decreti, come è ſuo ſolito, parafraſticamente, con metter gli nomi delli intervenienti molto ſtrafigurati; oltre ch'io non m'arriſchiarei di aſſicurare, che tutti queſti Abbati foſſero proprio delli Monaſteri da lui nominati, eſſendo ch'egli era alquanto licenzioſo in queſto genere; vero è che d'alcuni non ſi può dubitare. Il Panvinio mette queſta Sinodo l'anno 766; altri 768; ma ſtante che queſte fragmenta dicono 772, Indictione decima, credo che ne dobbiamo eſſer ſicuri. Spero, che V.S. Illuſtriſſima l'aggradirà tanto più, quanto che il nono tomo dovrà ſcorrer fin a que' tempi. Et con tale bacciandole la mano humiliſſimamente le prego da N. S. Iddio ogni bene. D'Auguſta a 21 di Maggio 1599.

EPISTOLA CXXV.

CLEMENTI VIII. PONT. MAX.

CAESAR BARONIUS
S.R.E. CARDINALIS.

Octavum Annalium Tomum ejus nomini inſcribit.

NON eadem celeritate, Beatiſſime Pater, qua coeptus eſt cudi, octavum Annalium Tomum proſequi licuit, & abſolvere. Etenim quae vel cogitare nec potuiſſem, impedimenta interceſſere. Si quidem importuno repente excitari claſſico e praelo ad praelium evocati, una cum ſacro Collegio longe diverſas ab inſtituto ſubire curas coacti ſumus ex imminenti bello; quod diſſimulari, aut evitari non potuit: legitima enim recedendi cauſa non modo juſtum, ſed & neceſſarium judicatum fuit: quod & ſanctificatum, ſacerdotalibuſque tubis more majorem indictum eſt, cum in ſacro illo Quirinali Patrum conſeſſu, quot ſunt ea de re dictae ſententiae, tot auditae ſunt tubae, imo tonitrus, atque vibrata coelitus fulmina; in promptu omnes

omnes habentes, quod monet Apoſtolus, omnem ulciſci inobedientiam. Quis unquam ex nobis aequo animo paſſurus eſſet antiquam Petri haereditatem invadi? Renuit penitus Nabath paternam tradere haereditatem Regi, eam aequa licet compenſatione poſcenti dicens; Propitius ſit mihi Deus, ne dem haereditatem patrum meorum tibi, eligens lapidibus magis obrui, quam pecuniis. Quod egregie factum meruit Sanctorum Patrum praeconiis celebrari. Quin & S. Ambroſius voluit illud etiam imitari, cum in Romanum Imperatorem Eccleſiam invadentem, ita eſt Sacerdotali libertate locutus; abſit a me, ut tradam Patrum haereditatem, hoc eſt haereditatem Dionyſii, qui in exilio in cauſa fidei defunctus eſt, & haereditatem Euſtorgii confeſſoris, haereditatem Myroclis, & omnium retro Epiſcoporum. Reſpondi quod Sacerdotis eſt: quod Imperatoris eſt, faciat Imperator, paratus nimirum & ipſe pati quod Nabath, ſi faceret ille quod Achab.

At quomodo non magis ſolers, ac promptus vindex deberet exſurgere, ut fecit, Petri ſucceſſor, Chriſti Vicarius, ut Chriſti ſimul, & Petri, atque omnium praedeceſſorum Pontificum, antiquitus oblatam, recens ablatam vendicaret haereditatem? Quomodo non vel ejuſdem Petri accenderetur exemplo, qui non ob occupatum ampliſſimum Patrimonium, ſed ob numulos quoſdam de vendito agro fraude retentos in Ananiam atque Saphiram ſeverus ultor exurgens, eoſdem mox tot verbis, tot ultricibus jaculis confoſſos, mortuos proſtravit in terram.

Exſurrexit ipſa Sanctitas tua, ut debuit, duplicibus potens armis, quibus tamen terrorem incuteret potius, quam feriret; non ſanguinem, ſed ſalutem ſitiens animarum, debellare tantum ſtudens iniquitatem, ſubigere culpam, ſuperare peccatum, atque fugare diſcordiam; vendicare vero juſtitiam, eamque ſolutis compedibus, reddere liberam, ut ſuum unicuique libere redderet. Quod ut praeſtaret, omnem in primis fiduciam in Eccleſiae precibus, atque lacrymis collocavit, probe ſciens, ſanctos per fidem viciſſe regna; armorum vero, ſi ſola ſint, utilem eſſe uſum, nec ſatis digna, quibus victoria adſcribatur. Nam apud antiquos Romanos, illud loco proverbii eſſe uſurpatum, auctor eſt Varro, Romani ſedendo vincunt; apud Chriſtianos vero illa frequentiori uſu recepta paroemia, Eccleſia lacrymis ſuperat adverſarios, ſecundum illud Apoſtoli; Cum infirmior, tunc fortior ſum. In quam ſententiam idem dicit, Arma militiae noſtrae non ſunt carnalia, ſed Deo potentia ad deſtructionem munitionum; quod plane eventa quae vidimus, perſpicue declararunt. Nnn 2 Ac-

Accidit quaſi miraculum a Deo, his libenter utor divinae Scripturae verbis, ut Ferraria, ferrea plane civitas, ſine ferro fuerit expugnata. Ipſo totum id agente qui dixit; Ego ante te ibo, & glorioſos terrae humiliabo, portas aereas conteram, vectes ferreos confringam, ut plane idem, qui Petro aperuit Portam ferream, Ferrariae portam Petri patefecerit ſucceſſori. Grande opus ac plane divinum, ſecundum Davidicum illud; Quis, inquit, deducet me in civitatem munitam? Nonne tu Deus? Cujus facti magnitudine ſuperatus, mentis quodam exceſſu prae admiratione captus, cum admirante Propheta clamare compellor; Quis audivit unquam tale? Quis audivit huic ſimile? Antequam veniret partus ejus, peperit maſculum, cui videlicet nullis praecedentibus doloribus partus, quibus in bello ex caedibus, rapinis, incendiis, aliiſque innumeris malis vix tandem pari victoria confuevit, admirabili Dei manu obſtetricante, eadem laeta, atque jucunda, omnique ex parte perfecta ſit parta victoria, adeout etiam qui viſus eſt vinci, vicerit, & de ſuperata a ſe injuſtitia ſumma gloria triumpharit.

Sed quid amplius? Excuſet ſi longius exultans neſcia freni excurrit oratio. Quaſi tanta haec parva, atque exigua eſſent, idem benignus Dominus, qui, ut ait Apoſtolus, multiplicat ſemen noſtrum, & auget incrementa frugum juſtitiae noſtrae, ex copioſe fuſa ab Eccleſia lacrymarum ſemente, ſecundum illud Davidicum, qui ſeminat in lacrymis, in exultatione metet, auxit mirum in modum eodem anno publicae proventus hilaritatis, cumulavit acervos frugum laetitiae, tum ob multiplices adverſus Turchas obtentas victorias, tum etiam ob maximum donum, illud quod optari tantum, ſperari vix quidem aliquando potuiſſet, cum ſancita eſt pax perpetua inter Chriſtianos potentiſſimos Reges, immortali atque implacabili odio inter ſe hactenus dimicantes, quo nomine juges ſunt Deo ab univerſo chriſtiano orbe gratiae perſolvendae.

Sed habenis jam oratio coercenda, atque tandem, ſero licet, eo unde digreſſa eſt, revocanda, ad excuſationem videlicet de tardiori editione Octavi hujus Annalium Tomi, non tam tui cauſa inſtitutam, qui omnia melius noſti, quam eorum, qui me debitorem meo ſcripto conveniunt, quo promiſerim annis ſingulis ſingulos tomos edere. Juſtam meam excuſationem ipſi accipiant, auctam, ſupplici rogatione verbis Evangelici debitoris dicentis; Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. De his vero,

quae

quae tuae debeo Sanctitati, quod adeo magna ſint, ut nulla ſpes ſit quovis tempore, vel quibuſvis officiis a me poſſe diſſolvi, venia mihi prorſus roganda eſt; ita tamen ut ſignum aliquod memoris, & grati animi ſit interdum praeſtandum.

Cujus rei gratia ob recens in me collatum honorificum Bibliothecarii Apoſtolicae ſedis munus, ei congruum donum offero, librum ſcilicet, veluti fructum perceptum ex latiſundio, quod excolendum accepi, primitias ipſas debitas ſacerdoti, qui eas primum offerat Deo omnium bonorum auctori; deinde vero in ſuum convertat uſum, parans ex iis lautiſſimam ſibi menſam ex rebus praeclare geſtis Sanctiſſimorum prædeceſſorum Pontificum, præſertim vero ejus, qui in limine primus occurrit magni Gregorii, atque Martini praerogativa martyris ter Maximi nuncupandi, quibus veſcens epuleris opipare, & de reliquiis diſpertiendis in populos cumules Apoſtolicos cophinos fragmentorum.

Accipiat igitur ſanctitas tua a me oblatum, Clemens Octave, octavo anno tui Pontificatus octavum hunc Annalium Tomum, eodem myſtico numero, ita Deo diſponente, tertium repetito feliciter conſignatum. Repende Apoſtolicam benedictionem, qua roboratus reliquos etiam tomos annis ſingulis pro numero reliquorum annorum longaevae tuae exereſcentis aetatis poſſim abſolvere, & ſanctitati tuae pari numero tributi ratione perſolvere. Vale beatiſſime pater, teque Deus univerſae Eccleſiae ſemper profuturum conſervet.

EPISTOLA CXXVI. (a)

PATRIS ANTONII CARACCIOLI ORDINIS CLERICORUM REGULARIUM (b)

AD ILLUSTRISSIMUM CARDINALEM BARONIUM.

EPISTOLAE FRAGMENTUM.

Quae adverſus Hymnodiam P. Gregorius de Valencia ſcripſit, multis argumentis confutat.

JAM parabam obſignare litteras, & quum hac me opella defunctum putarem, occurrit animo quod hoc ſe loco praebeat aliqua cenſura notandum. *Gregorium de Valencia* (c) virum,

(a) Ex Opuſculo ſic inſcripto; Patris Antonii Caraccioli Ordinis Clericorum Regularium, qui vulgo in Italia Theatini nuncupantur, de ſcopo inſtitutae Pſalmodiae, Apologiae duae. Contuli cum edito. *Con licencia, en Madrid en caſa de Pedro Madrigal.* Anno 1604. An potius Neapoli?

(b) Haec leguntur pag. 5. prioriſque Apologiae locum tenent.

(c) Gregorius de Valencia Metimnenſis Hiſ-

rum, & ſuo ipſius nomine, & ſane Societatis claritudine conſpicuum, multum eſſe de ſacris litteris, multum de catholica religione promeritum, nec me latet, & ſcit una mecum non una orbis regio. Verum, dicto venia ſit, id quod adverſus Hymnodiam, in plerìſque ſacris Ordinibus perpetuo ritu ſancitam, auſus eſt ſcribere, nollem equidem aut a ſe umquam ſcriptam, aut a me uſpiam lectum. Scripſit ille tamen; quod quum eum protuliſſe non pigeat, certe me, ſpero & confido, retudiſſe non poenitebit. Mitto multa, quae tota illa ſectione poſtrema tertii voluminis theologici acerbiuſcule docuit, & velut ſemina ſparſit non bonae frugis. Plura ſunt in quae lector offendet, paſſim obvia. Ego, eo me transfero, ubi aperta ejus verba pectus mihi lancinant, & bilem cient. (*a*) *Si quando, inquit, in aliquo ordine ſimilis chorus introductus eſt, cauſſa videtur fuiſſe, ut inepti ad alia miniſteria ſpiritualia, in his occuparentur.* Hoc eſt tuo ſenſu, ut tempus, quod alioqui totum ſtertentes, torpidique contererent, in his impliciti homines ignaviſſimi, vitam diemque cantillando traducant? Quae ſi ſic ſe (*b*) habent, profecto *Dominicus*, & *Auguſtinus* minus conſiderate in ſuam uterque familiam pſallendi ritum (rem videlicet, ſi *Valentino* creditur, concionandi,docendique muneri repugnantem) firmis legibus invexit. Et imprudens *Chryſoſtomus*, quem referunt (1) ceteris omnibus negotiis divinas praetuliſſe laudes, quibus aſſidue intererat ad uſque diluculum. Et Ignatius, fere dixerim, inertiſſimus (2), qui raptus in exſtaſim hymnos nobis antiphonos ex angelica viſione contradidit. Et primigenia illa (3) Chriſtianorum cohors ignaviſſima, quam nulla perſecutionis procella ab ritu (*c*) canendi inſtituto potuit abſterrere. Quin & Hierarchia *Dionyſii* (*d*) perperam ordinata, qua choro Clerici, ſacriſque concentibus cernuntur (4) addicti. Et *Therapeutae* futiles, (*e*) ac immerito a *Philone* (5) laudati, qui hymnos a ſe compoſitos inter ſacra myſteria ſtantes, intentique promebant. Denique

Hiſpanus Societ. Jeſu Theologorum ſui temporis celeberrimus. Poſtquam ſexdecim annorum ſpatio Sac. Theologiam profeſſus eſſet Ingolſtadii, anno 1598, Romam a Superioribus evocatus eſt, & anno 1603, aetatis 54. objit Neapoli, quo valetudinis cauſa aeger conceſſerat. Vide Jani Nicii Erythrei Pinacothecam alteram num. 1, & Sotuel. Biblioth. Societatis Jeſu.

(*a*) Hae notae ſunt ipſius *Caraccioli*, quae ſignantur numeris Arabicis, quae vero litteris alphabeti, noſtrae ſunt. Vid. t.3. Theol. art.ult.

(*b*) Illud pronomen *ſe* deeſt.

(1) *Georg. Alexand.* in vita *Chryſoſt.*

(2) *Socrat.* hiſtor. lib. 6. cap. 8.

(3) *Plin.* in epiſt. ad *Trajanum* 97.

(*c*) Editum corrupte habet *ab metu*.

(*d*) Nondum tunc hujus operis ſuppoſitio detecta.

(4) Euſeb. Hierar. cap. 3.

(*e*) Vide Reimanum in vita Fabricii p. 243.

(5) De vita contempor. pag. 3.

nique Apoſtoli ipſi nimium inconſulti, qui mundo Evangelii praeceptis imbuendo deſtinati, pſalmos tamen, & liturgicas preces, prolixe, prompteque canebant. Haeſitas? Auctorem advoco & cito, vetuſtum, magnum; & quem tu *Gregori*, velis nolis, magni facias. Is eſt *Proclus* (1) auguſtae urbis Patriarcha, *Chryſoſtomi* Anagnoſtes & ſucceſſor. *Poſtquam*, inquit, *Salvator noſter in caelum aſſumptus eſt, Apoſtoli priuſquam per omnem terram diſpergerentur, conſpirantibus animis convenientes, ad toto die orandum convertebantur, & quum multam conſolationem in myſtico illo Dominici corporis ſacrificio poſitam inveniſſent, fuſiſſime & longa oratione Miſſam decantabant. Haec enim divina ſacra, una cum docendi ratione conjuncta, caeteris rebus anteponenda exiſtimabant*. Itaque, mi *Gregori*, quae tu invicem pugnare credis, ea ipſa, nempe docendi onus, & pſallendi munus, velut mirifice conſpirantia, apoſtolica illa pectora conjungebant; & tamen non erant ii, dum carmen inter ſacra Chriſto canerent, otioſi; ſed convertendis Palaeſtinis impliciti, ſed roborandis fidelibus occupati, ſed graſſante Judaeorum rabie undique divexati. Nec Therapeutae primores illi Monachi, ab opere vacui, quos *Philo* narrat (2) totos ſe ſe divinae legis ſtudio tradidiſſe, & attentos ad diſciplinarum ſcientiam, pleroſque vix tertio quoque die famem ſenſiſſe, canticis interim (3) ſolantes inediam. Ab his Alexandrina academia, ideſt evangelicae doctrinae ſeminarium, Marco auctore, ſtabilita (a), *Parthenos*, *Clementes*, *Petros* (b) *Athanaſios* nobis protulit & *Origenes*. Neque vero *Dionyſius* otii ſcholam ſtruebat, quum eccleſiaſticae militiae claſſes inſtruebat. Nec *Ignatius* ineptos tantum ad alia miniſteria antiphonum carmen edocuit (4); ſed cunctos ubivis gentium Dei, ſacrorumque miniſtros, ſive in antris degerent, & cavernis terrae, ſive in ſolitudinibus ſemoti a turbis monaſteria inhabitarent, ſive populos pace Eccleſiae reddita erudirent. Jam primitivos Chriſti diſcipulos otio deditos, aut cura vacuos non crediderim, per quos *Plinius refert* (5) *deſolata Idolorum templa, ac ſacrilega illa ſolemnia multum conqueritur intermiſſa*. Neque *Chryſoſtomus*, aut inſolens eloquendi, aut inſuetus praedicandi, aut ſacris operibus ineptus, dum choro ſeſe

ſe

(1) De tradit. divinae Miſſae Tom. 4, Biblioth. SS. Patrum vet. edit.

(2) De vita contemp. pag. 3.

(3) Euſeb. Lib. II, cap. 15, 16.

(a) Edit. *Petrus*, erronee.

(b) Euſeb. lib. V, cap. 10. & Hieronym. de Scriptor. Eccleſ.

(4) Socrat. Hiſtor. Lib. VI, cap. 8.

(5) Epiſt. XCVII. ad Trajanum.

Digitized by Google

ſe addiceret, & caeleſtibus canticis noctu diuque, pene dixerim, manciparet; quem tot Eccleſiarum ſolicitudo vexabat, quemque ſcribunt (1) in eccleſiaſticis muniis adeo diſtentum, ut per oblivionem nonnumquam ad veſperam uſque permaneret incibatus. Neque *Auguſtini* ſodalitas male feriata (2), e quorum coetu tam multi doctrina, & praedicatione praeclari mundo, & caelo innoteſcebant. Denique *Dominici* familiam quis jure dixerit aut opere ſolutam, aut ſanctis operibus ineptam, quae a verbo Dei explicando, evulgando, pectoribus inſerendo, nobile illud *Praedicatorum* cognomentum adepta eſt? Patet igitur, mi *Valentine*, haec omnia, dum ea tam adynata ſuſtineres, ex animo excidiſſe tuo. Alioquin virum ſerio doctum, & vere catholicum iſthaec ignorare potuiſſe quis credat? Quamquam ſi datur ullum juſtum injuſtae cauſſae patrocinium, fortaſſis ignoſcendum homini, qui ut ſuam ſodalitatem quam alibi [3] *minimam* vocitat, ipſe eo commentario maximam, &, ſi Deo placet, aliarum formam & normam conſtituat, harum rerum, quas [a] optime callet homo doctiſſimus; in tantam caeterorum Ordinum perniciem obliviſcitur. Hactenus *Caracciolus*.

EPI-

(1) Georg. in ejus vita;
(2) Poſſid. in vita Auguſt. cap. 11.
(3) Tom. I, Regul. cap. 1.
(a) Edit. corrupte *quae*.

EPISTOLA CXXVIII.

CAESARI CARDINALI BARONIO

F. JODOCUS GRAES.

Veteris Martyrologii Adonis exemplar ad eum mittit, rogatque, ut librorum prohibitorum legendi facultatem a Pontifice ſibi impetret.

VEnit ad Illuſtriſſimam, & Reverendiſſimam Celſitudinem veſtram, Caeſar Baroni Cardinalis Ampliſſime, venerabile, & per antiquum Martyrologium (ut ipſius Adonis Archiepiſcopi verbis utar) venit inquam, aut fluit verius, impetu quodam ſuo, fonticulus iſte ad C. V. quaſi parentem, atque Oceanum quendam ſacrae hiſtoriae, qui Paradiſi non ſuperficiem modo, ſed ipſa Eccleſiae viſcera fluentis ſuis inebriat. Illuſtre hoc vetuſtatis monumentum cum neque Reverendiſſimae C.V. ingratum fore, & in Agrippinenſi Cartuſia latere ſuſpicarer, magna mihi diligentia veſtigandum putavi. Ceſſit ea res ſane feliciter, & aliquando tandem unum ejus exemplum accepi ea fide ſcriptum, ut ne manifeſti quidem errores ſint mutati. Ita enim ut fieret, poſtularam quo ſine ullo praejudicio, tota res integra, ad excellens judicium C. V. veniret, quae in ea parte praefationis, qua de Romano Martyrologio diſſerit, hoc ipſum, quod Ado quaſi fontem praemiſerat eſſe ipſiſsimum Romanum cenſet. Quod ego grati, memoriſque animi officium non potui, neque vero debui negligere, neque enim ullo genere compenſare quiſquam unquam poterit incomparabile illud beneficium, quo C.V. univerſam ſibi Eccleſiam devinxit, cujus etiam fructus ad me manarunt. Soleo enim ſubceſivis horulis non nihil etiam temporis ſtudiis impendere, non ut otii tantum periculoſa occaſio vitetur, ſed ratio etiam, & utilitas aliqua conſtet (quam non immerito quidam poſtulat) ſi forte vel unum minutulum pauperculo liceat in Gazofilacium dulciſsimae matris conferre. Sed in eo curſu multum me retardant multi libri, quibus neque uti propter cenſuram, neque tamen omnino abſtinere propter neceſsitatem inſtituti operis licet, [quamquam ne latum quidem unguem ab Sacroſanctis decretis diſcedere per Dei gratiam, nobis certiſsimum ſit] At qui in hac noſtra Germania plurimi ta-

les occurrunt, qui vel propter Auctoris, aut impreſſoris, aut annotationum, ſive interpretis aliquam labem ſcrupulum ſtatim iniiciunt, adeo ut praeter infinitos alios, neque lexico, aut theſauro, aut Judice aliquo tuto liceat uti, quando plerique omnes in iis ſere locis impreſsi ſunt, qui, proh dolor, ab unitate unicae Eccleſiae, diſceſſerunt. Quod ſi in ea difficultate Illuſtriſsime C. V. mihi clementer favere dignaretur quo liceret, ad Dei gloriam, cum res ita poſtulat, ab his quaſi ſcopulis non impediri faceret profecto rem meis ſuperioribus, neque ingratam, & mihi in hoc opere valde idoneam. Neque ad triennii tempus [ita enim Sanctiſsimi Pontificis Clementis index limitat] praefiniri eam facultatem optarem. Eſſet enim difficillimum, immo impoſsibile in his Mediomatricum, & Trevirorum finibus atque in hac ſolitudine verſanti toties ad eam obtinendam recurrere. Quod ſi per hunc ipſum qui C. V. has litteras exhibet pro ſua ſumma benignitate dignaretur eam facultatem mittere, nihil equidem, vel cogitare dignum tanta dignatione poſſem, ſed ille abunde poſſet, qui dixit, quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis, Illuſtriſsime Reverendiſsime C. V. ad ſui nominis immortalem gloriam, Eccleſiae decus, & utilitatem conſervare, & provehere dignetur in aeternum & ultra. Ex Cartuſia S. Sixti Rutila. Kal. Decembris MDXCIX.

INDEX

INDEX

Eorum ad quos Ven. Card. Baronius Epiſtolas ſcribit in hoc Priori volumine contentas.

Latinus numerus Epiſtolam, Arabicus paginam denotat.

A

ALDOBRANDINO (Petro) Card. LXXIV. 381.
ALOYSIO Præſidente Univerſitatis Conibricae, vide Conibricae.
ANCINÆ (Joanni Juvenali) LXXIX. 388. LXXXI. 396. LXXXIII. 396. LXXXIV. 398. LXXXV. 399. CXVIII. 461.

B

BEncio (Franciſco) XLV. 288.
BLANCAS (Hieronymo) XVII. 205.
BONCIARIO (M. Antonio) XVII. 411.
BORROMAEO (Friderico) Card. XXII. 213. CXI. 450.

C

CARDINALIUM Collegio. XC. 405.
CLEMENTI VIII. Pont. Max. LXI. 356. LXVIII. 368. LXXIII. 378. CIV. 437. CXXV. 466.
COMITI Palatino Rheni (Guilielmo) LXIX. 372. LXXI. 375.
CONIBRICENSI Epiſcopo XLVII. 289. XLVIII. 290.
CONIBRICÆ Univerſitatis Praeſidenti (Aloyſio) XLVI. 289
CONSOLINO (Petro) LXXXIII. 397.
CRACOVIO (Stanislao) Archiep. Gneſnenſi. LIV. 305.
CUSANO (Auguſtino) Cardinali. XI. 281.

D

DUCAEO (Frontoni) LV, 308. LVI. 309.

E

EBORBNSI Epiſ. (Theophilo) XLIX. 291.

F

FABRO (Nicolao) XXIX. 227.
FORBIN (Arnaldo) vide Nivernen.
FUGGERO (Marco) XIX. 207.

Digitized by Google

G

GREGORIO XIII. Pont. Max. II. 165.
GUILIELMO, *vide* COMITI PALATINO.

I

IDEAQVEZ (Joanni) XLI. 283.

L

LINDANO (Wilelmo) Epiſ. Ruremunden. V. 170.
LIPSIO (Juſto) LXIII. 362. CXXIII. 464.
LOAISA (Garciae de) XLII. 284. LXXXI. 384.
LOLLINO (Aloyſio) Epiſcop. Bellunen. CXII. 451.
LOVANIENSI Vniverſitati. XXVI. 220. XXVII. 221. LX. 354.

M

MARQVAIS (Jacobo de) XCVII. 415. CXIX. 461.
MONTEALTO (Felici) a Card. *vide* SIXTO V.

N

NIVERNENSI Epiſcopo dicto a Sancta Fide. LIV. 364.

P

PANICAROLAE (Franciſco) Epiſ. Aſtenſi. XX. 209.
PARAVICINO (Octavio) Card. LXII. 359.
PHILIPPO II. Regi Catholico. XXXIX. 279.
PHILIPPO Epiſcopo Ratiſbonenſi. LXXXVII. 400.

R

RATISBONENSI Epiſ. vide Philippo.
RECTORI Vniverſitatis Lovanienſis, *vide* Lovanienſi.
RESCIO (Stanislao) LXXXIX. 404. XCII. 408.
RULLENSI (Joanni) LXXII. 376.

S

SANCTA FIDE (dicto a) vide Nivernenſi Epiſcopo.
SIRLETO (Gulielmo) Cardin. IV. 169.
SIXTO V. Pont. Max. III. 167. VI. 174. X. 184. XXI. 211.
SORIAE (Joanni) XXXV. 254.
SOTTOMAJORE (Ludovico a) LVIII. 319.
STAPLETONIO (Thomae) LVII. 311.

T

TALPAE (Antonio) LXXX. 391. CIX. 449. CX. 449. CXV. 456. CXVI. 457. CXX. 462.
THEOPHILO Epiſcopo Eborenſi, *vide* Eborenſi.

V

VNIVERSITATI Lovanienſi, *vide* Lovanienſi.

IN-

INDEX

Eorum, qui ad Ven. Caeſarem Card. Baronium Epiſtolas ſcribunt in hoc priori Volumine contentas.

Latinus numerus Epiſtolam, Arabicus paginam denotat.

A

AJAZZA (Veſpaſianus). CIII. 436.
ANCINA (Juvenalis) XCVIII. 461.
ANTIST, *vide* Juſtinianus.

B

BENCIUS (Franciſcus). XLIV. 286.
BLANCAS (Hieronymus) XVI. 203.
BONCIARIUS (M. Antonius) XCIII. 409.

C

CALDERIUS *ſive* CHAUDIERE (Guilielmus) CVII. 446. CXXVI. 469.
CARACCIOLVS [Antonius] CXXVI. 469.
COMES PALATINUS Rheni (Guilielmus) LXX. 374.
CONCHENSIS Eccleſiae Decanus & Capitulum. XIII. 190.
CRACOVIUS (Stanislaus) LII. 300.
CRACOVIENSIS Epiſcopus (Georgius) Cardin. LXVII. 367.

D

DECANUS & Capitulum Eccleſiae Conchenſis, *vide* Conchenſis.
DUCAEUS (Fronto) XXXVI. 261. LIII. 303.

E

EBORENSIS (Theophilus) Epiſcopus. XXIII. 215. XXIV. 217. XLIII. 285.

F

FABER (Nicolaus) XXVIII. 222. XXXVII. 266. L. 292.
FORBIN (Arnaldus) *vide* Nivernenſis.
FUGGERUS (Marcus) XVIII. 205.

G

GUILIELMUS Comes Palatinus, *vide* Comes.
GEORGIUS Epiſc. Cracovien. *vide* Cracovienſis.
GRAES (Jodocus) CXXVIII. 473.

I

ILLUMINATUS, *vide* Panhormitanus.

IM-

Digitized by Google

IMHOFF (Carolus) CVIII. 447.
JUSTINIANUS ANTIST (Vincentius) XIV. 191.

L

LIPSIUS (Juſtus) CXXI. 463. CXXII. 463.
LOAISA (Garcias de) LXXV. 383.
LOLLINUS (Aloyſius) Epiſc. Bellunen. CXIII. 452. CXIV. 453.
LOVANIENSIS Vniverſitas. XXV. 218. XXX. 231. XXXIII. 242.

M

MANINI (Franciſcus) I. 163.
MARQVAIS (Jacobus de) VIII. 180. XXX. 239. XCVI. 413.
MASSONVS (Papirius) XXXII. 241.

N

NIVERNENSIS Epiſcopus, dictus a Sancta Fide. LXV. 365.

O

ORBA (DIONYSIVS Hieronymus de) LXXVIII. 384.

P

PANHORMITANVS (Illuminatus) CI. 432.
PAVLVS Epiſcopus Ravellenſis, *vide* Ravellenſis.
PEÑA (Franciſcus) CV. 443.
PHILIPPVS Epiſcopus Ratisbonen. *vide* Ratisbonenſis.
PISTORIVS (Joannes) XCIX. 418.
PLANTINVS (Chriſtophorus) IX. 182.
PVTEANVS (Clemens (CVI. 445.

R

RATISBONENSIS Epiſcopus (Philippus) LXXXVI. (*ubi perperam legitur* LXXXXVI) pag. 399.
RAVELLENSIS Epiſcopus [Paulus] XCV. 412.
RESCIUS [Stanislaus XII. 188. LXXXVIII. 401. XCI. 407.
RUBEIS [Hieronymus de] VII. 176.

S

SERARIUS [Nicolaus] XV. 198. C. 430.
SORIA [Joannes] XXXIV. 243. LIX. 320. LXVI. 366.
SOTTOMAJOR [Ludovicus] LI. 298.

T

TAURUSIUS [Franc. Maria] Card. CXVII. 459.
THEOPHILUS Epiſcopus Eboren. *Vide* Eborenſis.

VEL-

V

VELSERVS [Marcus] XXXVIII. 277. CXXIV. 465.
VNIVERSITAS Lovanien. *Vide*. Lovanienſis.

WINCHELIVS [Rolandus] LXXVIII. 385.

Z

ZVCCHI [Bartholomaeus] CII. 434.

FINIS.

Digitized by Google

ERRATA	CORRIGE.

IN VITA.

Pag. 110. lin. 39. Sacer	Sacra

IN EPISTOLIS.

Pag. 224. lin. 35. Diſcorides	Dioſcorides
Pag. 310. lin. 10. Intera	Interea
Pag. 317. in notis col. 2. lin. 15. eoſque adhuc ſpirantes	eorumque adhuc ſpirantium
Pag. 360. lin. 14. adjutorio	auditorio
Pag. 378. lin. 30. Apoſtoli	Apoſtolici
Pag. 389. in not. col. 1. lin. 24. ſanctum	teſtum
Pag. 394. lin. 22. Abbate Meſſa	lege Maſſa
Pag. 401. lin. 2. haud quamquam	haud quaquam
Pag. 439. lin. 26. qud	quod
Pag. 446. in notis col. 1. lin. 20. eamdemque	eademque

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

005663148
Digitized by Google